PER-ILLUSTRI AC REVERENDISSIMO

DOMINO

D. AMANDO HOVELYNCK

MONASTERII CELEBERRIMI

S^ti. PETRI, IN MONTE BLANDINIO,

JUXTA GANDAVUM,

ABBATI MERITISSIMO,

PRIMATI FLANDRIÆ

Principi de Camphyn, Harnæ Comiti Toparchæ de Swynaerde &c.

OPusculum hoc *Institutionum mysticarum*, quas succisivis horis collegi, & distinctis Libris, atque Capitibus, in ordinem redegi; visum est Superioribus meis, & Viris optimè meritis, quibus me libenter attempero, in lucem dare; neque diu fuit deliberandum, cui, ut ævi nostri mos est, laborem hunc qualemcumque dedicarem: nam ad Montem tuum *Blandinium*,

? - 2 7 -

Præsul Reverendissime, intimis quibusdam affectibus, quasi arreptâ manu, deducebar. Absterrebat quidem, primâ fronte, nominis tui splendor eximius, quem in alto illo culmine acceptum, virtutibus tuis magis illustrare non desinis. Trepidabam, cùm, vel eminùs, ad tantæ dignitatis fastigium oculos levarem, ubi Te *Flandria* Primatem suspiceret, Te Pastorem primitivum *Ganda* supplex reclamaret. Sed tamen magis alliciebat illa morum tuorum facilitas omnibus nota & obvia, sereni vultûs amabili cum maturitate suavitas, quâ te cunctis reddis amatum, &, ut nomine, re verâ magis exhibes *Amandum*. Latus hîc mihi campus apertus in tuas laudes, si modò liceret excurrere; nec retineret modesta animi tui demissio, quæ vel indè rara virtus, & sensu Doctoris melliflui, *humilitas honorata.* ([a])Nam facilè hîc referrem, quæ sit vitæ tuæ probitas, quis studij salutaris ardor, quæ victûs ratio, & œconomiæ cura. Dicerem, quàm incensus in Te zelus pro decore & nitore domus Dei, pro quã ædificandâ & ornandâ tot sumptus & media congregâsti, ut iam diù perfecta foret, nec totâ Belgicâ viseretur perfectior, si non iniuriæ temporum, & belli calamitates impedivissent. Possem leviter tangere, quot expensis sacram supellectilem auxeris, quàm tibi cordi sit cultus Divini Officij, & Regulæ observantia in illo tuo Monte. *Blandinium* cogito; ô quàm in eo multa me capiunt! Ecquis non moveatur mecum huius argumenti dulcedine, si vel paululùm lubeat immorari? imprimis situs ipse loci delectat. Quid enim (ut verbis ipsis dicam) *Blandinio* Monte amœnius? Quid illâ pratorum viciniâ blandius? Quantâ veniunt

niunt maiestate in urbem amplissimam duo illa flumina, illinc *Scaldis*, hinc *Legia*? Et quem non afficiat, etiam quotidiana Gandensium pietas ergà venerandam in *Blandinio* Virginem, Dei Matrem? Certè horum & aliorum recordatione, vel ipse locus dulcescere videatur. (b) Verè dicam, locus iste sanctus est, in quo tot Sanctorum habitatio. Hîc vixit *S. Amandus* (c) Flandriam, quâ parte Gandenses potissimùm complectitur, à Mercurij & aliorum Idolorum cultu, ad Christi Salvatoris fidem primùm convertit, ibique celeberrimum Ordinis *S. Benedicti* monasterium condidit, D. *Petro* Apostolo consecratum. At nè ultrà progrediar, nobiscum tacitè perpendamus, ab eo tempore, ab annis plus mille, è quali quantus Mons ille *Blandinius* factus tum fuerit: mirabile erit, incredibile erit, nisi ijs, qui oculis, sensibusque sunt arbitrati. Deus bone! assurgere in hanc Sanctitatem, Splendorem, Opes, Exemptiones, Privilegia, vnum aliquem locum, & subitò verticem pænè cælo inferre? factum est, à Domino, utique credimus, & est mirabile in oculis nostris. Non ea hîc adducam, quæ fusè relata in Annalibus Benedictinis, indigitasse sufficiat: *Monasterium Blandiniense ante millenos annos fundatum, etiamnùm hodiè sartum, tectum stare, nec varijs tempestatibus, quas subijt, concidisse, vel veteres incolas mutasse, tam gaudio afficimur, quàm admiratione. Gloriæ & divitiarum palmas paucis concedere fertur in Belgio.* (d) Si sacra inspicimus, SS. Reliquiarum inæstimabilis hîc thesaurus, Sanctorum plurium non modò particulæ, sed corpora integra reposita, & habita in honore. Si gloriæ pondus libra-

 mus

mus, hîc Reges & primi Belgicæ Principes diversati, dum viverent, domum sibi funebrem elegerunt, erectis Mausolæis ad æternam memoriam. Hîc, seculis longè retro-actis fit solemnis inauguratio Comitum Flandriæ; quem ritum insigni pietate Hispaniarum Rex *Philippus II.* servavit die 17. Julij 1549. vt paternis iussis *Caroli V.* Cæsaris, obtemperaret. (e) Exemplum secutus est, in diebus nostris, pro Rege nostro *Carolo II.* Gubernator Belgij Marchio *Castel-Rodrigo*, dum, præstito fidæ protectionis iure-iurando, gladium pro Regiâ Maiestate, quo accingeretur, de manibus tuis, *per-Illustris ac* R^{me} *D*^{ne}, in conspectu Flandriæ Procerum, accepit. (f) Magna ista sunt pro seculi dignitate; at maiora proferam, quæ ad gloriam Dei, & Ordinis Tui honorem propiùs faciant in *Blandinio*; dum ostendam fundamenta eius in *Montibus* Sanctis. Et cur verear appellare tot florulentos *Blandinio* impositos cælestis suave-olentiæ *Montes*, quo suavissimo titulo usus est *Augustinus*, cum Cœtus Religiosos depingeret, eosque *Montes* esse diceret, omni virtutum odore fragrantes, in quibus mandârat Dominus Benedictionem? *Montes* Domini in *Blandinij* vertice constitutos, bonâ veniâ dixero, è quibus nomine signandus, post *S. Amandum*, venit primus Abbas *S. Floribertus*, eiusque successor *Ioannes*, *Gerardus Cellensis*, & alij virtutibus verè magni, verticibus illis vitæ monasticæ in Carmelo Nostro prædelineatæ, & collibus æternis asceticæ Disciplinæ in monte Cassino traditæ, tanquam *Montes* de *Montibus* respondentes. Vt nemini iam sit mirandum, si tunc efflorescerет Benedictio Domini super hos

Montes

Montes. Sed non suscipio hos *Montes* humili meâ dictione, iam attollere; hîc satis superque erit, in radicem eximiorum decorum Ordinis Tui Benedicti, digitum transeunter intendere, vndè tot ornamentorum in Ecclesiâ Dei scaturigines emanârunt, & obiter attigit in vitâ B. Rabani, eiusdem Instituti Abbas *Trithemius*, ubi etiam repetit aurea secula vitæ monasticæ, succinctè his verbis: *ad multos annos duravit in Cœnobijs Monachorum istud admirabile studium Scripturarum, & viros sanctitate non minùs, quam doctrinâ celebres Sacer Ordo Benedicti produxit innumerabiles: legimus enim, sicut ex supputatione Annalium nostrorum constat manifestum, quod ex Monachis, Ordinem S.P. Benedicti professis, quatuor & viginti, per successum temporis, Sacrosanctæ Ecclesiæ Romanæ, fuerint Pontifices: Archiepiscopi per diversas mundi Ecclesias, mille, sexcenti, octoginta quatuor: Episcopi verò quatuor millia, quingenti, duodecim; denique, Cathalogo Sanctorum ex eodem Ordine reperiuntur adscripti quindecim millia, sexcenti, præter Moniales & alios innumeros, quorum nomina ignoramus. Hi sunt fructus Monachorum studij Salutaris, in quo, plantante Rabano, multa millia in omni doctrinâ & sanctitate, totam illustrârunt Ecclesiam. Sed* (hîc mihi suspirium) *non duravit in finem hæc sancta consuetudo Monachorum.* (g) Quorum à primo fervore deficientiam, & à pristino vitæ regularis rigore in multis Monasterijs relaxationem exaggerat, SS. Patrum lamentis, sapientissimus ac Religiosissimus Ordinis Nostri Pater *Ioannes Baptista de Lezana*, editis scriptis totâ Europâ celebris, in aureo tractatu de *Religiosâ Disciplinâ.* (h) Ad nostra ut redeam; agnoscimus

cimus, ut in mari, fluxum hunc temporis, & refluxum; undè autem oriatur, nondum hactenus penetramus. Nodum hunc tetigisse videtur iam dictus P. *Lezana* (i) quem, presso pede, conatus sum insequi in hisce meis *Institutionibus mysticis*, ubi malorum radices detego, curandis animæ morbis remedia suggero, &, remotis vitiorum obstaculis, planam, ac facilem sterno viam incipientibus, proficientibus & perfectis, in quocumque sint statu, quâ omnes, qui piè volunt vivere in Christo, ad summum perveniant bonum. Fateamur, quidem experti, quia ea hominum fragilitas est, vicissitudo temporum, & in bono tam parùm sibi constans animus, ut vix eò aspirare sit liberum; ea tamen etiam Divini Numinis Clementia, eiusque Providentiæ occulta ista lex; attollit, deijcit, iterumque attollit: & nobis, vera ominor, ità fiet; quià, ut formosa corpora, etiam in morbo, vestigia decoris sui retinent; sic Religionum isti *Montes*, pristini splendoris. Confidendum est autem, si quandò deliquium aliquod, velut Solis est, non interitus; exurgent. Ità confidere de *Monte Blandinio*, *Antistes Religiosissime*, Tua in Deum fiducia, in Virginem Matrem amabilem pietas cogit. Esto, inter horridas nubes & tempestates diu fluctues, atquè inter turbas, & tumultus bellicos diu iam pugnes, expugnabis: confidito. Statim ut confidit *Constantinus* Imperator in ostenso cælitùs prodigio *Crucis*, tum demùm feliciter pugnavit, & hostes superavit.(k) Quidni hoc audeam sperare, dum Tua contemplor Insignia, in quibus arridet tam propitium sidus? Et quomodò aliter interpreter *Crucem* tuam gentilitiam, quàm velut auro-

auroram esse Solis, qui nubila hæc, & turbida dissipet, serenum reddat diem, & aurea sæcula. Antiquitas, ut suam orbi universo fælicitatem ostenderet, nummos cudebat, in quorum unâ facie *Crucem* depingebat, alterâ cornu-copiæ, addito verbo, *Diligentibus*. (l) Quid aliud *Crux* Tua indicat, & exprimit symbolum, *Dulcis amanti*, quam fælicitatem *Diligentibus*, & omnium bonorum abundantiam? ita est; dulcedinem promittit, sed *amantibus*; annunciat *Blandinio* pacem multam cum rerum affluentiâ, sed *Diligentibus* legem, quæ in *Monte* data est, & hactenùs observata; diligatur modò, eritque verè Tua *Crux* dulcis amanti; & stillabunt *Montes* dulcedinem, ut sub *Arnulpho* Flandriæ Comite legimus factum (m) cùm *Gerardus Cellensis* Abbas in *Monte Blandinio*, octodecim Cænobiorum Benedictini Ordinis in Belgio, eodem tempore, fuit zelosissimus Reformator: *Cum ex diversis mundi partibus confluebant ad eum Monachi; vidisses ad huius Sancti Viri pudicos flosculos pendere ex diversis alvearibus apes, ut inde favis arentibus possent instillare nectar roris melliflui* (n). ô, iterùm, fiat, & Tua *Cruce*, seu radiante sidere prælucente, videre fas sit, in tranquillitate temporum *Montes* stillantes dulcedinem, atque inter illos eminentem *Blandinium*, qualis tunc fuit, Privilegijs & opibus potentem (o) ab omni bonorum interno & externo decore formosum ac florentem: Hoc votum meum est, & omnium Carmelitarum Flandro-Belgicæ; eritque fælicitatis etiam nostræ, si, ut olim *Octavius* ille *Alexandri* imagine utebatur pro Sigillo; ità impræsentiarum Nominis & *Crucis* Tuæ insigni ornatus, & munitus hic liber

** *Institu-*

Institutionum mysticarum, publicum exstiterit, ergà tuam Amplissimam gratiam nostræ Carmelo-Marianæ observantiæ Sigillum, affectûs & obsequij novum incrementum. Ità vovet ex animo

PER-ILLUSTRIS AC R$^{mæ.}$ D. T.

Mechliniæ ex Carmelo
S. P. N. Eliæ, die 25.
Septembris. 1671.

Humillimus in Christo servus

FR. MICHAEL à S. AUGUSTINO. *Carm.*

(a) S. Bernard. (b) A. Sanderus in dedicatoriâ S. Andreæ Corsini. (c) Anno 612. (d) Chronicon. Ord. Bened. tom. 2. ad annum Christi. 630. (e) in Flandriâ illustr. & rerum Gand. l. 4. (f) anno 1666. (g) Henschen. in actis SS. Febr. die. 4. (h) Lezana de Reform. Regularium. (i) ibidem (k) Lipsius de Cruce l. 3. c. 15. (l) Photius de Symbolis. (m) anno 954. (n) Sanderus in Hagiologiâ Flandriæ. (o) Sanderus Rerum Gand. libro 4. cap. 1. 2. & seq.

Facultas R^mi Patris Generalis.

FR. Matthæus Orlandus *S. T. Magister, ac Ordinis Fratrum B^mæ V. Mariæ de Monte Carmelo, humilis Prior Generalis.*

Authoritate nostrâ, harum serie, facultatem facimus R^do Ad^m P. Michaëli à S. Augustino *Exprovinciali dicti Ordinis nostri in Provinciâ Flandro-Belgicâ, typis subijciendi librum, cui titulus est*, Institutionum Mysticarum Libri IV. quibus anima ad apicem perfectionis, & ad praxim mysticæ unionis, per gradus introducitur: *dummodo etiam accedat consensus aliorum, ad quos spectat. Datum Romæ die 6. Iunij* 1671.

Fr. MATTHÆUS ORLANDUS *Generalis Carmelitarum.*

Fr. ÆMILIUS IACOMELLI *Provincialis Terræ Sanctæ. Secretarius Ordinis.*

Facultas R^di Ad^m. P. Provincialis.

FR. *Franciscus Bonæ Spei*, humilis Prior Provincialis Fratrum B^mæ V. Mariæ de Monte Carmelo per Flandro-Belgium, R^do Ad^m. Patri *Michaëli à S. Augustino*, Exprovinciali, & nunc Priori Carmeli nostri Mechliniensis, quâ fungimur, auctoritate, ac præsentium tenore, licentiam concedimus, vt librum, cui titulus, *Institutionum Mysticarum libri quatuor, quibus anima ad apicem perfectionis, & ad praxim mysticæ unionis, per gradus introducitur*, à duobus Theologis perlectum & approbatum, servatis servandis prælo tradere, & in lucem edere possit. In quorum fidem &c. Datum in Carmelo nostro Gelriensi, die 19. Iulij 1671.

Fr. FRANCISCUS BONÆ SPEI Provincialis.

Approbatio Theologorum Ordinis.

C*Vm Salvator noster exigat à nobis, præcipuè quidem Religiosis, sed & à quibusvis Christianis, ut* simus perfecti, sicut Pater noster cælestis perfectus est: *atque ita quodammodò* VITAM DIVINAM VIVAMUS: *& alibi dicit*: Qui vult venire post me, abneget semetipsum & sequatur me; *undè sequitur vitam nostram debere esse* PIAM IN CHRISTO, *& conformem vitæ Christi cum* ABNEGATIONE SUI, ET OMNIUM CREATURARUM: *Matrem quoque suam nobis dederit, ut sit* Speculum iustitiæ, *id est* exemplar virtutum omnium: *idcircò etiam vita nostra debet esse* MARIANA. *Ista autem omnia in hoc Opere, inscripto*: INSTRUCTIONUM MYSTICARUM LIBRI IV. *Practicè tradantur; sic ut demonstretur via facilis manuducens animam bonæ voluntatis ad summam perfectionem, & fruitivam praxim vitæ mysticæ, prout in hâc vitâ exerceri potest: Idque ad captum potissimè quidem Religiosorum omnium, sed & aliorum quorumcumque Christiani nominis professorum: Nec quidquam in eo sanæ doctrinæ, aut bonis moribus dissonum sit, ast Sacrarum Litterarum, SS. Patrum, & Doctorum sensui conformia omnia; censeo illud utilissimè in publicum evulgandum; à cuiusvis conditionis hominibus legendum, & practicandum. Datum Antuerpiæ die XVI. Iulij anni MDCLXXI.*

F. DANIEL à VIRG. M. quondam Lector S. Theol. Exprovincialis Ord. FF. Beatissimæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo.

EX commissione R. Adm. Patris Provincialis magnâ cum satisfactione legi & perlegi librum, cui titulus, *Institutionum Mysticarum libri quatuor, quibus anima ad apicem perfectionis & ad praxim mysticæ Vnionis per gradus introducitur*, in lucem editum à R^{do} $Ad^{m.}$ Patre MICHAELE à S. AUGUSTINO, Exprovinciali Ordinis Fratrum $B^{mæ}$ Mariæ Virg. de Monte Carmeli, & inveni conformem Doctrinæ S. Scripturæ, ac SS. Patrum, continentem præclaram ac saluberrimam methodum, ad ducendas animas per vias exercitiorum spiritualium, & praxim solidarum ac fundamentalium virtutum, per Dei gratiam ad perfectionis apicem ac fruitivam cum Deo unionem, ita signavi in Conventu nostro Bruxellensi die 3. Augusti anno Domini 1671.

Fr. VINCENTIUS à NATIVITATE B. Mariæ Virginis Prior Fratrum B. Mariæ Virg. de Monte Carmeli Bruxellis, olim Lector S. Theologiæ.

APPROBATIO CENSORIS.

I*Nfrascriptus legi Libros Institutionum Mysticarum Auctore R. Admodum P.* Michaële à S. Augustino, *Exprovinciali Fratrum B. Virginis Mariæ de Monte Carmelo, qui, quia per viam facilem & quasi per gradus manuducunt animam bonæ voluntatis ad summam perfectionem & fruitivam praxim Vitæ Mysticæ, utiliter imprimi poterunt, nec continent aliquid quod fidei orthodoxæ aut bonis moribus adversetur. Datum Antuerpiæ* 29. *Aug.* 1671.

AUBERTUS VANDEN EEDE *I. V. L. Canonicus & Archidiaconus Antuerp. Lib. Censor.*

SUMMA PRIVILEGIJ.

CAROLUS II. Hispaniarum & Indiarum Rex Catholicus ac Potentissimus Belgarum Princeps, &c. Diplomate suo sancivit, ne quis præter *Marcelli Parys* Typographi Antuerpiensis voluntatem, Librum, cui titulus: *Instructionum Mysticarum* libri 4. Auctore R. P. MICHAELE à S. AUGUSTINO Exprovinciali FF. Beatæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo, proximo novennio ullo modo imprimat, recudat, aut alibi terrarum impressum aut recusum in has Inferioris Germaniæ ditiones importet, distrahat, venalemve habeat: Qui secùs faxit, confiscatione Librorum, & insuper aliâ gravi pœnâ multabitur, uti latiùs patet in Litteris datis Bruxellæ 24. Iulij 1671.

Signat

LOYENS.

Prologus totius Operis.

AD instantiam multorum ad perfectionem adspirantium, & corde puro quærentium Dominum, composui varios tractatus asceticos, quos in quatuor libros distinctos, ad commodiorem Religiosarum *familiarum, aliorumque usum, in uno volumine imprimendos censui; sperans fore, ut generent desiderabiles fructus spiritûs in omnibus, qui corde docili, simplici & humili eos legere, & ruminare non respuerint.*

Toti operi præfixi titulum Institutionum Mysticarum; *eò quod ad vitam mysticam, facilem, practicamque sternant viam, & Ascetam bonæ voluntatis quasi manu-ducant à semitis incipientium ad alta, plana & amæna cacumina vitæ contemplativæ, supercontemplativæ, unitivæ & divinæ.*

Etenim Liber primus *instruit omnes piè in Christo vivere volentes, qualiter piam vitam incipere, in eâ proficere, eamque perficere possint: Quia autem durante huius vitæ exilio*, omnes, qui piè volunt vivere in Christo, persecutionem patiuntur; *ità ut nulli in quâcumque perfectionis viâ ambulanti tentationes desint, & quidem eò subtiliores & periculosiores, quò intentio piè in Christo vivendi est purior, firmior & efficacior; ideò operæ-pretium duxi addere 2.* librum, *in quo tentationes in omni viâ Spiritûs passim obvias detegerem ac detectas declinandi, & desideratam in omnibus victoriam consequendi methodos præscriberem.*

Porrò, quià etiam post plurimas in militiâ spirituali partas victorias, virtuosæ animæ, durante hâc vitâ, numquàm in eodem statu permanent; sed variarum dispositionum circumstantijs exigentibus, nunc incipientium, nunc proficientium, nunc perfectorum

exercitia repetere opus habent (quamquam paulatim ea perfectiùs frequentare assuescant) ideò opportunè adjcitur liber tertius: *in quo de tribus votis essentialibus Religionis, primò in communi, deindè, ut à vitæ mysticæ Amatoribus sunt practicanda, agitur; in quo insuper de vitâ myxtâ; denique de vitâ mysticâ, eiusque fruitivâ praxi; variæ; eæque faciles, claris terminis, suppeditantur instructiones.*

Quià autem, teste Apostolo, perfectorum est solidus cibus, eorum, *nempè*, qui pro consuetudine, exercitatos habent sensus ad discretionem boni & mali; *& animæ trium præcedentium librorum doctrinæ sese practicè conformantes, perfectorum numero aggregari censentur, ideò illis de solido cibo providendum est: sanè non raro contingit, quod etiam pijssimæ animæ, iam viam incipientium & proficientium fæliciter emensæ, in semitis justitiæ, puritatis cordis, & verè paupertatis spiritûs benè exercitatæ, in vitâ mixtâ ritè versatæ, in vivâ & amorosâ fide divinæ præsentiæ habituatæ, in conformitate cum Dei beneplacito, ac in mysticâ cum Deo unione consummatæ, sic ut nihil eis deesse videatur in ullâ gratiâ, aut virtute; nihilominùs ex speciali divinæ Sapientiæ dispositione, nonnumquàm quasi ab altitudine spiritûs ad vallem suæ naturæ reduci, sibique, saltem quoad sentire, & experiri, relinqui, subindè verò econtrà, iterùm spiritu sublevari videantur: tales nunc in lumine ambulant, nunc hærent in tenebris; modò præveniuntur in benedictionibus dulcedinis, modò amaritudine replentur; iam in egestate, iam in abundantiâ versantur; nunc corpore vel spiritu extremè angustiantur, nunc divinitùs consolantur; nunc cum summâ facilitate virtutes exercent: perindè ac si illæ in naturam essent versæ, & gratiâ haberent cor stabilitum; nunc econtrà cum maximâ difficultate quodlibet bonum*

opus

opus perficiunt, quasi necdum limina perfectionis, vel de longè, salutassent, nec gratiam coram Deo invenissent; nunc velut aquilæ alas amorosæ contemplationis in sublimitate Divinitatis librant, nunc ad ima creaturarum, imaginatione & appetitu sensibili, deiecti, quasi repere coguntur; nunc spe & fiduciâ in Deum eriguntur, nunc timore concutiuntur, & in abyssum pusillanimitatis deijci videntur; uno verbo, Deus nunc eos humiliat, nunc exaltat, deducit ad inferos, & reducit, *percutit, & sanat*, mortificat & vivificat; *in quo vicissitudinis statu, quis neget eos egere solido cibo, ut possint* stare in fide, viriliter agere & confortari, *sicque in quâvis animæ dispositione, Deo fideles inveniantur?*

Hunc solidum cibum subministrat liber IV. *dùm inprimis docet totalem sui, & omnium creaturarum, ex purissimo Dei amore, abnegationem; deindè dum præscribit modum vivendi* in Deo, propter Deum, & in Mariâ propter Mariam, *ac denique dum instruit, quomodò* oporteat adorare Deum in Spiritu, & veritate; *siquidem, verè hæc exercitia sunt propria perfectorum, quales non rarò prædictæ vicissitudini exponuntur; licèt enim in omni virtute & gratiâ coram Deo sint consummati, tamen subindè, ut in sui nihili cognitione meliùs fundentur & conserventur, Deus eis subtrahit omnem sensibilem gratiæ, & virtutum, etiam acquisitarum, influxum, perindè ac si nullas haberent, & econtrà, corrupta natura vires resumeret, & in varia mala præceps esset ruitura; verùm tales, totali sui, & omnium rerum abnegatione, ac resignatione adiuti, & spiritu, etiam quasi imperceptibiliter roborati, manent in Deo inconcussi, ac in tali etiam statu nôrunt in Deo vivere propter Deum, didicerunt etiam in tali dispositione adorare Deum in spiritu & veritate; in talibus*, cunctis diebus

vitæ

vitæ eorum, ſementis & meſſis, frigus & æſtus, æſtas & hiems, nox & dies non requieſcunt: *quod benè ſcientes, mediante plenâ ſui & omnium creaturarum abnegatione, ſatagunt ſeſe continere in perfectâ reſignatione & indifferentiâ, accommodantes ſe tempori, ac cuilibet Dei circà ſe diſpoſitioni ac permiſſioni; tales* benedicunt Dominum in omni tempore *ſpiritualis hiemis & æſtatis, diei ac noctis, conſolationis & deſolationis; nulli enim rei creatæ inordinatè adhærent, ſolum Dei beneplacitum in omnibus amplectuntur, & adorant; nihil ipſis eſt inexſpectatum, nihil ſibi debitum exiſtimant, ſe totos divinæ providentiæ committunt, & ubi, vel minimum Dei voluntatis ordinativæ vel permiſſivæ veſtigium olfaciunt, illùc feruntur; ſicque facilè contingit, quod tales ducant vitam Deiformem & divinam in Deo propter Deum, in quacumque animæ diſpoſitione; & quaſi habitualiter adorant Deum in ſpiritu & veritate, abſque eo, quod ferè ſciant; talibus ergò ſerviat* liber IV.

Ex quibus quilibet vitæ internæ & perfectioris Amator facilè colliget, quales fructus Spiritûs ex inſtitutionibus myſticis in his quatuor libris contentis, referre poſſit; ſolummodò reſtat, ut animo docili ſæpiùs iteratæ earum lectioni & ſedulæ praxi incumbere incipiat, certus, quià ſic ipſum deducet Dominus per vias rectas, & oſtendet illi regnum Dei *intrà ſe, in hac vitâ, donec advenerit tempus oſtendendi illi regnum Dei in cæleſti patriâ. Amen.*

LIBER

LIBER PRIMUS DE PIA VITA IN CHRISTO.

TRACTATUS I. De Pietate in communi.

CAPUT PRIMUM.

Pietas est hominibus quasi innata, etiam ab Ethnicis valdè laudata, & omni tempore ab omnibus amata.

ANtequam protoplastus noster Adamus peccasset, omnis generis virtutes illi erant innatæ, & à divina bonitate infusa justitia originalis unà cum plurimis gratiјs & donis supernaturalibus; specialiter autem virtus Pietatis, quæ ab initio homini adeò profundè fuit insita, ut, etiam post Adæ peccatum, advertere licuerit aliquas ejus scintillas in omnis generis nationibus, quantúmvis sylvestribus, efferatis & Barbaris; hinc etiam ethnici Doctores, Philosophi, Oratores atque Poëtæ cum summa semper laude de ea disseruerunt, eamque omnibus summè commendârunt: *Cicero* illam vocitabat *fundamentum omnium virtutum*, & indicare volens, in quo consistat, dicebat, *Pietas est justitia erga Deos*, id est, bona habitudo tribuendi Deo id, quod ipsi convenit, scilicèt, omnem honorem, obsequium & amorem: de hac dicebat *Valerius Maximus*, *prima & optima rerum omnium natura est magistra Pietatis*; si quidem attendebat nullam in toto mundo reperiri gentem tam barbaram & incultam, in qua non vigeat aliquis alicujus Dei cultus, aliqua inclinatio ad Deum colendum, & ad Deum in suis necessitatibus refugiendum; quia verò ignorabat, undè hæc Pietas, seu inclinatio ad aliquod Numen venerandum, hominibus advenisset, non sciebat aliquid dicere meliùs, quàm quod natura eam homines docuisset, illisque ut magistra inculcasset. *Cicero* tanti

Adæ omnes virtutes innatæ & gratia infusa.

Pietas etiam inter ethnicos semper laudata.

Cicero pro plat. l. 1. de nat. Deor.

l. 5. c. 4.

Pietas omni genti innata secundum aliquem gradum.

Laus pietatis. faciebat hanc virtutem, ut sine illa existimaret genus humanum non posse subsistere; ideò dicebat: *Pietate ad Deos sublatâ, fidem & societatem de genere* l. 1. de nat. Deor. *humano, & unà excellentissimam virtutem, justitiam, auferri necesse est*; hinc abierat in proverbium inter Antiquos, *Pietatem loquere & disce*; utque omnes efficaciùs allicerentur ad eam cordi habendam, hortabantur passim omnes his verbis: *Esto pius, & Deum honora, & omnia facies ex divino instinctu*; Pii à Deo aguntur. quasi voluissent dicere, quòd pii in omnibus agendis & omittendis Spiritu Dei agantur; id quod non est mirum; isti enim sunt filii Dei, de quibus scriptum est, *qui Spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei*: idcircò etsi Philosophi gentiles utpotè non illustrati lumine fidei, ratione dumtaxat natu- Rom. 8. rali aliquam Pietatis umbram assequi valerent; attamen eam tanti faciebant, ut quotiescumque notarent aliquem specialiter Deorum cultui deditum, eum ut singularem amicum Deorum suspicerent, honorarent, & omnium venerationi commendatum vellent; quippè sibi persuasum habebant pios plurimum apud Deos posse; ita ut omni tempore vera fuerit sententia Ciceronis: *Pietas ab omnibus diligitur*, utque à Deo & hominibus. Pii etiam apud gentiles in honore. Cicero.

CAPUT II.

Pietas infidelium non prodest ad salutem; Pietas fidelium ad omnia utilis est; inveniebatur etiam in lege naturæ & Moysis.

Pietas infidelium informis, non prodest ad salutem. VErumtamen, vti dictum est, Antiqui destituti lumine fidei, nunquam potuerunt assequi veram Pietatem, sed solummodò tenuem ejus radium, vel potius umbram; quemadmodum omnes eorum virtutes non erant veræ virtutes, sed tantummodò umbræ virtutum; ac proindè eorum Pietas nihil proderat ad salutem, nam extra fidem veri Dei Quæ sit vera Pietas. nulla salus: & consequenter quædam alia perfectior Pietas requiritur in fidelibus, scilicet, excellens aliqua interna inclinatio, seu affectus ad omnia, quæ Deum immortalem, ejusque obsequium, beneplacitum, amorem, honorem aut gloriam possunt concernere, & promovere. De hac loquebatur Apostolus, dicens: *Est quæstus magnus Pietas cum sufficientia*; ad hanc 1. Tim. 6. ipse exhortans suum dilectum Discipulum *Timotheum*, ait: *Exerce teipsum ad Pietatem*; eique volens Pietatem summoperè commendatam, illi consu- Pietas ad omnia utilis. 2. Tim. 4. lebat potiùs quævis alia exercitia corporalia, puta, pœnitentias, jejunia, vigilias, cilicia & similia diminuere, quàm internam Pietatem negligere; nam, inquiebat, *corporalis exercitatio ad modicum utilis*, utique respectivè Pœnitentiæ non ita utiles. ad utilitatem & lucrum veræ pietatis: quàm putas illam esse utilem? res- 2. Tim. 4. 8. pondet

pondet Apostolus, *Pietas ad omnia utilis*; quod cùm ita sit, exhortando dico cum eodem Apostolo, *exerce te ipsum ad Pietatem*. 1. Tim. 4.

Vera hæc Pietas omni tempore eluxit in Justis; & quidem tempore legis naturæ elucebat in Pietate innocentissimus *Abel*, dum eius impulsu *Domino quoque obtulit de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum*: Pietas devoti Enos nobis à Spiritu sancto declaratur his verbis: *Iste cæpit invocare nomen Domini*: *Henoch* adeò excellebat in Pietate, ut jugiter ambulans in fide præsentiæ Dei, mereretur evehi à Deo in Paradisum, pro ut exprimit sacer Textus, *& cum Deo ambulavit, & non apparuit, nam sustulit eum Deus*, utique ad fruitionem Paradisi. Quid dicam de Pietate Patriarchæ *Noë*, propter quam Deus ipsi benedixit & filijs ejus? quid de Pietate Patriarchæ *Abrahæ*, qui per illam meruit illuminari circa mysterium sanctissimæ Trinitatis, dum tres Angelos hospitio suscipiens, *tres vidit, & unum adoravit*? quam pij exstiterint Patriarchæ, *Isaac* & *Iacob*, notorium est ex eorum sollicitudine in ædificandis ubique divino cultui altaribus, in frequentibus eorum ad Deum sacrificijs, &c. propter quæ etiam ad ipsos repromissio facta est, quod Messias de eorum semine nasceretur: *Loth* inter Sodomitas; *Iob* inter Idololatras & gentiles sese fideliter exercuerunt in omni Pietate; consideremus, qualiter *Iob* indies Deo sacrificia immolaret pro filijs suis; *ipse erat vir simplex, & rectus, ac timens Deum, custodiens se à malo*; atque ideò, etiam ex testimonio ipsiusmet Dei, *non erat illi similis super terram*.

Pietas in lege naturæ. Gen. 4. 4. Gen. 4. 26. Gen. 5. 25. Gen. 8. Iob. 1. Iob. 2. 3.

Porrò tempore legis scriptæ, seu Moysaïcæ non defuit in plurimis Justis sincera Pietas; consideremus *Davidem*, quem propter ejus Pietatem Deus vocabat virum secundùm cor suum; sanctissimus noster Pater, Propheta *Elias* in Pietate & zelo divini honoris adeò excellebat, ut de eo testetur Ecclesiasticus: *Surrexit Propheta Elias quasi ignis, & verbum illius quasi facula ardebat*. Nónne patuit summa ejus Pietas, dum per orationem suam fecit ignem descendere de cœlo super sacrificium, quo sic cor filiorum *Israël* ad cultum solius veri Dei iterùm converteret? deindè plurimi alij sancti Prophetæ & Reges manifestam suæ Pietatis probam passim dederunt; quales fuerunt *Ieremias*, *Isaias*, *Ezechias*, & similes; nominatim summus Sacerdos Dei *Onias*, cujus Pietati Sacra Pagina ascribit salutem, pacem, & tranquillitatem, quibus Urbs *Ierusalem* ejus tempore florebat unà cum exacta divinæ legis observantia; atque hæc omnia, *propter Oniæ summi Sacerdotis Pietatem*; propter quam fiebat, ut etiam externi Reges & Principes Sacra loca haberent in honore; his autem & similibus appropriare licet verba Ecclesiastici: *Laudemus viros gloriosos Patres nostros in generationibus suis, quorum Pietates non defuerunt*.

Pietas in lege Moyses. Pietas Eliæ. Eccle. 48. Pietas Oniæ. 2. Mach. 3. Eccl. 44. 10.

Hæc erat salutaris, ac Deo gratissima Pietas; nam etiamsi, tùm in lege natu- Eadem omni

tempore fuit fides & Pietas.

naturæ, tum in lege scripta, valdè pauci notitiam explicitam haberent mysterij sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis Messiæ, attamen in substantia tunc erat eadem fides, sicut nunc, in se implicitè complectens confessionem tam unius, quàm alterius Mysterij; & consequenter in substantia tunc erat eadem Pietas, qualis nunc.

CAPUT III.

Omnes omnium temporum fideles faciunt unam Ecclesiam, in nova tamen lege est gratia abundantior, & requiritur major perfectio.

Omnium temporum fideles faciunt unam Ecclesiam.

Etiamsi una & eadem fides ab initio mundi fuerit necessaria ad salutem, atque adeò omnes omnium temporum fideles unicam conficiant Ecclesiam Catholicam, in qua proinde eadem specie Pietas semper floruit, imò etiam eadem specie pia Vita in Christo, hoc sensu, quòd tam in lege naturæ, quàm in lege scripta Justi habuerint vitam gratiæ sanctificantis, vel etiam quaslibet gratias actuales per merita Messiæ promissi & venturi; sicuti nunc in lege gratiæ, Justi participant prædictas gratias per merita Christi, seu Messiæ, qui venit; ita ut JESUS Christus sit fons & origo omnium gratiarum, quæ unquam in ullo Justo fuerunt, sunt, aut erunt; attamen, eò quòd absconditum à sæculo mysterium Incarnationis filij Dei nunc multò clariùs revelatum sit, ita ut passim omnes, juvenes & senes de eo sint instructi, & iste fons gratiàrum nunc multò uberiùs influat in animas fidelium per septem scaturigines Sacramentorum, & alijs plurimis modis, (nam iuxtà testimonium sancti *Ioannis Evangelistæ, de plenitudine ejus nos omnes accepimus*) hinc est, quòd jam in lege gratiæ à nobis exigatur perfectior Pietas, seu magis pia Vita in Christo; cùm enim fides Incarnationis filij Dei nunc sit expressior, & multò clarior, atque notitia gratiæ Christi magis luceat in mentibus hominum; bene sequitur, quòd Pietas, seu pia Vita in Christo, id est, pia vita in meritis, & per gratiam Christi, nunc debeat esse singularior, expressior, perfectior, & ferventior in voluntate rationali: tempore legis naturæ, imò & Moysaïcæ parcè scaturiebat fons gratiæ, vixque invenire erat venas seu canales, per quos aquæ vivæ in animas derivarentur; neque enim Sacrificia & Sacramenta istius temporis in se continebant, nec ex opere operato conferebant gratiam, erantque velut egena elementa, quæ non sanctificabant animas, sed dumtaxat gratiam significabant; at verò nunc septem Ecclesiæ Sacramenta non solùm significant, sed etiam in se continent, & instar septem scaturiginum

Christus fons omnis gratiæ in nova lege uberior.

Ioan. 1. 16.

Requiritur jam major Pietas in fidelibus.

In veteri lege gratia parcior.

ginum fontis Christi, gratias etiam influunt & conferunt omnibus dignè & cum debita dispositione accedentibus; atque ideò lex Christi vocatur & est lex gratiæ.

Cùm autem Deus optimus maximus non aliâ intentione suas gratias communicet, quàm ut illis fideliter cooperemur, & vitam Deiformem, & divinam instituamus; certum est, quod quantò ampliores Deus largitur gratias, eò perfectiorem, pientiorem, virtuosiorem, & diviniorem vitam à nobis desideret; & consequenter jam in lege gratiæ requirit in suis fidelibus majorem perfectionem, & perfectiorem Pietatem, quàm olim: de hac Pietate propriè intelligitur, quòd ad omnia utilis sit, hîc & in altera vita; de hac enim asserit Apostolus, quòd *habeat promissionem vitæ, quæ nunc est*, nempè, vitæ gratiæ, in Christo; *& futuræ*, id est, vitæ gloriæ: quocirca hîc jam unumquemque ad hanc Pietatem exstimulare meritò possum cum Apostolo, *exerce te ipsum ad Pietatem, nam Pietas ad omnia utilis est.*

Intentio Dei dantis gratiam.

Pietatis utilitas.

2. Tim. 4.

Ibid.

CAPUT IV.

Religiosi vi suæ professionis tenentur tendere ad perfectiorem Vitam in Christo, quàm communes Catholici.

EX eo, quod jam diximus, facilè colligere est specialem obligationem Religiosorum ad perfectiorem Pietatem; utpotè qui ex singulari favore, à Deo vocati sint ad statum perfectionis, in quo, uti olim in Paradiso, scaturit uberrimus fons cælestium benedictionum & gratiarum, jugiter *irrigans universam superficiem terræ*, id est, animas religiosas, ut sicut *ligna fructifera*, *plantati* in Paradiso religionis *secus decursus aquarum* viventium copiosos *fructus* Spiritus proferant *in tempore suo*, unusquisque *iuxta genus suum*, id est, iuxta exigentiam sui instituti, ad quod à Deo vocati sunt: ibi illis ad manum est gratia specialis ad quodvis obedientiæ opus, ad quævis suorum votorum exercitia, ad singulas suarum Regularum & Constitutionum observantias meritoriè faciendas, cui gratiæ cooperando merentur & suo tempore accipiunt novam gratiam: & verò ad quid dantur & conferuntur tot gratiæ, nisi ut præ cæteris omnibus eluceant in pia Vita in Christo? hac de causa deberent specialiter omnes Religiosi sese deditos exhibere ad omne Dei obsequium, ad omnis generis devota exercitia, die ac nocte nihil aliud in mente volvendo, & in votis habendo, quàm quo modo in omni devotione crescere, in stabili cordis compunctione proficere, in orationibus vigilare, pro aliorum salute, Dei misericordiam invocare, puro corde soli Deo adhærere, illum in omnibus laudare, omnes

Religiosi tenentur ad majorem Pietatem.

Gen. 2. 6.

Quisque iuxta vocationem suam.

Religiosi ubique habent gratiam Dei ad manum.

Qualiter se in pia vita exercere debeant.

verbo & exemplo ad virtutem animare, & in viam salutis dirigere, omnes suas actiones ad majorem Dei, ejusque Matris gloriam componere, pectus suum cogitationibus sanctis munire, ad vulnera & merita Salvatoris in omni occasione confugere, eiusque virtutes & modum vivendi imitari meliùs possent; hæc quippe omnia & similia requiruntur in sincera & pia Vita in Christo.

Quo sensu Religiosi debeant tendere ad perfect.

Quin imò omnes Religiosi ad talem piam Vitam, vi suæ professionis graviter obligantur; atque, hoc sensu, ex communi Theologorum doctrina, tenentur sub peccato mortali indies tendere ad Religiosam perfectionem: qui verò aliter faciunt, se ipsos quærentes, sensualitates sectando, quæ in mundo sunt, amando, officia divina, meditationes, pias lectiones, salutares admonitiones, aliaque, id genus, Religionis exercitia, vel negligendo, vel cum tepore & acedia peragendo; parum vel nihil attendentes ad ædificativum (ad quem tenentur) agendi modum, ad vana effusi, ad superfluas & inutiles conversationes inclinati, multiloquijs, & divagationibus dediti, in solitudine tædiosi, temporis prodigi, nullam vel exiguam in divinis officijs consolationem invenientes, illorum abbreviationi & accelerationi studentes, de rebus ad spiritualem vitam conducentibus rarò loquentes, vel cum nausea audientes, &c. tales apertè manifestant sese non habere cordi piam Vitam in Christo, & consequenter non satisfacere gravi suæ obligationi tendendi semper ad majorem perfectionem; de similibus ait Doctor gentium, quòd sint *habentes speciem quidem Pietatis, virtutem autem ejus abnegantes*; siquidem tales secundùm apparentiam exteriorem, v. g. secundùm habitum, præseferunt speciem Pietatis, coram hominibus apparent Religiosi, vel vitæ spiritualis Professores, cùm coram Deo non sint; neque enim veram virtutem Pietatis in se habent (pro ut patet) sed eam potiùs abnegarunt, & per suam desidiam, & supinam negligentiam, ab animabus suis procul amandarunt: cum similibus convivere, vel conversari, nec utile, nec honorificum est, sed valdè perniciosum, ratione malorum, quæ dant, exemplorum in verbis, operibus & omissionibus. Quocircà Apostolus eos quasi digito demonstrans & fugiendos suadens uno verbo dicit, & ego cum illo, *& hos devita.*

Quinam Religiosi non tendant ad perfectionem.

2. Tim. 3. 5.

Aliqui tantum habent speciem Pietatis sine re.

C A-

CAPUT V.

Negligentes Religiosi versantur in periculoso statu, in peccato mortali, vel proximi, ut cadant in illud per subtractionem gratiæ.

DIcet forsitan aliquis; etsi non omnes Religiosi sint æquè ferventes; sed plures nonnihil tepidi, negligentes, pigri, & mente vagi, omnes equidem vivunt in Christo; nam à culpis gravioribus sese continent, & consequenter vivunt in statu gratiæ; ad hoc respondeo, primò, quod acedia *ex genere suo* sit peccatum mortale, & unum è septem capitalibus, atque sic in sua specie ita potest crescere, ut contrahat malitiam mortalem; quamvis autem præcisè dici nequeat, quandonam illam contrahat; attamen in talibus tepidis & negligentibus Religiosis, quales in capite præcedenti descripsimus (si tales aliquamdiu manserint, v.g. aliquot mensibus vel annis, absque eo, quòd vitam suam seriò satagant emendare in melius) timendum est, ne ex gratia exciderint, in malo statu vivant, & non in Christo, seu in ejus gratia: taliter enim vivendo, notabili tempore differunt satisfacere suæ gravi obligationi tendendi ad majorem perfectionem; cùm verò scriptum sit, *qui spernit modica, paulatim decidet:* non immeritò verendum est, tales esse de numero illorum, qui jam vel ceciderunt, vel casui sunt proximi.

Acedia ex suo genere est peccatum mortale.

In tepidis Religiosis facile est mortalis.

Quia non tendunt ad perfectionem.

Eccl. 19. 1.

Deindè, supposito, quòd sibi caveant à gravioribus peccatis, nec acedia in illis creverit usque ad malitiam peccati mortalis, & consequenter, dato, quòd adhuc sint in statu gratiæ, & hoc sensu vivant in Christo; illi tamen sunt in proximo, ut graviter incidant in laqueos diaboli, non solùm per peccatum acediæ & negligentiæ in illis, ad quæ, vi suæ professionis, graviter obligantur; sed etiam ex eo, quòd per multitudinem culparum venialium, v. g. negligentiarum, parvarum prævaricationum in observantia votorum, Regularum & Constitutionum suarum, per multas sensualitates, & alias, in quas indies scienter & volenter incidunt, imperfectiones (absque eo quòd similes culpas cum vera cordis contritione, & sincero emendationis proposito confiteantur) paulatim magis & magis à Deo deserantur, & destituantur efficacibus, actualibus, prævenientibus, & cooperantibus gratiæ auxilijs; quibus, in pœnam istarum negligentiarum & voluntariarum imperfectionum, subtractis, & aliundè vel à dæmone, vel à mundo, vel à propria perversa concupiscentia, superveniente aliquâ gravi tentatione; ecce isti velut inermes, spiritu debiles, &

Tepidi sunt peccato mortali proximi.

Propter subtractionem gratiarum in pœnam venialium peccatorum.

Tentatione victu succumbunt.

viribus

viribus gratiarum convenientium destituti, superantur, victi succumbunt, & consentiunt; sicque in illis verificatur, quòd, *qui spernit modica, paulatim decidet.*

CAPUT VI.

In Christo piè vivere oportet, & quid Ly piè importet.

EX prædictis satis superque liquet, quòd non sufficiat taliter qualiter in Christo vivere: quomodo ergo? oportet (notanter Religiosos) *piè* vivere in Christo; id est, sic oportet vivere in statu gratiæ, ut comitetur radicata, sincera, interna Pietas, seu habitudo stabilis, cordialis inclinatio, & sedula promptitudo ad quævis exercitia devotionis, ad opera virtuosa, ad divina obsequia, cum sollicitudine vitandi omnia impedimenta salutis, cum timore à gratia Dei deficiendi, cum seria voluntate indies in virtutibus & gratijs proficiendis: quare Apostolus de similibus loquens ait, *omnes, qui piè volunt vivere in Christo, persecutionem patientur?* non enim sine ratione dicit, *piè*; quasi nollet facere mentionem, de ijs, qui quidem aliqualiter vivunt in Christo, seu in statu gratiæ, sed non *piè*, pro ut anteà dictum est; quippè licet tales necdum sint mortui peccato, morti tamen peccati proximi sunt, modo superiùs mentionato; ac proindè Apostolus nolebat de illis loqui, sed dumtaxat de illis, qui dignè satagunt ambulare vocatione, quâ à Deo vocati sunt; qui totis viribus tendùnt ad perfectionem, ad quam se devoverunt; qui sedulo conantur, quotidiano virtutum exercitio, suas imperfectiones superare, &, isto sensu, piè vivere in Christo.

Quid sit piè in Christo vivere.

2. Tim. 3.

Non omnes viventes in Christo, piè vivunt.

CAPUT VII.

Multi vivunt in Christo, sed non omnes piè, aliqui tantùm nomine tenus.

PRout vidimus, multi vivunt in Christo, qui quidem à magnis sese peccatis abstinent, sed reservant adhuc effectum ad minora? alij verò etiam *piè* vivunt in Christo; illi scilicet, qui intenti gratijs prævenientibus, & concomitantibus, earum adminiculo etiam minimos defectus studiosè vitant, ita ut scienter & volenter, seu animo deliberato, ne vel in minimo vellent Deo displicere, quin potiùs omni diligentiâ satagant, quæ sunt placita coram eo, facere semper, quod si hinc, indè nonnihil deficiant, id solùm provenit ex mera fragilitate, vel inconsideratione.

Quinam piè in Christo vivant.

Alij

Alij solo nomine in Christo vivunt, & reipsâ vivunt extra Christum, privati ejus, etiam gratiâ sanctificante; illi nimirum, qui adhuc toti vivunt in natura, secundùm desideria carnis, sequentes concupiscentiam oculorum, & superbiam vitæ; quorum passiones adhuc sunt omninò vivæ & indomitæ, ac affectus inordinati, ad omne malum proni, multis vitijs coinquinati; hi interim nomen habent, quòd in Christo vivant, eò quòd sese exteriùs ut veros Christianos & Catholicos gerant, vel etiam sub honesto Religionis, seu vitæ spiritualis aut Ecclesiasticæ pallio delitescant; sicque exteriorem aliquam Pietatis speciem præ se ferant; verùm vita gratiæ illis deest: ad unum ex istis dicebatur in *Apocalypsi*, *nomen habes, quòd vivas, & mortuus es.* Tales adhuc multos invenire est, nempè rudes Christianos, vel etiam tepidos & negligentes vitæ spiritualis, aut clericalis Professores, qui gloriantur nomine Christiani, Religiosi, personæ spiritualis & piè in Christo viventis, non concordat vita cum nomine, nec professio censetur in opere; talibus durè & asperè loquens Salvator, ait, *væ vobis Scribæ & Pharisæi Hypocritæ; quia similes estis sepulchris dealbatis, quæ aforis apparent hominibus speciosa, intùs verò plena sunt ossibus mortuorum, & omni spurcitiâ; sic vos aforis quidem paretis hominibus justi; intùs autem pleni estis hypocrisi & iniquitate*; quod utinam his temporibus in veritate dici non posset & deberet plurimis, qui gaudent nomine & habitu piè in Christo viventium, quasi essent boni Christiani, vel etiam Religiosi, atque ut tales apparent hominibus, & reputari volunt; sed intus sunt pleni peccatis, pravis concupiscentijs, & sensualitatibus; ac passim carnis desideria perficiunt, viventes secundùm carnem, & non secundùm Spiritum.

Quinam solo nomine in Christo vivant.

Apoc. 3.

Matt. 23.27.

Væ Hypocritis & malis Religiosis.

CAPUT VIII.

Tepidi Christiani, & negligentes Religiosi assimilantur Filio prodigo; qualiter à Deo alienentur, & fiant bestijs similes.

QUid igitur de fictitijs istis pijs, solo nomine piè in Christo viventibus dicemus? Æquiparare eos licet filio prodigo, utinam etiam in pœnitentia & vitæ emendatione! Filius prodigus petitâ & obtentâ à suo Patre suâ parte hæreditariâ, *profectus est in regionem longinquam*; vbi cum *dissipasset substantiam suam vivendo luxuriosè, cœpit egere*, & egestate compulsus locavit se *uni civium regionis illius*, qui *misit illum in villam suam, ut pasceret porcos*; & procul aberat, ut haberet panem, quo saturaretur; nam *cupiebat implere ventrem suum de filiquis, quas porci manducabant, & nemo illi dabat*; magna sanè egestas, quâ pauper iste prodigus porcis miserior fiebat; quid consilij in

Luc. 15.

Miseriæ Filij prodigi.

hoc miserrimo statu? *in se reversus dixit; quanti mercenarij in domo Patris mei abundant panibus; ego autem hic fame pereo; surgam & ibo ad Patrem meum!*

Multi sunt Filij prodigi.

Charissimi, tales filij prodigi reperiuntur multi, & fortè plures ex illis, qui videntur in Christo vivere, sed reverà in ipso non vivunt, vel saltem non piè; quocircà parabolam istam moraliter hic explicabimus ad intentam materiam: Fratres, antequam Religioni nomen daremus, morabamur sine distinctione in communi domo Patris nostri cælestis, in Ecclesia militante; nos verò, nostrâ ibi sorte cum alijs communi, minimè contenti, postulavimus à Patre luminum *portionem substantiæ, quæ* ex divina providentia *nos contingebat*, id est, multis precibus postulavimus vocari ad aliquem statum, non ut hâc portione malè uteremur, sed animo operandi nostram salutem; & ecce, postulatio nostra non est passa repulsam, quippè vocavit nos Deus ad statum, v. g. Religionis, dedit nobis Pater cælestis portionem substantiæ nobis per divinæ Sapientiæ dispositionem ab æterno gratiosè præparatam, id est gratiam tribuit, quâ mediante viveremus dignè vocatione nostrâ.

Gratia vocationis est una portio filiorum Dei.

Multi imitantur Filium Prodigum.

Quinam & quomodò à Deo elongantur.

Sed quid accidit cum nonnullis? sæpè cum Filio prodigo proficiscuntur peregrè in regionem longinquam, & alienantur à Patre cælesti: nónne v.g. Religiosus proficiscitur in regionem longinquam, qui, non obstante gratia suæ vocationis, negligenter vivit? qui est incurius spiritualis sui profectus, qui in exercitijs Pietatis, & regularibus observantijs tædiosus est, qui loco, quòd appropinquaret Deo per ferventes meditationes, & intimas contemplationes, ab eo elongatur per cordis dissolutionem, per mentis evagationem, per effrenem affectum ad res creatas? imò revera, qui hujusmodi sunt, proficiscuntur à Deo in regionem longinquam; at quomodo à Deo, seu extra Deum? nónne ipse ubique præsens qui ait, *cælum & terram ego impleo*? de illo psallit Regius Propheta, *Si ascendero in cælum, tu illic es; si descendero in infernum, ades*; quomodo ergo quispiam à Deo potest elongari? moraliter loquendo per malam & negligentem vitam; verùm audite, quid Propheta prædixerit; ô Domine, *ecce, qui elongant se à te, peribunt.* Væ igitur talibus! & attendamus, an non subindè eorum nos numero veniamus aggregandi, ad nostram perniciem & confusionem; etenim verendum est, nonnullos, sensu dato, subindè proficisci in regionem longinquam: quid ibi faciunt? dissipant substantiam suam, id est, negligunt gratiam suæ vocationis, obliviscuntur suæ obligationis, quâ tenentur assiduè tendere ad majorem perfectionem; & ecce paulatim rediguntur ad egestatem, ad penuriam panis, & fame tabescunt ex mera sua culpa, quâ merentur à Deo paulatim deseri, & gratijs actualibus privari, quibus, ut pane usuali, confortari, vegetari, in tentationibus roborari, in virtuosis operibus confirmari debebant; atque utinam tandem etiam illis non subtrahatur gratia habitualis & sanctificans, quâ in Christo vivere oportebat!

Ierem. 23.

Psalm. 138.

Psalm. 72.

Elongati à Deo pereunt.

Qui dicantur dissipare substantiam.

Tepidi religiosi fame pereunt.

Quo sensu.

Ne-

Neque hîc sistit eorum miseria; sed subtracto illis pane filiorum, seu destituti Unctione & Confirmatione sancti Spiritus, privati omni satisfactione & consolatione in Domino, nec præsentes jugi & jucundissimo convivio bonæ conscientiæ, deficiunt à conditione filiorum, & à statu regali (*nam Deo bene servire regnare est*) imò à conditione hominum, comparati jumentis, & similes illis facti; undè & sese abjiciunt ad portionem brutorum, quærentes implere ventrem siliquis porcorum, quibus nec pro voto potiri possunt; equidem sensuales & animales homines, *non percipientes ea, quæ sunt Spiritus Dei*, sunt in familia æterni Patris instar porcorum, qui, ex perversa naturæ inclinatione, in sordibus rerum terrenarum voluptati, habent semper oculos fixos in terram, nunquam vel rarò ad cælestia spiritu sublevati, de quibus dicitur, *statuerunt oculos suos declinare in terram*: hi nauseant cibum filiorum Dei, puta spirituales exhortationes, pias lectiones, Sacramentorum devotas frequentationes, ferventes orationes & meditationes; de his panibus (quibus Filij Dei nutriuntur, & crescunt in viros perfectos) dicunt isti animales & tepidi, si non verbo, saltem facto, *anima nostra nauseat super cibo isto levissimo*; atque ideò, *non est bonum sumere panem* hunc *filiorum*, *& mittere canibus*, vel ante hos porcos; quin imò, quàm diu isti tales manent, à Patrefamilias cautum est, *nolite sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos, ne fortè conculcent eas pedibus suis.*

Deficiunt à conditione filiorum.

Comparantur porcis.

Ps. 16. 11.

Panis spiritualis Filiorum Dei.

Tepidi illum nauseant.

Num. 21.

Matt 15. 26.

Matt. 7. 6.

At undè hæc nausea causatur in animabus etiam à Deo ad piam vitam vocatis? Charissimi, cor hominis aliqua debet re delectari, neque hæc vita transigi potest sine aliqua consolatione, delectatione & satisfactione, sive in spiritualibus, sive in sensualibus; quando homo delectationem quærit in transitorijs, & mundanis aut sensualibus, tunc concipit nauseam à spiritualibus & divinis; nam delectationes spirituales & sensuales invicem contrariantur; quocircà ubi una est, altera cedat, & evanescat necesse est, & ubi est appetitus ad unam, oritur nausea ad aliam: hic jam datur optio, utram eligere lubeat; ad quam optionem ritè faciendam, attendere oportet, quid melius? an instar brutorum in sordibus sensualium voluptatum, & vanarum delectationum volutari, vel cum Angelis & animabus devotis, in spiritualibus & cælestibus castè ac stabiliter delectari, atque jugi convivio securæ mentis recreari? indubiè, si qui hactenus Filium prodigum secuti sunt in dissipanda sua substantia cum alienatione mentis à Patre celesti, jam tempus est, ut cum eodem, tandem in se conversi, surgant & redeant ad Patrem, melius deinceps cooperaturi gratiæ vocationis suæ, omninò præstat sese continere in domo Patris sui, & frui pane Filiorum; hoc enim faciendo gratiam ampliorem merebuntur, & cognoscentur piè vivere in Christo.

Vnde nausea rerum spiritualium.

Delectatio spiritus contrariatur delectationi corporis.

Oportet imitari filium prodigum in sua conversione.

CAPUT IX.

Christus instituit Sacramenta tamquam optima media ad piè in Christo vivendum, singula ad proprium finem.

Cur Christus instituerit Sacramenta.

SAlvator noster nihil æquè desiderans, & sitiens, quàm salutem animarum, & summoperè exoptans, ut omnes homines in ipso, id est, in gratia ipsius viverent, noluit deesse in procurandis seu ordinandis opportunis & convenientibus ad hoc remedijs: atque in istum finem instituere dignatus est septem Sacramenta, tanquam septem gratiarum fontes, undè possent omnes homines haurire salutem à Domino: & quidem Baptismus est velut janua, per quam intrare planè necesse est ad piam Vitam in Christo; quippè in illo lavacro vitæ, homo abluitur à macula peccati originalis, & vi illius, non solùm homini infunditur gratia sanctificans cum Fide, Spe, & Charitate, cæterisque virtutibus, sed insuper tribuitur jus ad multiplices gratias actuales, quæ in decursu vitæ sunt necessariæ, ad hoc, ut quis permaneat pius Filius sanctæ Matris Ecclesiæ; ac in observantia Mandatorum Dei fideliter perseveret, declinando à malo, & bonum faciendo: porrò quia mutabilitati & multæ fragilitati subjectus est omnis homo (nam *proni sunt sensus hominis in malum ab adolescentia sua*) ac proindè in pravis incursibus variarum tentationum non esset satis fortis & robustus ad illis resistendum, statim ac illi illucescere incipit lumen & usus rationis, ecce, ex institutione Christi, ad manum habet Sacramentum Confirmationis, ut per illud, veluti tyro militiæ Christianæ, muniatur & roboretur ad fœliciter colluctandum cum diabolo, mundo & carne; in susceptione siquidem istius Sacramenti præter gratiam sanctificantem, acquirit novum jus ad gratias cooperantes, quæ conferentur, dum aliqua tentatione impugnabitur, ut earum adjutorio illam possit superare.

Finis & effectus Baptismi.

Finis & effectus Confirmationis.

Finis & effectus Sacramenti Pœnitentiæ.

Præterea cum tanta sit hominibus innata fragilitas, ut multi, non obstantibus his omnibus gratijs confortantibus, adhuc subindè succumbant, & Pietatem, imò etiam Vitam in Christo, per consensum in peccatum, amittant; ecce Benignitas Salvatoris nostri JESU Christi, de ulteriori remedio provisum voluit per institutionem Sacramenti pœnitentiæ, quo mediante, lapsi rursus erigerentur, peccato mortui ad vitam gratiæ resuscitarentur, naufragium passi ad portum salutis emergerent, læsi sanarentur, & iuribus ad gratias actuales, suprà mentionatis restituerentur; quin insuper novis gratijs donarentur, quibus deinceps efficacius peccata vitent, & in pia Vita in Christo magis assecurentur.

Deindè

Deindè, sicuti corporalis vita in nullo vivente creato conservari potest, sine aliquo pabulo & nutrimento, pro ut patet in plantis, brutis & hominibus, ita etiam pia Vita in Christo indiget aliquo nutrimento spirituali; id quod optimè sciens Salvator noster, ex infinito erga homines amoris affectu, adinvenit, & ordinavit sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, dando in illo sacratissimum suum Corpus in cibum, & prætiosissimum suum Sanguinem in potum, ut homines divinâ illâ escâ & potu refecti, spiritualiter nutrirentur, & in pia vita confirmarentur: ibi accipiunt in se Fontem omnium gratiarum, qui in illis exundat juxta eorum capicitatem & dispositionem; eo mediante crescunt in Fide, Spe, & Charitate; ibi acquirunt incrementum omnium gratiarum, ut excrescant in viros perfectos, Christi-formes, & divinos, sicque piè in Christo viventes unus cum ipso spiritus fiant, & per amorem unitivum in illum transformentur. Finis & effectus S. Eucharistiæ.

Quid dicam de Sacramentis Ordinis & Matrimonij? videtur, quod Christus Filijs sanctæ Matris Ecclesiæ non solùm voluerit providere de omnibus extra aliquem stabilem statum, ad piam vitam utilibus & necessarijs; sed præterea eis in aliquo statu vivere volentibus de dote aliqua providit, & de bonis, quibus vivere honestè queant in statu, quem juxta ejus Beneplacitum & inspirationem susceperint; nam si à Deo vocentur ad statum Ecclesiasticum alicujus Sacri Ordinis, aut Sacerdotij; ecce dos eorum parata est, & honorarium munificum, scilicèt gratia Sacramentalis Sacramenti Ordinis, quæ nihil est aliud; quàm gratia sanctificans, quatenus connotat multas alias gratias actuales, velut totidem media & bona dotalia, ad competenter & statu illo Angelico dignè vivendum; quod si à Deo trahantur ad statum matrimonialem, cum ille sit nonnihil periculosior, voluit Salvator contractum matrimonialem elevare ad esse Sacramenti, quatenus tali modo ipsis conjugatis prospiceret de spirituali honorario nuptiali, imò de bonis dotalibus (volo dicere) de gratia Sacramentali, quæ præter gratiam sanctificantem, etiam complectitur plures gratias actuales, quæ veluti certi redditus suo tempore solventur, ipsisque conjugibus conferentur, non solùm ad concupiscentiæ ignem temperandum, & simul pacificè & piè in Christo vivendum, sed etiam ad proles piè & Christianè educandas, & de pia Vita in Christo debitè informandas. Finis & effectus Ordinis. Et Matrimonij.

Cùm autem parum prosit pluribus annis piè in Christo vivere, nisi perseverantia adferat coronam; hinc est, quod benignissimus Salvator conscius, quia humani generis hostes omnibus modis, conatibus & industrijs ad hoc principaliter conspirant, ut perseverantiæ coronam in fine vitæ deprædentur, in quem finem tunc suos assultus, insidias, & impugnationes multiplicare solent, ita ut tunc in isto periculosissimo agone, ac ultimo Extremæ Vnctionis.

generali assultu laborantes multò fortioribus & efficacioribus gratiæ auxilijs egeant muniri & roborari, ad hoc, vt finalem victoriæ palmam reportent, & accipiant coronam vitæ, noluit hîc quidquam deesse; ac proindè eâ intentione instituendum censuit Sacramentum extremæ Unctionis, ut fideles agonizantes spiritualiter ad luctam ungerentur, & gratias opportunas consequerentur, ad agonem illum victoriosè consummandum, & post vitam hîc piè in Christo transactam vitæ coronam consequendam in cœlo.

CAPUT X.

Qualiter Sacramentum pœnitentiæ piè frequentandum sit; & instructio ad veram contritionem, perfectam confessionem & satisfactionem.

IAm declaravimus, quomodò pia Vita in Christo valdè congruè acquiratur, foveatur, & assecuretur per Sacramenta à Salvatore in istum finem misericordissimè instituta; sed cum plurimùm referat, si illis cum debita dispositione & modo utamur; utile futurum dûxi, hîc annectere compendiosam instructionem ad Sacramentalem Confessionem, & ad sacram Communionem, utpotè quæ Sacramenta præ cæteris sæpius frequententur.

Quomodo ad Confessionem se præparare oportet.

Quod concernit Sacramentum Pœnitentiæ; dum voles confiteri, diligenter cave, ne id facias ex consuetudine, vel humano respectu; ne loco, quod te cum Deo reconciliares, ipsum per tuam confessionem magis offendas, vel te exponas periculo malæ confessionis; sed accedas ad sacrum hoc tribunal ex pura devotione, cum humili contritione, & firmo proposito emendandi ea, quæ intendis clavibus subjicere, & à quibus absolutionem cupis obtinere; cave aliquid confiteri, de quo non sincerè doles, vel quod emendare seriò non proponis; nam supposito, v. g. quod confitearis tria peccata venialia, & de nullo illorum doleas, sed affectum adhuc ad illa retineas, loco bonæ absolutionis obtinendæ committis peccatum mortale sacrilegij; eo quod formæ absolutionis non subjicias materiam idoneam ex tua culpa, sicque sis in causa, quod Sacramentum non subsistat; quod si tria venialia confitearis, sed duorum dumtaxat te pœniteat cum proposito emendationis, at non tertij; sic confitendo peccas venialiter, eò quod pro parte suppedites materiam inidoneam, scilicèt, tertium peccatum veniale sine contritione & proposito emendationis; sicque causes, quod forma absolutionis pro illa parte sit irrita: quod si aliquod peccatum mortale subjicias sine contritione, redis sacrilegus.

Quæ cavenda, ne malè succedat Confessio.

Quo-

Quocircà maturè considera, quid velis confiteri, semper memoriâ tenens, tres partes ad Sacramentum Pœnitentiæ desiderari, scilicèt, veram de peccatis contritionem, integram eorum confessionem, & satisfactionem, quæ partes, vel quarum una, si ex tua culpa deficiant, tibi imputabitur ad peccatum. *Tres partes Sacramenti pœnitentiæ.*

Quantum ad contritionem, Sacrum Consilium Tridentinum dicit, quod sit *dolor animi, & detestatio de peccatis, cum proposito non peccandi de cætero*; & quamvis imperfecta contritio (quæ provenit ex consideratione turpitudinis peccatorum; pœnarum inferni, aut iacturæ æternæ gloriæ) ad sanctificationem cum Sacramento sufficiat (sed non sine Sacramento) nihilominùs assuescere oportet eliciendis actibus perfectæ contritionis, quæ est dolor & detestatio peccatorum propter Deum summè diligendum; hæc contritio extendi debet ad omnia peccata mortalia, sive scienter, sive inscienter commissa; quod si etiam extendatur ad omnia peccata venialia, etsi pauca ex his confitereris, equidem omnia simul remittentur, etiam ea, quæ non confiteris, nempè hæc indirectè, & ea, quæ confiteris, directè: atque hoc etiam verum est de contritione imperfecta, seu attritione, modò cum Sacramento Pœnitentiæ extendatur ad omnia peccata commissa. Perfecta contritio procedere debet ex perfecto amore Dei super omnia, esséque appretiativè summa, id est, talis, ut per eam magis doleas & detesteris peccata, quam quidquid detestabile est; sic ut malles quæcumque mala sufferre, quàm Deum summum Bonum adhuc offendere; quocircà dum piè voles confiteri, assuesce elicere hunc vel similem actum contritionis: *Domine Deus meus, ex toto corde doleo de his, & omnibus meis peccatis, quæ unquam commisi, idque quia tibi displicent, qui es summum bonum, & omni amore dignissimus, ac propono firmiter me cum gratia tua emendare.* *Trid.* *Quid contritio.* *Imperfecta cum Sacramento sufficit.* *Quid contritio perfecta & qualiter ad peccata extendi debeat.* *Perfecta contritio debet esse appretiative summa.* *Actus perfectæ contritionis.*

Quod spectat ad confessionem; eam oportet facere legitimo Sacerdoti, habenti potestatem te absolvendi: necesse est semel confiteri omnia peccata mortalia post Baptismi susceptionem commissa, tam interna, quàm externa; idque, licet vi perfectæ contritionis, vel actus amoris Dei super omnia jam anteà fuissent remissa: quantum ad venialia, ista non sunt materia necessaria confessionis; ideò qui solet sæpius confiteri, & rarò vel nunquam in se deprehendit conscientiam peccati mortalis, is non indiget multo tempore pro examine conscientiæ, & quamvis post confessionem deprehendat sese multa omisisse confiteri, non est, quod ideò turbetur, vel sacram Communionem omittat: verumtamen valdè consultum est, & utile, ante confessionem elicere actum perfectæ contritionis, non solùm de peccatis, quæ vis confiteri, sed etiam de omnibus venialibus, quæ memoriæ non occurrunt, vel brevitatis causâ sponte omittis; nam tali modò etiam de illis indirectam absolutionem accipies; cave etiam alia confiteri, *Quomodò sit confitendum.* *Non opus est omnia venialia confiteri.* *Quis actus contritionis de venialibus eliciendus.*

quàm

quàm de quibus doles, & emendationem seriò proponis, ob rationem iam anteà dictam.

Porrò, quo te dignè præpares ad Sacramentalem Confessionem, eâque utaris tamquam medio opportuno ad piam Vitam in Christo assecurandam, utere hac praxi; antequam te confessioni applices, deprecare Deum humillimè per Passionem & merita Christi, ac per intercessionem Matris amabilis, quatenus te dignetur illuminare, ut distinctè videas peccata tua, tibique infundere perfectam contritionem de omnibus peccatis tuis parvis & magnis, cognitis & incognitis, cum firmo proposito non peccandi de cætero; hîc uti juvabit his, vel similibus precatiunculis, *illumina, quæso Domine, oculos meos, ne unquam obdormiam in morte*, * *Illumina tenebras meas, ut videam quid desit mihi*; vel confugias ad Patrem luminum, vel ad Salvatorem tuum, qui dicebat: *Ego sum lux mundi*; vel ad dulcissimam Virginem MARIAM, ut ipsa te doceat, & juvet elicere perfectum dolorem de omnibus, etiam occultis peccatis, ac debitè confiteri: hæc autem omnia debent fieri cum profunda humilitate, & humili ac cordiali desiderio, ut à Deo per merita Christi & Virginis Matris juvêris; ex corde agnoscens te, tuis viribus, à peccatis non posse resurgere, nisi à Deo juvêris, conscientiâ tuâ tali animo debitè examinatâ, excitatâ de peccatis tuis contritione cum sincero proposito emendationis, accede ad Confessarium, & fac confessionem tuam paucis, distinctis & claris verbis, dicendo certa pro certis, incerta pro incertis, dubia ut dubia, sicque corde humili & contrito exspecta absolutionem, & accipe pœnitentiam, quàm tibi injungere, Confessario visum fuerit.

Orandum pro gratia contritionis.

Psal. 12.4.

Psal. 17.29.

Ioan. 8. 12.

Sine gratiâ non possumus dolere de peccatis.

Denique sis sollicitus, ut injunctam à Confessario pœnitentiam quamprimùm devotè impleas, certò credens, illam, etsi fortè parvam, esse meritoriam ex opere operato, seu ex efficacia Sacramenti, & consequenter multò magis satisfactoriam pro pœnis peccatorum restantibus, quam alia pœnitentiæ opera ex proprio arbitrio assumpta: hic jam tempus est, cum gaudio aquas gratiarum hauriendi de fontibus Salvatoris, immortales ei gratias agendo de immensa ejus bonitate & clementia, quâ illud Sacramentum instituere dignatus est, ut in eo tibi concederet remedium te cum illo reconciliandi, dum eum offendisti; ut tibi acciperes velut aureos nummos gratiarum Sacramentalium, quibus divinæ Justitiæ solveres debita, quæ peccando contraxeras, &c. atque indubiè, sic faciendo, experientiâ disces, quòd Sacramentum Pœnitentiæ tibi mirabiliter serviet ad piè vivendum in Christo.

Pœnitentia Sacramentalis quomodo implenda.

Et satisfactoria vi Sacramenti.

Bonitas Christi in hoc Sacramento.

CA-

CAPUT XI.

Qualiter se ad Sacram Communionem præparare, in ejusdem sumptione, ac posteà gerere oporteat ad Vitam in Christo spiritualiter fovendam & sustentandam.

CUm omnes Iusti in Christo vivant per gratiam sanctificantem quam per ejus merita consecuti sunt, nihil illis æquè charum & gratum esse debet, quam sumere conveniens nutrimentum pro ejusdem vitæ in Christo sustentatione: porrò ad eam sustentandam Salvator dat seipsum in augustissimo Eucharistiæ Sacramento; quocircà dum ad Sacram hanc Mensam accedis, sistas te tibi ut famelicus & sitibundus, summè anhelans tanquam ad spirituales nuptias, in quibus tibi vesci licet Pane Angelorum, & Corpus Christi in cibum, ejusque Sanguis in potum, tibi misericordissimè conceduntur, quò sic piè in ipso vivere queas. S. Communio est nutrimentum animæ.

Pro debita ad hujus Sacramenti susceptionem præparatione, necessaria est conscientia ab omni noxa mortali libera; quare si conscius sis alicujus peccati mortalis, ne præsumas accedere sine dolorosa confessione prævia, ne *judicium tibi manduces & bibas non diiudicans Corpus Domini*; quod si conscientia peccati mortalis te non remordeat, & opportunum non fuerit, vel tempus non exegerit confiteri quotidianas tuas imperfectiones; ne obliviscaris equidem exercere actum perfectæ contritionis de illis, vel amorem Dei super omnia; quò sic animam tuam emundes, & gratam divino hospiti mansionem præpares, imò etsi tantum eliceres imperfectam contritionem, illa cùm Sanctissimo hoc Sacramento sufficiet ad eluenda omnia, de quibus doles, venialia. Dum Salvator noster in ultima cæna vellet disponere suos Discipulos ad sumptionem sui Sacratissimi Corporis & Sanguinis, lavabat eorum pedes; quod cum Apostolus Petrus ex humilitate semel recusasset permittere, sed posteà Salvatore dicente: *Si non lavero te, non habebis partem mecum*, præmeretur, consentiens dicebat, *Domine, non tantum pedes, sed & caput, & manus*; verum Christus respondebat: *Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet*; volens per hoc nos instruere, quòd qui à peccatis mortalibus mundam habet conscientiam, pro præparatione ad Sacram Communionem nihil aliud debeat agere, quàm pulverem pedum suorum, id est, peccata venialia (quibus ut pulvere anima nostra, durante hac vitâ, indies inquinatur) vel per aquas pœnitentiæ Sacramentalis, vel per veram contritionem abluere. Conscius peccati mortalis vel dubius non potest communicare. Cùm dolore de venialibus sine Confessione communicare licet. Ioan. 13. 8. Ibid. Quomodo venialia abluenda.

Prætereà tamen pro convenientiore dispositione, satage in te excitare vivam Præparatio

ad Communionem per fidem &c. vivam fidem circa mysteria in hoc Sacramento abscondita; & pro viribus excludens omnes impertinentes cogitationes; in firma te fiducia, ac ferventi dilectione exercens, cùm summa devotione, & humili tui nihili, & divini istius hospitis agnitione sume de manu Sacerdotis Sacram Hostiam, sinens cum omni reverentia illam ad intima tua descendere; unicum enim istius hospitis desiderium est, te ibi pascere, nutrire, illuminare, consolari, totius animæ tuæ regimen suscipere, sicque sui hospitij jura luculentissimè solvere; dummodò illum sinas agere, nec ullum ex parte tua impedimentum ponas.

Per recursum ad B. Virginem. Idcircò stude illum amorosè excipere, & cum sis pauper, nec ornatus virtutibus & gratijs, humiliter eum deprecare, ut animam tuam exornare dignetur prætiosis monilibus suarum virtutum, & divinorum Charismatum; quippe fateri debes, nihil in te esse tantâ Majestate dignum; ne tardes etiam confugere ad Matrem gratiæ, quatenùs, sicut olim in nuptijs Canæ-Galileæ procuravit vinum, ita in his spiritualibus epulis, maternâ suâ sollicitudine, procurare dignetur vinum divini amoris, ut aquæ pessimæ tuæ naturæ mutentur in novum hominem, qui secundùm Deum creatus est; non parum etiam proderit invitare alios Sanctos, præcipuè tuos Ad Sanctos. Patronos & Angelum tutelarem ad societatem tanti hospitis, eorum patrocinium interpellando ad aliquam gratiam tibi magis necessariam impetrandam; vel etiam quasi ab ipsis mutuo & commodato petendo eorum virtutes & gratias in ornamentum animæ tuæ, summè desiderans, cùm tali præparatione, devotione, humilitate, fervore, cordis puritate, & charitate hoc Sacramentum sumere, quali ipsi, & notanter Mater amabilis, illud in vita sua sumere solebant; instanter etiam benignissimo hospiti supplica, dicendo: *Mane nobiscum Domine, quoniam, absque te, advesperasceret, & inclina-* Luc. 24. *retur dies tua gratiæ apud me.*

Occupatio post Communionem. Post Sacram Communionem, *omni custodiâ serva cor tuum*, & recollige omnes vires animæ tuæ, quo fias idoneus audire divinas ejus inspirationes; dic illi: *Loquere Domine, quia audit servus.* Beatus autem eris, si regimen ani- 1. Reg. 3. mæ tuæ suscipere dignetur; dum enim ipse ex toto *reget te, nihil tibi deerit,* Psalm. 22. *in loco pascuæ, ubi te collocavit*; quippè ditaberis copiosis gratijs, quibus dignè vivas vocatione, & statu, ad quem Deus te vocavit; tunc tibi adveniet regnum Dei, imò tota supersanctissima Trinitas ad te veniet, & mansionem in te faciet; & quidem, si nullum in te impedimentum invenerit, Pater suâ omnipotentiâ fragilitatem tuam fulciet; Filius suâ Sapientiâ tenebras tuæ ignorantiæ pellet; Spiritus sanctus suâ bonitate malitiæ tuæ medebitur; Sacra Christi humanitas veluti fons uberrimus omnium gratiarum, te irrigabit & sanctificabit; ad quos effectus consequendos, profuerit tam sanctissimam Christi humanitatem, quàm tres divinas Personas hu-

mil-

imè deprecari. Talia autem exercitia non solùm oportet cordi habere lico post Communionem tempore, sed ulteriùs etiam aliquo modo totum diem, cum sollicitudine servans cor tuum ad Deum introver- per aspirationes, & animæ tuæ recollectionem; quod faciendo indu- multùm proficies in Spiritu Christi, cresces in omni gratia, & piam am in Christo congruè conservabis. Etiam per totum d.

CAPUT XII.

Diversi alij modi, piè & fructuosè Communicandi.

1 Asu quo fortassis adhuc alias devotè Communicandi praxes ad ma- num habere desideres; attendere potissimùm oportet ad internam Un- nem & directionem Spiritûs; subinde agere poteris partem Filij prodi- ad Patrem revertentis, volentis deserere siliquas porcorum, id est, bo- errena, & carnis voluptates (in quibus homines animales volutantur, t porci in luto) atque esurientis & anhelantis ad panem filiorum: non- Communicans se gerit subinde ut Filius Prodigus ad Patrem.
quam te gerere licebit instar pauperis & egeni, præ fame & siti ferè mor- , ac semi-nudi, ut ibi invenias cælestem illum eleëmosynarium, *qui di- st in misericordia in omnes, qui invocant illum*, & nihil quærit aliud, quàm ib atis suæ clementiæ recipere, benignè fovere, & ditare; ubi conse- nter te exercebis in affectibus & alloquijs, quibus utebatur Filius pro- is ad suum Patrem, & uti solet pauper & egenus ad divitem. Vt pauper ad divitem. Eph. 2. 4. Rom. 10. 12.

ubinde juvabit te gerere instar debitoris ære alieno gravatissimi, qui habens, undè creditori satisfaciat, humillimè rogat sibi debitum re- :i, vel ad solutionem non urgeri, dicens Domine *patientiam habe in me, mnia reddam tibi*; ita tamen, ut tu priùs mihi dones, unde sim solvendo, à me ipso nihil omninò habeo. Vt gravatus debitis ad creditorem. Matt. 18.

Aliquando imitaberis graviter læsum, vel lethaliter infirmum, sollicitè rens, & in Sacra Eucharistia sperans invenire expertissimum Medi- , cui te cum certa fiducia recuperandæ sanitatis, curandum commit- ipsi in istum finem manifestando omnes infirmitates tuas, & earum inem; vulnera item detegendo, quo sic pro singulis convenientia em- ra, & remedia recipias, ex parte tua etiam obedientiam & fidelitatem nittendo, etsi ordinarentur incisiones, potiones amaræ, pœnitentiæ, am, mortificationes, & quævis ardua virtutum exercitia. Vt læsus & infirmus ad medicum.

liàs accede ut cervus sitiens ad fontem aquarum viventium, extremè lerans, ut fons omnium gratiarum, quem Communicando in te acci- in anima tua superefffluat, & sitim tuam extinguat. Vt cervus ad aquas.

otes etiam ad Sacram Synaxim accedere in qualitate cœci nati, qui Vt cæcus ad

illuminantem. Marc. 10. 51. interrogatus, quid vellet, respondit, *Domine, ut videam*; vel tamquam à dæmone possessus vel vexatus, ut libereris: vel ut leprosus, ut munderis; vel ut paralyticus, qui non potens se movere, rogat pro recuperando usu membrorum suorum ad obsequium Dei: vel ut claudus, ut consolidentur plantæ pedum tuorum ad currendam viam mandatorum Dei: vel ut totus hebes & stupidus in rebus salutis, ad præceptorem divinum, qui te instruat in omnibus ad salutem necessarijs; siquidem vadis, recepturus increatam Sapientiam æterni Patris, de quo Pater ait: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui, ipsum audite*; cui æterni Patris voci obtemperando, quoties ad Sacram mensam accedis, toties quasi scholam & optimum Magistrum frequentas, & fiducialiter dicere potes, *loquere Domine, quia audit servus tuus, &c.* intereà oportet te exercere in devotis colloquijs, in pijs affectionibus, & ferventibus desiderijs, quæ potissimum conveniunt personis, quas vis repræsentare: v. g. in alloquijs, affectibus, desiderijs, quæ solent inveniri in bono discipulo, claudo, paralytico, leproso, energumeno, cæco, sitibundo, læso, infirmo, &c. Quæ si facias, valdè salubriter, & utiliter hoc pane cœlesti pascêris, qui tibi serviet pro spirituali pabulo, seu nutrimento, pro medicina efficaci, pro remedio regio ad omnia, quæ ad piam Vitam in Christo necessaria, vel utilia esse possent: porrò, qualiter mediante hoc Sacramento in Christo vivere oporteat, & de exercitijs ante & post Communionem faciendis, sicuti etiam de fructibus illius, Deô adjuvante, adhuc latiùs agemus, dum posteà sermo erit de pia Vita perfectorum in Christo.

Vt leprosus, vel paralyticus.

Vt discipulus ad Magistrum.

Matt. 3.

Quales affectus exercere oporteat.

CAPUT XIII.

Quid sit Meditatio seu Oratio mentalis, & quomodo incipientes & proficientes eam exercere debeant.

Pietas ut ignis eget pabulo. PIetatem jure merito, igni comparare licet, quo animæ devotæ paulatim magis ac magis accenduntur in amore Dei: hunc ignem multis modis & medijs fovere possumus, inter quæ facilè potissimum est oratio mentalis, seu Meditatio, sine qua fomes pietatis facilè extinguetur; ac proindè animæ devotæ eam quotidie fideliter exercere debent. Vis scire, quomodo? paucis edicam.

Meditatio est ejus fomentum.

Meditatio describitur. Suppono, quod Meditatio nihil sit aliud, quàm mentalis scrutatio, seu discursus intellectualis ad inquirendam aliquam veritatem, eo fine, ut, acquisitâ seu cognitâ veritate, malum vitemus, & bonum amplectamur; sic ut operatio intellectus nobis servire debeat instar canis venatici ad investigandam

Intellectus est instar canis venatici.

gandam veritatem, eamque deprehensam voluntati rationali tradendam, ut eâ pro sua utilitate & bono utatur; quod si iste canis venaticus adferat veritatem, v. g. turpitudinis & damni peccatorum; voluntatis est illam veritatem apprehendere, ad peccata cum omni diligentia vitanda, juxta monitum Ecclesiastici, *quasi à facie colubri fuge peccatum*: si ille canis adferat pro præda veritatem pulchritudinis & utilitatis virtutum; voluntatis est illam veritatem recipere ad virtutes strenuè exercendas, & sic de alijs: vel etiam, cum ex sententia Philosophorum: *Voluntas sit potentia cæca*, dic, quod operatio intellectus eidem servire debeat pro facula, seu luce, ut videre possit, quid declinare, & quid aggredi oporteat, quo viam perditionis fugiat, & viam salutis inoffenso pede percurrat. Hoc supposito, dum meditari voles, utere hoc modo.

Eccl. 21. 2.

Vel instar facis voluntati prælucentis.

Imprimis, antè meditationem prælege materiam aliquam, quâ intellectum, & consequenter voluntatem occupare desideras; in principio quidem tuæ conversionis materia illa versabitur circa quatuor novissima, circa vanitates & fallacias mundi, circa brevitatem vitæ præsentis & æternitatem, circa turpitudinem peccatorum, &c. postmodum circa pulchritudinem virtutum, circa gaudia beatorum, circa vitam, Passionem, mortem, Resurrectionem, &c. Domini nostri; ipse namque est perfectissimum exemplar omnium virtutum, nobis ad imitandum propositum; *exemplum*, inquit, *dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis*; ne omittas etiam, meditari de vita & virtutibus Divæ Virginis, tanquam Matris tuæ summè amabilis, quàm debes & desideras imitari, quo sic eius favore, intercessione & amore dignus efficiaris: dum autem jam, firmatâ in bono voluntate, fideliter declinabis à malo, & facies bonum, licebit Meditationes instituere circa attributa Dei, v. g. circa ejus omnipotentiam, sapientiam, bonitatem, misericordiam, dilectionem erga electos, &c. pro ut experieris, vel judicabis spirituali tuo profectui magis convenire, quo te efficacius ab omni specie mala abstrahas, in omni opere bono abundes, & in sincero Dei amore indies magis proficias; in quo multum proderit, sequi consilium alicujus Patris spiritualis in ijs, quæ sunt Spiritûs Dei, versati & experti.

Ante Meditationem prælegenda materia.

Qualis materia conveniat.

Ioan. 13.

Deinde, dum jam tempus meditandi advenerit, implora ferventer gratiam Spiritûs sancti, quatenus dignetur mentem tuam illuminare, & voluntatem tuam ad bonum accendere.

Invocanda gratia Dei.

Tertiò, exerce te in fide divinæ præsentiæ, in firma erga Deum fiducia, & in ejus dilectione. Quo facto.

Exercenda Fides, Spes, Charitas.

Quartò, incipe meditari materiam prælectam, aut præconceptam, circa eam mente discurrendo, examinando, & ruminando, donec voluntas piè moveatur aliquâ bonâ affectione, v. g. contemptu mundi, odio peccatorum,

Operatio Intellectualis quomodò facienda.

 timo-

timore Dei, ejusque judiciorum, desiderio virtutum, vel Christum imitandi in vita & Passione, vel te ipsum in omnibus abnegandi; amore Dei & proximi, gratitudine pro beneficijs à Deo acceptis, & similibus; quos affectus, ubi senseris, conaberis continuare & fovere, illis, quàm diu poteris, inhærendo, cùm sint potior pars Meditationis, ad quam discursus intellectualis ordinatur, ac proindè, illâ obtentâ, intermitti potest, & flaccescente, resumi.

Pia affectio est potior pars Meditationis.

Quintò, ex his interim bonis affectibus elicies aliquas reflexiones circà te ipsum, attendendo ad tuum modum vivendi, orandi, cum alijs conversandi &c. & firmiter proponendo quotidianam tuam conversationem, actiones, & modos agendi, ab omnibus, etiam minimis imperfectionibus depurare, ac vitæ, actionibus, & modo agendi Christi Domini conformare, & exercere eâdem intentione, quâ Christus omnia sua opera facere solebat, nempè ad exequendum semper & ubique, in omnibus, beneplacitum Patris cælestis.

Reflexiones ad se ipsum.

Denique orationem mentalem concludes familiari aliquo, humili, & amoroso colloquio cum Deo, vel cum Christo Domino, vel cum Matre amabili, vel cum aliquo sancto Patrono, vel Angelo custode, quàm humillimè supplicando pro gratia obtinenda, quâ bona ista proposita, dum dabitur occasio, fideliter exequaris. Ut autem meliùs concipias prædictum modum orandi mentaliter; ecce hic sequitur expressa modella, seu una Meditatio ad longum descripta, cui alias omnes licebit, & juvabit conformare.

Meditatio finienda cum colloquio cum Deo &c.

CAPUT XIV.

Praxis Meditandi, seu modella, cui conformiter Oratio mentalis facienda est.

Formula meditandi.

MEditationem tuam facies modo sequenti; v. g. volens meditari de initio Passionis Dominicæ in horto, exerce te interiùs in hunc modum.

Invocatio S. Spiritus.

Veni sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium, & tui amoris in eis ignem accende, &c. illumina, quæso, tenebras intellectus mei, ut hanc horam possim transigere, juxta divinum tuum beneplacitum, &c.

Act. 17. 27.

Exercitium præsentiæ Dei.

Verè Domine, Deus meus, *non longè abes à me, in te enim vivo, moveor, & sum*; magis, quàm avis in aëre, vel piscis in aqua; nam essentialiter penetras omnem substantiam meam, & quidquid est in cœlo, & in terra, multò penitius, quàm aqua possit penetrare spongiam: verùm quàm debilis est, quàm caligat hic oculus fidei meæ! quomodò non vivaciùs hoc appre-

apprehendo? *Domine*, obsecro, *adauge mihi fidem*, volo enim credere, quia tu imples cœlum & terram; & quidem, *si ascendero in cœlum, tu illic es; si descendero in infernum* ...; *si sumpsero pennas meas diluculo, & habitavero in extremis maris; etenim illuc manus tua deducet me.* Luc. 4. 5. Psalm. 138.

At quis es tu, quem ubique ita obvium habeo; tu es Creator meus, quia me ex nihilo ad imaginem tuam creasti; tu es Salvator meus, quia dum eram mancipium diaboli, misisti Unigenitum tuum, ut me in libertatem assereret; tu es Pater meus, nam Filius tuus homo factus, me docuit orare, *Pater noster, qui es in cælis*; & iam ascensurus in cælum, dicebat: *Ascendo ad Patrem meum & Patrem vestrum*; si itaque credo, quia tu es Pater meus, tam benignus, tam potens, & sciens, quid desit mihi, qui potes & vis me juvare; quid non sperabo? Domine Pater, *in te speravi, & non confundar*; tu enim per tuum Prophetam dixisti: *Quoniam in me speravit, liberabo eum; protegam eum, quoniam cognovit nomen meum*; quocircà dico cum Davide: *Si exurgat adversum me prælium, in hoc ego sperabo*, &c. Exercitium Spei. Luc. 20. 17. Psalm. 30. Psalm. 90. Psalm. 26.

Si igitur tu mecum es tamquam adjutor fortis, & Pater optimus, ubi est filialis meus erga te amor? *Diligam te Domine* Pater, *fortitudo mea*; *doce me*, quæso, *facere voluntatem tuam*; *deduc me in semitam mandatorum tuorum, quia ipsam volui*; *vias tuas Domine demonstra mihi, & semitas tuas edoce me*, ut possim sanctus esse, sicut tu Pater meus cælestis sanctus es; at ubi discam beneplacitum tuum? in vita Salvatoris mei JESU, ac nominatim attendam ad lectionem, quam me docuit in ingressu Passionis suæ in horto. Amoris Dei. Psalm. 17.

Domine JESU, quomodo sic recedis ab ultima cæna tua, cùm Discipulis tuis cantando Hymnum? nónne jam properas inchoare tuam Passionem? verè, Jesus meus anteà desiderio desiderabat cum suis Discipulis Pascha illud manducare; sed multò avidius anhelabat baptisare baptismate suæ Passionis, sitiens salutem animarum, & clarè sciens hoc me remedio debere salvari: ubi nunc est meum desiderium patiendi pro Christo? sanè, *servus non est melior Domino suo, nec est discipulus super Magistrum*; ideò me jam resolvo ad multa pro Deo patienter tolleranda, & nominatim in ista, vel ista occasione, in qua solebam esse tam fragilis, & sensibilis, vix potens sufferre vel unum verbulum contradictionis, vel internam vel externam adversitatem. Discursus intellectualis. Circa Christum in horto. Matth. 10. Bona proposita.

JESUS meus tribus distinctis vicibus se dat orationi, non quia ipse indiget, sed ut me doceat, quid agere debeam in Passione, tentationibus, &c. cùm plena resignatione orando, *Pater, transeat à me Calix iste, verumtamen non mea voluntas fiat, sed tua.* Circa IESUM in horto orantem. Matth. 26.

Audio meum JESUM dicere Discipulis somnolentiâ pressis; *Vigilate & orate, ut non intretis in tentationem*: hanc lectionem volo discere, nam sæpè me Circa IESUM ad Discipulos dormientes.

Ibidem. me sentio flaccidum & quasi somnolentum in meis exercitijs; sed hîc disco, quod vel ideò magis me oporteat vigilare & orare, ne in majus malum incidam.

Meus Jesus reversus ad suos discipulos, & advertens eos esse confusos, eo quod oculi eorum adhuc essent gravati, eos excusat, dicens: *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma*; in quo ostendit suam longanimitatem in sufferendis nostris infirmitatibus: ubi jam ego sum, qui tam facilè scandalizor in alijs, qui sum plenus sinistris suspicionibus, & temerarijs judicijs, videns festucam in oculo fratris mei, & trabem in proprijs oculis non considerans. (Ibidem.)

Circa Iesum sudantem Sanguinem. Jesus sudat sanguinem & aquam; sunt indubiè mea peccata & ingratitudines, quæ sudorem illum sanguineum exprimunt, meum erit me emendare imposterum, &c.

Ioan. 18. Circa Iesum Judæis obvium & dicentem, quem quæritis? ego sum. Jesus meus inimicis suis obviam procedens, interrogat, *quem quæritis?* illi petulanter respondent: Iesum *Nazarenum*; quibus ait Iesus, *ego sum*: ô verba, quæ deberent penetrare intima cordis mei! Iesus mihi etiam sæpiùs se obvium præbet, & interrogat, quem quæram; at non possum in veritate respondere, quod quæram Iesum; quippè qui magis me ipsum quæram, & quæ sensualitatis sunt; deinceps unicè Iesum volo quærere, non, sicut Iudæi, ut illum comprehendam contumeliosis funibus peccatorum, sed funiculis charitatis; non cum ingratissimo Iudâ illum osculo proditorio & pace fictâ traditurus, sed ipsum ut sponsum animæ meæ Brachijs humilitatis & dilectionis amplexurus; spero equidem fore, ut mihi dicat, *ego sum, noli timere*, ego sum Creator tuus, Salvator tuus, Deus tuus & omnia; nam reverà, sine ipso cætera omnia nihil sunt, &c. ô utinam, ô bone Iesu, *sonet* hæc *vox tua in auribus meis, ego sum, noli timere*; verè enim *hæc vox tua dulcis*! illi volo deinceps totus esse intentus. (Matth. 14.)

Bona proposita. Verum ad quid serviunt omnes hæ ratiocinationes & desideria? ad nihil aliud, nisi ut conformem vitam meam vitæ Domini Iesu; quocircà imprimis propono firmiter, datis occasionibus, libenter multa pati ad honorem Dei, sive interius, sive exterius, dum Deus ita disposuerit; propono etiam in tentationibus & afflictionibus meis per orationem ad Deum confugere; sic enim me docuit Iesus verbo: *Vigilate & Orate*, & maximè exemplo, nam ipse *factus in agonia prolixius orabat*; insuper domabo carnem meam, & mortificationem Iesu jugiter in corpore meo circumferam, ut sic illi Spiritus dominetur, & omni horâ promptus esse possit ad sequendam ubique & in omnibus inspirationem Dei: propono aliorum infirmitatibus magis compati, & aliorum actiones in melius semper interpretari &c.

Ioan. 15. Alloquium ad Iesum. Verum Iesu Christe, Salvator meus, cùm tu dixeris, *sine me nihil potestis facere*, &, *sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos,*

vos, nisi in me manseritis, quæso, digneris semper mihi adesse, nec sinas me unquam separari à te; maneam obsecro, semper in te, & tu in me, per gratiam tuam; fac me stare bonis propositis meis, & tu mecum illa operare secundùm beneplacitum tuum: & tu ô Angele, cujus tutelæ à divina bonitate commissus sum; loquere, rogo, pro me bona, impetra mihi gratias necessarias, fac me memorem bonorum propositorum, dum se offeret occasio illa exequendi; quidem mihi meritò objicies supinam meam in tuis inspirationibus audiendis negligentiam; sed fateor me reum, & supplico, ne me ideò deseras; gere curam mei, ut tandem perveniam ad claram Dei visionem, laudaturus tecum Deum in æternum. Amen. Ad Angelum Custodem.

Ecce hîc habes formulam Meditationis, cui alias pro libitu conformes; & quamvis fortassis tibi molestum videatur illam sequi, ne negligas, nec tædeat conari; nam oratio est ars artium, quæ non discitur sine strenuo conatu; at acquisitio fructus suavissimos proferet: quod si tamen nonnunquam in simili meditandi modo pergere non posses, ratione alicujus magnæ ariditatis, & occurrentium distractionum, ecce hîc sequuntur alij modi internæ orationis.

CAPUT XV.

Alij modi orationis mentalis per humiliationes vel per exercitium fidei, tempore ariditatis & distractionum.

DUm contigerit te non posse observare prædictum modum orationis mentalis, humilia te profundissimè coram Deo; & indè carpe occasionem teipsum penitius cognoscendi, & in omnibus pro minimo reputandi, quoslibet alios tibi-ipsi præferendi, aliorum infirmitates & imperfectiones cum majori compassione sufferendi, propriam impossibilitatem agnoscendi; sicque in abysso tui nihili manendo, & abyssum divinæ Bonitatis quàm humillimè invocando, teneas te toto tempore orationis quietum sine violentatione Spiritûs, quasi cum Magdalena ad pedes Domini sedendo, & te omni gratia indignum confitendo, maneas cum tranquillitate mentis; nec dubites, quin sic faciendo, etiam inscienter, plurimum proficies. Modus orandi per exercitium humilitatis.

Deindè dum distractionibus obrueris, statim ubi ad te reflectis, & id advertis, pone te vivaciter in præsentia Dei; & vivâ fide tibi propone punctum tuæ Meditationis, v. g. Christum in horto orantem, sudore sanguineo circumfusum, ipsum respiciendo vt personam divinam in natura humana patientem; nec oculum fidei & rationis indè divertas; pro ut faceres, Modus mentaliter orandi in ariditate & distractionibus.

Modus orandi sine discursibus.

res, si statuisses picturam aliquam fixis oculis aspicere; sicuti enim, ut hoc tuo stares proposito, deberes oculos tuos in illam figere, &, dum ex debilitate, vel inadvertentia, oculi subindè vel clauderentur, vel parum averterentur, ad illam denuò aperires, & dirigeres; ac, si muscæ prætervolarent, ad illas non reflecteres; ita etiam assume aliquod punctum, ad quod sine multis discursibus oculum fidei dirigas, nec indè divertas; quod si oculus ille sit adhuc debilis, & subindè parum obtenebretur, caliget, vel nonnihil avertatur, illum rursus aperias, nec scienter declines; quod si advolet multitudo muscarum, seu turbo distractionum, sinas eas volare; nec scienter aut volenter ad eas reflectas: atque sic te in fide conservando, seu simplici fidei intuitu tuum intellectum occupando, fiet, ut voluntas etiam sensim ad simplicem aliquam occupationem alliciatur, v. g. ad suavem inclinationem ad Christum, aversionem à creaturis, gratitudinem ad Deum, annihilationem tui-ipsius, &c. ac licet nihil aut parum de interno spiritu, vel operatione videaris sentire, vel experiri; perge equidem in vivæ tuæ vel nudæ fidei exercitio; & confide fore, vt istud tempus orationis non transeat sine notabili fructu, spirituali animæ confortatione, & desiderabili morum ac vitæ emendatione, sicuti enim cibus, etsi non sapiat, tamen sæpè nutrit, & ægros firmiori sanitati restituit; ita etiam oratio mentalis, etsi sine spirituali gustu videatur exerceri, fovet tamen & nutrit animam, paulatim illam evacuans ab omni concupiscentia mala, ejus Passiones, insensibiliter domans, cor sensim ad virtutum exercitia emolliens, ac fomitem fortis dilectionis Dei instillans: solummodò hortor, ut constanter agas, nec tædio vincaris, & per Dei gratiam, brevi experientia disces verum esse, quod dico.

Simili à contemplatione visuali.

Affectiones voluntatis in oratione sine discursu.

Oratio etiam sine sensibili devotione prodest.

CAPUT XVI.

Oratio vocalis etiam est necessaria ad fovendam piam vitam in Christo, estque clavis thesaurorum Dei.

Oratio vocalis prodest ad pietatem.

NOn solùm oratio mentalis est necessaria ad piam Vitam in Christo; sed etiam vocalis, sive ea internis, sive externis vocibus, seu verbis exprimatur; nam cum homo nihil prorsus ex se habeat, & (ut sic dicam) sit correptus spirituali paralysi, hoc sensu, quod nihil omninò meritorium agere possit sine gratia Christi, Christus enim asserit, *sine me nihil potestis facere*; neque etiam, teste Apostolo, quispiam vel unum verbum, v. g. *Dominus* IESUS, seu nomen IESU, *dicere potest*, *nisi in Spiritu sancto*, id est, non sine gratia Spiritûs sancti; neque etiam, teste Apostolo, *sufficientes sumus cogi-*

Ioan. 15.

Per impetrationem gratiæ.

Gratiæ necessitas.

cogitare aliquid boni, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est: Præterea cum homo de se sit planè pauper & egenus, jugiterque indigeat Dei beneficijs secundùm corpus & animam; clarè sequitur opus esse continuâ oratione ad Dei opem & misericordiam humiliter implorandam: hoc probè sciens Sapiens, *ne*, inquit, *impediaris orare semper*; Salvator quoque necessitatem jugis orationis commendans ait, *oportet semper orare, & numquam deficere*, cui conformiter Regula nostra Carmelitica præscribit: *Die ac nocte in orationibus vigilandum.* An ergo nihil acquirere possumus sine oratione? nequaquam, nam Deus vult orari; quidem ipse *cognovit figmentum nostrum*, necessitates nostras ipse perspicit, & *est dives in misericordia*; sed additur, *in omnes, qui invocant illum*: Salvator advertens Discipulorum suorum nimiam ad orandum incuriam, & ad orationem animatos volens, dicebat: *Usque modo non petistis quidquam in nomine meo; petite & accipietis*; & alibi, *quidquid orantes petitis, confidite, quia accipietis.*

Orationis necessitas. — Eccl. 18. — Luc. 18. — Reg. Carm. c. 7. — Pro gratia orandum. — Rom. 10. — Ioan. 16. 24. — Marc. 11.

Hinc sanctus Augustinus orationem appositè vocabat clavem thesaurorum Dei, quam semper possumus habere ad manum, ut pro libitu ditescamus; considera, quam libenti animo egenus quispiam & pauperculus acceptaret clavem thesauri regij, si illi daretur libertas indè suæ inopiæ prospiciendi, & accipiendi, quantum vellet; sanè, si talis maneret in penuria & miseria, ipsius solius culpa foret; similiter, si quis maneat inops gratiarum, ipse sibi imputet; eò quod clavi orationis, pro ut potest, non sit sollicitus aperire thesauros Dei; nam asserente Christo Domino, *omnis, qui petit, accipit.*

Oratio est clavis thesaurorum Dei.

Sancta Theresia vocabat orationem canalem, per quem imber gratiarum in animam fluere & derivari debet; nónne in quibusdam hortis notastis aliquos canales, quos vertere licet, quòcumque lubet, ut deriveur aqua per totum hortum? talis canalis est oratio; quippè ad omnia & singula opera nostra opus habemus salutaribus aquis gratiarum, quibus fiant meritoriè, ac proindè hunc canalem mysticum adhibere oportet ad singula, vt sic illa irrigemus & salutaria reddamus: quod fiet, si in omni occasione assuescamus ad Deum confugere pro obtinenda gratia ad singulas nostras actiones faciendas meritoriè; idque in omnibus negotijs, in omnibus difficultatibus, in omnibus tentationibus, in singulis actionibus; v. g. dum examinanda conscientia, facienda confessio, frequentanda sacra Eucharistia, dum culina administranda, ad forum eundum, aliud opus manuale exercendum; dum confessiones audiendæ, studijs opera navanda, conciones habendæ, infirmi visitandi, divina officia peragenda, necessarium alimentum sumendum, corpus somno reficiendum, &c. antè omnia Deum humiliter orare oportet, quatenus dextram auxiliantis gratiæ nobis porrigere dignetur, ut omnia & singula ista meritoriè faciamus: nam licet ad omnia,

S. Theresia vocat orationem canalem gratiarum. — Per orationem ad omnia pro libitu obtinetur gratia.

Gratia sufficiens semper ad manum.

Oratur pro gratia efficaci.

& singula, quæ ex obedientiâ, charitate, vel necessitate, aut aliàs Deiformiter nobis agenda incumbunt, ad manum habeamus gratias sufficientes, quibus omnia meritoriè operari possumus; non tamen semper præsto est gratia efficax, pro qua proindè Deum deprecari convenit; quippè Deus decrevit nobis non largiri dona sua, nisi mediante oratione; neque verò nos debet tædere semper supplicare & deprecari; nam attenta & per experientiam probata nimia nostra egestate & necessitate, meritò animari & moveri nos oportet ad opem divinam in omnibus humiliter & jugiter implorandum.

Importunitas mendicorum pro habenda eleemosyna.

Infantum pro sugendo.

In oratione imitanda.

Certè experientia docet, quàm suppliciter & infatigabiliter pauperes ad fores divitum, vel in plateis clamitent pro particula panis, pro exiguo nummo, pro fragmentis, quæ superfluunt mensis aliorum, &c. parvuli videntes se non posse solos incedere, & discere volentes, non relinquunt nutrices suas in pace, ut ab eis manu ducantur & doceantur; dum egent sugere summâ instantiâ mamillas expetunt, &c. simili modo nos etiam, utpotè probè scientes & agnoscentes nostram indigentiam & egestatem; attendentes, quod ne vel passum figere, vel membrum movere, vel minimum sine Deo agere possimus, si in necessitatibus nobis succurri velimus, si viam salutis inoffenso pede currere desideremus, nobis grave esse non debet Dei auxilium ad hoc planè necessarium jugiter implorare, & victum spiritualem, ut ita dicam, à Deo emendicare, quo piè in Christo vivere possimus: atque ita patet, quod oratio, seu divini adjutorij humilis imploratio sive corde, sive ore ad Deum immediatè, vel per Sanctos, mediatè directa, sit omninò utilis, imò necessaria omnibus piè in Christo vivere volentibus.

CAPUT XVII.

Divinum Officium ab Ecclesia est ordinatum ad promovendam pietatem; quàm devotè illud sit peragendum.

Divina Officia prosunt ad pietatem.

Intentio Ecclesiæ in orationibus commun.

MAter nostra sancta Ecclesia utilitatem & necessitatem orationis benè intelligens, & timens, quod eo non obstante, multi sui filij eam negligerent, instituit orationes communes, quæ diu, noctuque à Clero & Religiosis persolverentur, in quibus ipsa etiam specialem suam format intentionem, atque, instar sollicitæ & piæ Matris, eas dirigit, Deoque offert, non solùm ad fovendam & augendam fidelium devotionem ac pietatem, sed etiam pro necessitatibus eorumdem; puta, pro fructibus terræ conservandis, contra morbos contagiosos, pro aversione malorum, pro pace inter Principes Catholicos, pro conversione peccatorum, pro illuminatione

infi-

infidelium, &c. sic ut dictæ orationes ex intentione Matris Ecclesiæ habeant suam efficaciam, & utilitatem: ad hoc serviunt divina officia, quæ cum magna solemnitate & egregijs cæremonijs ubique sunt benè ordinata, & in plurimis locis celebrantur; idque totum ad devotionem & pietatem in fidelium cordibus accendendam & conservandam. *Officia divina ex intentione Ecclesiæ impetratoria.*

Quantum ad Sacrum Ordinem nostrum Carmelitarum, sanctus Pater noster, Propheta *Elias*, in eo ab initio divinas laudes devotè decantandas instituit; ideoque Congregationes Religiosorum ab eo institutæ vocabantur cunei Prophetarum, seu laudantium Deum; eorumque exemplo postmodum in Ecclesia introducta est consuetudo canendi Psalmos, & divina solemniter celebrandi: quâ de causa sic loquuntur nostræ Constitutiones: *Quoniam Religiosi divinis obsequijs occupari debent; maximè Carmelitæ nostri, qui iuxta primævum Propheticum Eliæ Patriarchæ institutum, ad Dei laudes canendas, principaliter vocati sunt*; indubiè, ut tali modo sese ferventius excitarent, & die ac nocte in pietate melius exercerent. *S. P. Elias divinas laudes instituit.* *Filij Prophetarum id est, laudantium est.* *Constit. Carm. p. 1. c. 13.*

Sed quomodò divina officia, psalmodia, & decantationes fieri debent? non negligenter aut acediosè, scriptum est enim, *maledictus, qui facit opus Dei negligenter*, sed diligenter, cum magna reverentia ac devotione; ad diligentiam nos hortantur nostræ Constitutiones, dum dicunt, *audito primo signo pro horis quibuscumque, Fratres nostri se præparent, & omnes celeriter conveniant; ad matutinum autem ferventius convolabunt*: ad devotionem hortatur nos sanctus Basilius his verbis: *Vti gustus corporalis singulos cibi bolos distinguit, sapit & masticat; ita internus animæ gustus attendere debet ad singula verba, eaque sapere*; ad quod nos animans Propheta David, ait, *psallite sapienter*, id est, cum gustu interno, & saporosa devotione: appositè ad rem nos monet mellifluus Bernardus: *Admoneo vos Fratres, divinis laudibus semper purè & strenuè interesse; ne sitis ibi cum tepore & desidia, non oscitantes, non vocibus parcentes, sed voce virili, sicut decet, & cum affectu, Spiritui sancto voces vestras intonantes.* *Modus assistendi divinis officijs.* *Ierem. 48.* *Diligenter.* *Constit. Carm. p. 1. c. 13. §. 1.* *Devotè.* *Sapienter.* *Psalm. 46.* *S. Bern.*

Porrò, ut omnes tam sæculares, quàm Ecclesiastici & maximè Religiosi, cum majori devotione & reverentia assuescant assistere divinis; debent sibi imaginari, non solummodò eos, qui divinis occupantur, fungi officijs Angelorum, faciendo hîc in terris; id, quod illi in perpetuas æternitates facient in cælis; sed etiam credere fas est, plurimos Spiritus Angelicos choro adesse, cum supermagna reverentia coadjuvando, & omnes præsentes, pro posse, ad attentionem, diligentiam, devotionem & reverentiam excitando; quod si adverterint Choristas ibi adstare cum devotione, spiritûs alacritate, & interna, externaque veneratione, plurimum delectantur, ac illam devotionem sanctissimæ Trinitati offerunt in odorem suavitatis, Deum orando, ut illis suam benedictionem impertiri dignetur; at si econtrà videant Religiosos vel alios ibi adesse sine reverentia ad Deum, festinare *Choristæ funguntur officio Angelorum.* *Angeli adsunt in choro.* *Gaudent dum officium bene fit.* *Tristantur & indignan-*

nare

tur, dum male fit. nare ad finem officij, accelerare psalmodiam vel cantum, negligere cæremonias, parcere vocibus, quasi ex coactione præsentes esse, anhelare ad exitum, oscitare præ tædio, immortificatos in sensibus, & moribus, voluntariè distractos, &c. indubiè multum contristantur, & indignantur; ac magnoperè timendum, ne Dei vindictam implorent contra omnes, qui tam negligenter & irreverenter divina peragunt; ad quod præcavendum, proderit, sæpè ante divinum officium, & ipso durante repetere illud Regij Prophetæ, *in conspectu Angelorum psallam tibi, Deus meus.*

Psalm. 77.

S. Theresia videt Angelos in choro lætos.

Officia divina debitè facta movent ad pietatem.

Fatetur S. Augustin.

Ædificantur hæretici in cæremonijs.

Sancta Virgo & Mater Theresia quadam vice in choro cernebat multos Angelos Sororibus intermixtos, ac sibi plurimum complacentes in devotione illarum; ut indè discerémus, Angelos semper adesse, etsi invisibiliter; & reverà si nostri sancti Angeli nobis ubique adsint ut socij, imò ut Pædagogi individui; multò potiori ratione credendum est, eos nobis assistere in opere tam pio, aliosque Angelos secum adducere, præcipuè dum vident divina officia cum debita solemnitate, cum debitis cæremonijs devotè persolvi, ac Angelica in cælis obsequia aliquo usque æmulari & imitari; sanè, si unusquisque ad hoc maturè reflecteret, præsertim ad immensam Majestatem Dei, ad cujus laudem, honorem & gloriam divina celebrantur, indubiè Religiosi & Ecclesiastici, cum summa ædificatione, gravitate & devotione choro interessent, ac sæculares plurimùm indè ædificati ad devotionem moverentur; sicque tam hi, quàm illi ultrò faterentur, & experientia comprobarent, has communes orationes, & divina officia mirificè conducere ad fovendam piam Vitam in Christo, sic fatebatur sanctus Augustinus solemnes suave-modulantis Matris Ecclesiæ ritus & concentus sibi plurimum profuisse ad teneram devotionem & veram pietatem: sic persæpè audivimus plures hæreticos sese ad gremium Matris Ecclesiæ convertisse, ex eo quod compungerentur ædificatione, uniformitate & modestia Religiosorum in cæremonijs Ecclesiasticis: uno verbo, satis superque notum est, hoc modo piam Vitam in Christo quām optimè foveri & accrescere; solummodò super est, ut eo convenienter & debitè utamur, sicut tactum est.

CA.

CAPUT XVIII.

Devotio ergà Beatissimam Virginem multùm conducit ad piam Vitam: quomodò ejus amore nos dignos reddere possimus, ipsam amando, honorando, & imitando, ut Matrem.

DIutiùs omittere nequeo, quin pro viribus, omnibus instillare & summè commendare coner cordialem devotionem, filialem amorem & tenerrimum affectum ad Matrem amabilem MARIAM, tamquam medium singulare & efficax ad piam Vitam in Christo: quippè cum ipsa à nobis indies salutetur MARIA *Mater gratiæ, Mater Misericordiæ*, quæ gratia, & misericordia absolutè sunt necessariæ ad piam Vitam: quo potiori jure confugiemus, ad gratiam, ad misericordiam consequendam, quam ad Matrem gratiæ, quam ad Matrem misericordiæ? dico igitur cum Apostolo: *Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ, ut misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno.*

Devotio ad B. V. prodest ad Piam Vitam.

Hebr. 4. 16.

Ut autem ad hunc thronum & Matrem gratiæ cum fiducia accedere liceat; ejus ad nos amorem allicere oportet: quocircà, quotquot sese ipsius servos, filios aut fratres profiteri gloriantur, vitam suam exigentiæ suæ professionis conformare sollicitè debent, satagendo, sese Patronæ tam sanctæ, Matri tam amabili, & Sorori tam benignæ aliquo usque assimilare, ejus perfectiones imitando, & optimam indolem imbibendo: ideò, quisquis illam diligis ut Matrem, æmulare eius humilitatem, castitatem, paupertatem, obedientiam; illam imitare in Charitate Dei & proximi, ac in alijs virtutibus, siquidem te convenit exercere in operibus virtuosis, quæ decent talem Matrem, ne ut spurius rejiciaris; & verò, si illa Mater tua sit, ubi est honor ejus? ubi est filialis ad eam amoris affectus? ubi vel obumbratur benignissima, piissima, & suavissima ejus in te indoles?

D. Virginem imitari oportet.

Ut igitur illi debitum & convenientem honorem & amorem exhibeas; postquam indies te ipsum, tuaque omnia, & cuncta opera sanctissimæ Trinitati obtuleris in intentione Christi, & in unione meritorum ipsius; assuesce consequenter temetipsum, tuaque omnia & cuncta exercitia, specialiter offerre amabilissimæ huic tuæ Matri, in unione immaculatæ ejus Conceptionis, intemeratæ Maternitatis, inviolatæ Virginitatis, & excellentissimæ Sanctitatis, & unà ad ejus honorem, dilectissimo ejus Filio; ac sicuti omnia tua facis in verbo Domini, facito etiam in verbo & nomine MARIÆ, ad exemplum sancti Petri nostri Thomasij Patriarchæ Constantinopolitani; quem etiam imiteris in dulcissimo MARIÆ nomine cordi tuo

Omnia nostra opera 1. Deo, deindè D. Virgini offerenda.

S. Petr. Thomas omnia sua facit ad honorem D. Virginis.

Habet nomen Mariæ in corde.

tuo imprimendo, & velut mel suavissimum sæpissimè in ore habendo; frequenter etiam per diem & noctem mentem tuam cum tenerrimo ad eam amoris affectu elevato, dicendo, *Monstra te esse Matrem.*

Filialis conversatio cum D. V. ut Matre.

Deindè in omni tentatione, in omni adversitate & angustia, converte te ad ipsam, cum certa fiducia, & amoroso affectu, quemadmodum solent pueruli currere ad sinum Matris, dum aliqua patiuntur terriculamenta, vel molestias; conquiesce inter brachia illius, & super suavissima ejus misericordiæ ubera obdormisce, uno verbo, ut amantissimus filiolus cum charissima & benignissima Matre, in omnibus liberè agas, nam etsi fortassis habeas multos, quibus es devotus, sanctos Patronos & Patronas, sed non multas Matres nam in Christo Iesu ipsa te genuit, lactavit, enutrivit; dum alicubi cernis ejus imaginem; delectare, & Matrem tuam in illa cordialissimè venerare; dum scribis, mellifluum ejus nomen primò calamus exprimat; in omni etiam conversatione, in omni tempore & loco coneris esse bonus Odor Matris tam amabilis, in operibus, in verbis & cogitationibus.

Ipsa Mater nostra est.

Ejus amor spirandus.

Ad eam in omnibus confugiendum.

Committe te illi totum, ad eam accede, ut ad Magistram optimam, illam consule ut Virginem prudentissimam; ejus festivitates speciali honore, & singularis alicujus devotionis exhibitione præveni, & transige; uno verbo, gere te ut decet bonum filium, & experientia disces, quia ipsa est *Mater pulchræ dilectionis & sanctæ Spei, in qua* tibi affluet *gratia omnis viæ & veritatis, in qua* tibi affulgebit *omnis spes vitæ & virtutis*; neque ipsa unquam cessabit tibi impetrare gratias necessarias ad perseverandum in vera pietate; quin imò ipsa tibi serviet ut *puteus aquarum viventium*; illa etiam non dedignabitur in hora obitûs tui, *dicere quod soror*, imò Mater, *tua sit*, *ut* tunc maximè *benè tibi sit*, *& vivat anima tua ob gratiam illius*; atque ita devotam in ejus cultu & obsequio vitam transigendo mereberis etiam securè, placidè & piè in ejus amore exspirare, & maternis ejus Brachijs ad portum salutis fæliciter deduci; nam MARIAM amanti benè erit in extremis.

Eccles. 24.

Ipsa puteus gratiarum. &c.

Gen. 12.

Assistit in morte suis devotis ut bona Mater & Soror.

Conclusio de pietate in communi.

Hîc liceret agere de devotione erga alios Sanctos, ad Angelum Custodem, &c. sed ad alios ex professo de hac tractantes remitto; uti & omitto hic tractare de exercitio præsentiæ Dei, de conformitate cum divina voluntate, de intima recollectione, &c. quæ procul dubio omnia sunt media convenientissima, imò verius, ipsamet praxis piæ Vitæ in Christo; sed de his latius egimus in *Introductione in Vitam Mysticam*, ubi ea legere juvabit: quocircà, hactenus dicta sufficient quoad piam Vitam in Christo in communi; quamvis autem, ea, quæ hîc adduximus, multum prodesse possint sive incipientibus, sive proficientibus, sive perfectis in pia Vita in Christo; attamen intentio nostra est, hîc consequenter adjicere ea, quæ singulis illorum magis propria & accommodata esse videntur ad convenienter statui suo, piè in Christo vivendum.

TRAC-

TRACTATVS II.

De Pia Vita in Christo pro Incipientibus.

CAPUT I.

Incipientes semper debent natare contra fluxum, quomodò fluxum mundi sequi nefas sit, quia periculosus.

QUod attinet Incipientes, qui adhuc ambulant viam purgativam pœnitentiarum & mortificationum ad emundationem conscientiæ ab omni inquinamento peccati, & extirpationem vitiorum, ac pravæ concupiscentiæ; mihi imaginor illorum vitam in Christo, debere assimilari vitæ piscis in aqua; vultis scire rationem? Charissimi, plerique pisces semper natant contra fluxum, naturâ ad hoc illos instigante, ne sequendo fluxum aquarum, alicubi ad aridam devolvantur, & ibi pereant defectu aquæ: simili modo vita, præsertim incipientium Deo servire, exigit, ut semper natent contra fluxum corruptæ naturæ: iuxta doctrinam sancti Joannis Apostoli, *mundus transit*, nempè instar fluvij celeriter transeuntis & non redeuntis; similiter *& concupiscentia eius*; atque prout mulier Thecuitis ajebat Davidi Regi, *omnes morimur, & velut aquæ dilabimur super terram, quæ non revertuntur*: & quidem, quod pessimum est, *sensus & cogitatio humani cordis in malum proni sunt ab adolescentia sua*, ita ut ex naturæ corruptione jugiter quasi impellamur, ut cum præterfluentibus rerum transitoriarum undis, & malarum concupiscentiarum fluctibus, continuò diffluamus ad omne genus malorum & dissolutionum, non sine periculo, alicubi impingendi per consensum in aliquod peccatum, ac nos ipsos lædendi, vel ad aridam appellendi per statum demeritæ ariditatis, in eoque defectu refocillationis spiritualis deficiendi?

Incipientes in Christo vivunt ut pisces in aquis.

Pisces semper contra fluxum.

1. Ioan. 2.

2. Reg. 14. 14.

Gen. 8. 21.

Incipientes semper contra fluxum naturæ & mundi.

Nónne subindè vidistis aliquos, qui se sinunt agi transeuntibus aquis deliciarum mundanarum? hos sæpè videre est, vehementi harum aquarum impetu ad scopulos allidere, caput contercre, & miserè perire; volo dicere, turpiter labuntur, honoris naufragium patiuntur coram hominibus, & pereunt secundùm animam coram Deo. Deindè nónne aliquando considerastis homines, qui rapidò sese bonorum temporalium fluvio committentes intendunt secundo ejus fluxu navigare, quocumque volunt? at ecce, quàm multi ratem suam allidunt ad scopulos malæ fortunæ, & naufragium

Voluptuosi sequuntur fluxum mundi.

Divites in fluctibus mundi periculosè agunt.

gium patiuntur, dum putant in omnibus prosperè agere? alij, quibus fluxus & venti favere videntur, qui à scopulis remoti manent, tam diu navigant, donec quoad animam in arida collocentur; dum enim divitijs affluentes, cor suum nimis illis apponunt, ijsque sensualiter ac vanè fruuntur, Deus illos relinquit sine aqua suarum gratiarum sic ut meritò cum Propheta dicere possint: *Anima nostra*, ô Domine, *sicut terra sine aqua tibi*; atque utinam meminissent Deum pro auxilio deprecari, ac dicere: *Velociter exaudi me Domine, quoniam defecit Spiritus meus*: sed timendum est, ne fame & siti moriantur non haurientes aquas de fontibus Salvatoris, non frequentantes, inquam, cum debita dispositione Sacramenta; ac licet forsitan cum divite epulone Deum subindè rogare videantur pro guttula gratiæ gratum facientis, nonnunquam repulsam patiuntur, sicut olim *rogabat scelestus* Antiochus *Deum, à quo non erat misericordiam consecuturus*: quarè hoc? illis respondetur: *Filij recordamini, quia recepistis bona in vita vestra*; recordamini nimio vos affectu fluctus huius mundi fuisse secutos, *nunc verò cruciamini* penuriâ aquæ Sapientiæ salutaris.

Destituuntur aquâ gratiæ. — Psalm. 141. 6. — Ibid. n. 7. — Orantes pro gratia non exaudiuntur. — 2. Mach. 9. — Luc. 16.

Prætereà nónne reflexistis aliquando ad homines ambitioni deditos, ac honores mundanos studiosè venantes? his negocium non meliùs succedit, quàm præcedentibus; utpotè qui non rarò ad infima labantur propter instabilitatem honoris mundani, cujus velut intumescentibus undis sæpè *tolluntur in altum, ut lapsu graviore ruant*, & ad ima descendant; tales facilè laborant vertigine, stultis vijs & medijs fumum laudis humanæ captando; tales devolvuntur in voraginem, ubi undæ honorum & dignitatum à diversis acquisitarum incipiunt agere in invicem, eo quod similes sibi mutuo cedere, sese mutuo pati præ superbia, ne vel in minimo velint, sed potiùs invicem in profundum agere, & mergere conentur; & quidem dum incipiunt collidere invicem per invidiam & odium, tum sæpè omnes in abyssum detruduntur, in abyssum, inquam, dedecoris & infamiæ in hac vita, vel æternæ damnationis in altera: quocircà Charissimi, hinc discite, quomodò non conveniat ullâ ratione vos credere vel confidere fluxui quantúmvis prospero rerum transitoriarum.

Ambitiosi elevantur, ut cadant. — Merguntur in voraginem. — Mergunt se mutuo.

CAPUT II.

Quomodò contra fluxum natare oporteat per studium mortificationis; ut optato portu potiamur.

VErum cum durante hâc corporali vita, omnes vel inviti navigemus labentes aquas rerum transitoriarum; cum evadere nequeamus, quin in illis sæpè natemus, ex necessitate utendo creaturis ad convenientem

In hac vita velut in mari natamus.

ſem ſuſtentationem, vel etiam ad decentem & ſanitati utilem recreationem, quid remedij, ut non malè navigemus? oportet nos adinſtar bonorum piſcium ſemper contra fluxum natare, contra undas indomitarum paſſionum, contra fluctus ſenſualium cupiditatum; ſummoperè enim cavendum eſt, nè undarum & fluctuum iſtorum vehementiâ ſinamus nos devolvi ad omne genus vitiorum & imperfectionum; ne fortè à concupiſcentijs noſtris abſtracti & illecti incidamus in laqueos diaboli, &, amiſſis aquis gratiarum, prolabamur in voraginem damnationis æternæ; quocircà ſemper contra fluxum nitendum eſt.

Natare oportet contra fluxum quo ſenſu.

Vultis clariùs ſcire, quandonam contra fluxum navigemus? quamdiu nos exercemus in exſpoliatione veteris hominis; quamdiu colluctamur adverſus carnem, mundum & diabolum, carnem domando & in ſervitutem redigendo, mundana omnia vilipendendo, & diabolo reſiſtendo, donec fugiat à nobis; tam diu contra fluxum ſpiritualiter remigamus, quam diu conamur cum Chriſto bajulare crucem, ejus mortificationem in corpore noſtro circumferendo, conando ſic vivere, ut nobis mundus crucifixus ſit, & nos mundo: at reverà, hoc opus, hic labor; nec mirùm; nam fluctuamus inſtar piſcium in aquis *abyſſi vehementis, in diluvio aquarum multarum*; quare cum Propheta orandum eſt, *libera me Domine de profundis aquarum; non me demergat tempeſtas aquæ, neque abſorbeat me profundum:* annè ergo omnibus tam periculoſæ aquæ transfretandæ ſunt? nemo hic excipitur; nemo hic privilegiatur; non tamen ideò deſpondeamus animo; neque enim labor noſter in remigando, fatigatio noſtra in contra fluxum natando erit inanis, ſed ineffabilis erit merces operi noſtro, dum nobis in æterna requie conſtitutis licebit dicere: Domine, *tranſivimus per ignem & aquam*, remigando contra fluxum cum ingenti labore, *& eduxiſti nos in refrigerium*, utique vitæ æternæ.

Contra fluxum natare eſt ſe mortificare, abnegare, &c.

Pſalm. 68.

Merces laborantium.

Pſalm. 65. 12.

CAPUT III.

Sine intermiſſione contra fluxum navigandum eſt per mortificationem, idque in Chriſto; quomodo?

INterrogabitis forſitan, an ſine intermiſſione remigandum ſit, an ſemper in mortificationibus laborandum? & reſpondeo, quod ſic; nam piſcis in rapido fluvio deſiſtens natare, illicò cum aquis devolvitur plus, quam longo tempore natando in altum aſcenderat, eſtque in periculo ne alicubi ſuper aridam dejiciatur & pereat; eodem modo, dum aliquis poſt longos labores in exercitio mortificationis perpeſſos, ſibi perſuadet ſeſe jam ſatis laboraſſe; atque ideò mortificationes negligere incipit, is modico temporis

Cur piſces ſemper contra fluxum.

Sine intermiſſione ſe mortificare oportet.

 ſpatio

ſpacio per fluctus concupiſcentiarum & ſenſualitatum plus retro-cedet, quàm longo tempore, in naturæ mortificatione laborando, proceſſerat; nec eſt extra periculum impingendi in aridam, incidendi, inquam, in ſtatum ariditatis & internæ derelictionis per ſubtractionem divinæ gratiæ; extra quam, velut piſces extra aquam deficiamus & ſecundùm animam moriamur, neceſſe eſt; quocircà indeſinenter remigemus contra fluxum naturæ, atque ut evitemus periculum retro-cedendi, maneamus in puteo aquarum viventium, ſeu vivamus piè in Chriſto; etſi namque quis reſolvens in his natare, & ſic piè volens vivere in Chriſto, magnos indubiè incurſurus ſit labores in remigando contra fluxum; attamen *vox Domini ſuper aquas*, nos confortat & animat ad indefeſsè pergendum, donec in ipſo & per ipſum ſpiritualiter natando in aquis mortificationum, tandem lætabundè dicere poterimus; *Dominus aſſumpſit me de aquis multis, ſalvum me fecit, quoniam voluit me.*

Manere debemus in puteo aquarum viventium.

Pſalm. 28. 3.

Pſ. 17. 19. 21.

O! quam ſuave & jucundum eſt natare, dum in Chriſto licet natare, dum ejus gratia ſublevamur, ſicut piſcis aquâ: dum duo fluvij in invicem vel trans invicem fluunt, quorum fluxus eſt contrarius; tunc piſces facilè natant contra fluxum alterutrius, nam ad hoc juvantur à fluvio in adverſam partem fluente: idem mihi contingere videtur tempore hujus vitæ tranſitoriæ; ecce enim in corde aliquo devoto conveniunt duæ in contrariam partem fluentes aquæ, una fluit verſus orientem, verſus Patriam cæleſtem, alia verſus occidentem, verſus æternam damnationem; prima eſt aqua divinæ ac ſupernaturalis gratiæ; hæc fluit ad cælum, & quicumque ad portum illum fœliciſſimum appellere deſiderat, non aliter, quàm in ea natando, eum aſſequi poterit; ſecundus fluvius eſt corrupta natura, quæ in tot quaſi dividitur torrentes & latices, quot habet perverſas inclinationes, pravas affectiones & paſſiones; hi omnes torrentes habent fluxum omninò contrarium fluxui gratiarum, nimirum ad perditionem.

In gratia Chriſti natandum.

In anima duo fluvij contrarij gratia & natura corrupta.

Hæc igitur duo flumina gratiæ & naturæ invicem contrariantur, quocircà ſi velimus in flumine corruptæ naturæ contra fluxum remigare, in remigando ſeu natando ſublevabimur proſpero fluxu gratiarum, quæ quo majores & efficaciores, eo nobis facilius eſt, nos in omnibus mortificare, abnegare, reſignare; atque indè venit, quod aliqui modicam aut nullam experiantur difficultatem in ardua & anguſta via ſalutis; eo quod nimirum fluvius divinæ gratiæ, in quo natant, adeò ſuaviter & fortiter eos impellat, ut ſuperent fluxum naturæ corruptæ in contrarium alioqui nitentis; quia verò econtrà, fluxus naturæ in aliquibus vehementior eſt fluxu gratiæ, ideò tales, ſummas patiuntur moleſtias in via virtutum, nam ſemper contra fluxum ſic natare, ſine ſenſibili ſublevamine gratiæ, difficillimum eſt.

Fluxus gratiæ juvat remigare contra fluxum naturæ.

Gratia omnia facilitat.

Ex his colligere est, cur sancti Martyres adeò manserint constantes in maximis tormentis & pœnis; undè sancti Confessores & Virgines fuerint tam benè animati & indefessi in vitæ austeritatibus, in sui & rerum omnium abnegatione, in sensuum mortificatione; quia nimirùm natabant in secundo & fortiter ac suaviter fluente fluvio gratiarum, quæ eos continuò impellebant contra fluxum concupiscentiæ; atque isto modo ipsi vivebant, & nos possumus vivere, in Christo, id est, in ejus fortificante & sanctificante gratia, sicut pisces in aqua; ex his denique patet ratio, quare omnes, qui piè volunt vivere in Christo, patientur persecutionem, id est, intus & foris experientur multas molestias & labores, præsertim, donec meruerint ampliori Dei gratiâ sublevari. Martyria, Pœnitentias, &c. in Sanctis alleviavit.

Ut autem nos non tædeat, ita indesinenter laborare; adhuc paulò latius agemus de medijs, quæ hos labores plurimum possunt sublevare ac mitigare, nosque in illis reddere indefessos; nempè de fideli exercitio virtutum, utpotè quæ fluxum naturæ, malas concupiscentias & passiones valdè temperent, & suppeditent scientiam sine difficultate natandi; atque de timore Dei, qui, præsertim incipientibus velut calcar addit; & eos exstimulat ad generosè remigandum.

CAPUT IV.

Non sola Gratia, sed etiam perfectæ virtutes facilitant vitam spiritualem: differentia hominis virtuosi & non virtuosi in faciendis bonis operibus.

SAlvator desiderans omnes ad piam in se vitam allicere & animare, valdè blandis utebatur verbis, dicens: *Tollite jugum meum super vos, jugum enim meum suave est, & onus meum leve*: at quomodò hoc verum est? nónne ipse dixit: *Qui non renunciat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus*? deindè nónne dixit: *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem quotidie, & sequatur me*? Item, *qui non odit Patrem suum & Matrem suam, &c. adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus*? nónne hæc omnia sunt jugum Christi? an hæc omnia, abnegare seipsum, quotidianam ferre crucem, proximos consanguineos, imò & propriam animam odisse, renunciare omnibus, &c. sunt jugum durum & onus grave? videtur quod ita, attendendo ad ista omnium secundùm se; verumtamen Veritas dicit: *Jugum suum esse suave & onus leve*, ex eo, nimirùm, quod gratia Dei omnia facilitet, suavia & levia reddat, undè nec amanti Deum est aliquid difficile.

Jugum Christi suave. *Matth. 11.* *Luc. 14.* *Luc. 9.* *Luc. 14.* Durum secundum quid sit jugum Christi. Et suave ratione gratiæ alleviantis.

Porrò non sola Dei gratia confert suavitatem & facilitatem in exercitio bonorum operum, sed etiam perfecta virtus; notandum autem est, quod virtus habeat tres gradus, quorum primum ascendimus, dum virtutem, v. g. humilitatem, quidem aliquo modo exercemus, sed non sine naturæ contradictione; in secundo stamus, dum eam exercemus cum aliqua facilitate, seu sine magna difficultate; tertium verò adepti sumus, quando virtutis exercitium habetur non solum cum facilitate, sed etiam cum jucunditate & suavi ad ejus actus inclinatione; quocircà, dum quis virtutes acquisivit in tam perfecto gradu, tum in nulla re difficultatem invenit, omnia illi videntur levia, suavia & jucunda; tum portat jugum Christi cum alacritate; quia nimirum, tunc virtutes ipsi quasi versæ sunt in naturam; id quod vel indè patet, quia consuetudo est altera natura, virtus nihil est aliud, quàm consuetudo benè faciendi, ergo virtus est altera natura: undè sicuti aliquis libenter, faciliter, & delectabiliter facit ea, quæ facit ex natura, seu ex inclinatione naturali: ita etiam quispiam libenter & cum suavi alacritate exercet id, quod operatur ex inclinatione & facilitatione perfectæ virtutis; quod hoc modo potest declarari.

Perfecta virtus etiam alleviat jugum Christi; virtus habet tres gradus.

3. Gradus virtutis omnia facilitat.

Est altera natura.

Supponamus esse duos, quibus incumbit exercere actum humiliationis; sed unus assecutus est perfectam virtutem humilitatis, alter non; ille exercebit actum humilitatis cum magna facilitate & jucunditate, non inveniendo in illo ullam molestiam; at secundus magnam experitur difficultatem, tædium & angustiam, sic ut ægrè se applicare possit: undè, quæso, venit tanta differentia in simili ejusdem actûs exercitio? certum est, quod non aliundè, quàm ex eo, quod unus acquisiverit virtutem humilitatis in gradu perfecto, sicque suaviter ad ejus exercitium inclinetur, alter verò econtra; unus adhuc habet naturam ad malum propensam, in altero natura est correcta, & ipsi virtus facta est altera natura ad bonum inclinans & facilitans.

Differentia hominis virtuosi & non virtuosi in exercitio virtutis.

CAPUT V.

Quomodò perfectæ virtutes acquirendæ sint, & quare tam pauci in virtutibus perficiantur.

NOn dubito, quin unusquisque desideret, & summè exoptet consequi hanc bonam naturam, perfectam, inquam, virtutem loco corruptæ naturæ; quo sic jugum Christi fiat ipsi suave, & onus eius leve; valdè benè; at quotquot illam appetitis, adhibete media ad ejus adeptionem convenientia; inter alia unum planè necessarium, est constans & diligens virtutum exercitium, sine intermissione, sine interruptione, sine intermixtione ali-

Omnes amant virtutem.

alicujus, quod virtuti, quam intenditis, contrariatur; in quo quia pauci fideles inveniuntur, ideò pauci in virtute aliqua perfecti reperiuntur. Multi mirantur, & conqueruntur, quod semper videantur manere æquè infirmi, imperfecti, nihil vel parum proficientes in solida & vera virtute, non obstante, quod habeant bonam voluntatem, & sæpissimè sint pleni pijs proficiendi desiderijs, & propositis; verum ratio est, eò quod sint instabiles in exercitio virtutum, nec attendant, an interruptè aliquos actus virtuti intentæ contrarios misceant; sicque fit, ut frustrà laborent; ædificant & statim destruunt; quod uno die lucrantur, id altero die perdunt; v. g. aliquis hodie exercebit unum heroïcum actum humilitatis, & per illum acquiret unum gradum virtutis humilitatis; at cràs sui obliviscens incidet in crassum aliquem defectum superbiæ, qui expellet illum gradum humilitatis hodiè acquisitum; & sic de alijs; atque hoc modo nunc humilitatem exercendo, nunc in aliquo vitio superbiæ sui obliviscendo, nihil aliud facit, quam exstruere & destruere; nec unquam perfectam humilitatem assequitur, nec facilitatem in ejus exercitio experitur, defectu constantiæ in exercendo: idem habet locum in quâcumque alia virtute; de similibus intelligi potest illud Ecclesiastici: *Vnus ædificans, & unus destruens, quid prodest illis, nisi labor:* quia autem pauci ad hoc reflectunt, & adhuc pauciores in virtutum studio stabilitatem servant, ideò tam rari in veris virtutibus consummati reperiuntur: multi laborant sine fructu, multi semper seminant in lacrymis, & nunquam cum exultatione metunt, semper luctantur sine victoria, semper in bonis operibus & virtuosis actibus difficultates notabiles offendunt, eò quod perfectas virtutes nunquam acquirant.

Constans exercitium est ad virtutem acquirendam necessarium.

Cur pauci proficiant in virtute.

Eccli. 34.

Quid igitur remedij? uti communiter dicitur, ex duobus malis minus eligendum est: maximum malum est, transigere hanc vitam in continuis mortificationibus, in violenta contra naturam colluctatione, in quotidianis molestijs, & angustijs sine facilitatione & lenimine perfectæ virtutis; & aliud minus malum est, modico tempore, strenuè, constanter, imprætermissè, sine interruptione, vel alicujus contrarij actus admixtione, virtutibus studere, ac posteà per totam vitam, virtutum acquisitarum suavitate, facilitate & jucunditate frui in earum exercitio, idque sine ulla, vel, cum modica naturæ contradictione, utpotè quæ per alteram naturam, puta, per virtutes acquisitas, seu per consuetudinem benè agendi, jam correcta, temperata, spiritui subjecta & reducta sit velut sub tributo: quis ergò non eliget hoc minus malum, strenuè scilicèt per modicum tempus pro acquirenda virtute laborare; ut possit evadere aliud maximum, scilicèt, defectu virtutis acquisitæ, toto tempore vitæ hærere in continuis molestijs, & contra depravatam naturam violentijs?

Ex duobus malis elige minus.

Magnum malum manere invirtuosum.

Minus malum studere virtuti.

Perfecta virtus corriget malam naturam.

CA-

CAPUT VI.

Invirtuosi & immortificati sunt miseri, & multa patiuntur sine fructu; suntque in periculo turpiter labendi.

Immortificati sunt miseri.

FOrtassis arridebit, familiarem circà prædicta declarationem audire, quò omnes faciliùs inclinentur & inducantur ad certamen virtutum; nec abnuo; quid vobis videtur? nónne verè miser est, qui agitur inordinatis appetitibus cibi & potus? qui laborat perversa habitudine gulæ, superbiæ, lùxuriæ, acediæ, garrulitatis, immodestiæ, hinc indè divagandi, vel qui alijs radicatis vitijs, defectibus, & inveteratis malè agendi consuetudinibus est obnoxius? fateantur veritatem miseri isti, qui jam multos, in religiosa, devota, vel etiam sæculari vita annos computant, sed eos negligenter transegerunt; dent gloriam Deo, qui solo habitu & nomine, & non operis veritate Religiosi, vel devoti, vel Christiani fuerunt; nec dubito, quin mihi consentient, ac miseriam suam ultrò fatebuntur.

Miseria gulosorum, & occupatio vilis.

Eheu! qui ventri sunt addicti, destituti virtute sobrietatis, quàm facilè non inquietantur, dum non habent omnia ad appetitum cocta! quàm sollicitè inquirunt & anhelant ad aliquam recreatiunculam! quàm avidè inhiant delicatis esculentis & poculentis! quàm sunt effusi in eorum sumptione! quàm viliter sese abjiciunt, ut furtivum aliquem bolum, vel haustum aucupentur, & devorent pauperem in abscondito! talibus etiam convenit illud Psalmistæ, *ipsi dispergentur*, sive, gulosè sese effundent, ***ad manducandum; si verò non fuerint saturati, & murmurabunt***: & sic ventricoli semper sunt inquieti, viles & abjecti.

Psalm. 58. 17.

Miseria & inquietudo superborum.

Deindè, qui laborat superbia vitæ, quomodò horret aliquam humiliationem! totus tremit, & angustia est illi undique, dum vel solummodò audit sibi aliquam humiliationem imminere; illicò injuriam sibi irrogatam exclamat & sese affrontatum conqueritur, si quis illi vel unicum verbulum dixerit, quo honorem suum esse vel levissimè læsum apprehendit; aliorum honori, promotioni & prosperitati invidet, & eorum depressioni, ignominiæ ac adversitati congaudet; in sua cum alijs conversatione facilè tangitur, dejicitur, turbatur, ab alijs despici timet, se despectum suspicans contristatur; sic superbo Aman reliqua omnia, divitiæ, deliciæ, honores aulici nihil solatij adferre poterant, dum ab uno Mardochæo se despectum audiebat: quis ergò non ad oculum videt superborum miserias?

Patet in Aman. Ester. 5.

Acediosi semper mi-

Acediosi, pigri, negligentes, etiam continuò multas patiuntur difficultates; illi sentiunt tædium magnum, vel cogitando tantum de instante tempore

tempore orationis; in ea nesciunt, quomodò se occupare; media hora apparet illis ut spatium duarum horarum; officium divinum illis nauseam parit, anhelant, &, quantum in se est, festinant ad finem; contendunt verbis cum zelosioribus; noctu, vel manè, surgere ipsis est permolestum; hinc facilè adinveniunt, vel fingunt ratiunculas, quibus sese eximant; simulant debilitatem, vel dolorem capitis, ut possint manere stertentes in lecto, & de illis verificatur illud Sapientis: *Sicut ostium vertitur in cardine suo, ita piger in lectulo suo*; tales psallunt vel cantant cum tædio mentis; correctiones horrent, pias lectiones fastidiunt; spirituales exhortationes respuunt, ab omnibus, quæ Spiritum recolligere, in vera compunctione conservare, in virtute perficere possent, aversionem habent, uno verbo, sese undique plurimum gravatos opinantur, & in omnibus ad sinceram pietatem spectantibus multum patiuntur; ex quibus omnibus liquet, quanta sit talium miseria, cum facti sint sibi-met ipsis graves, sibi & alijs molesti.

Margin: Sceri, & tædiosi. — Eorum miseriæ & mores. — Prov. 26. f.

Qui solitudini non sunt addicti, quærentes occasiones evagandi per oppida & vicos, per dormitoria & claustra, nullâ in cella occupatione delectati, etiam ubique obvias habent cruces, afflictiones, & in mille incidunt peccata & imperfectiones; tales, cùm ambulent otiosi, nihil operantes, & nullam honestam occupationem attrahentes, facilè circa res ad se non pertinentes occupantur; fingunt & Superioribus imponunt occasiones hinc, indè discurrendi; ubique cum omnibus passim notitiam ineunt, familiaritates contrahunt, & mutuis visitationibus, & epistolis fovere satagunt; vix semel viderunt homines, & eos visitare, ac ab illis visitari postulant, eosque ut familiares proclamant, cella ipsis carcer videtur, societas hominum Paradisus; cella ipsis intolerabilis est, cum nesciant ibi tempus terere, nisi fortè somno indulgendo; cum autem non permittantur suum vagabundum spiritum sequi, patet quantas continuò difficultates patiantur, & quàm miseram vitam ducant.

Margin: Afflictiones vagabundorum. — Eorum imperfectiones.

Idem est de illis, qui loquacitati & garrulitati sunt addicti; tales enim consequenter solitudinem servare nequeunt; tales à loquendo abstinere non possunt, etsi propria mala narrare deberent; de multis impertinentibus passim inquirunt, actionibus aliorum facilè se miscent, silentium servare videtur ipsis impossibile, tales sunt in loquendo præcipites & inconsiderati, proni ad detractiones, ad nugas, ad murmurationes, ad scommata, ad ridicula; imò horum omnium quasi professionem faciunt; ex quibus innotescit talium miseria; cum scriptum sit: *Qui multis utitur verbis, lædit animam suam, & qui inconsideratus est ad loquendum, sentiet mala.*

Margin: Loquacium mores & miseriæ. — Prov. 13.

Simile planè judicium esto de omnibus, qui sunt immortificati in aliqua prava inclinatione, vel passione, qui alicui vitio à natura vel consuetudine inveterata insito, habitualiter sunt obnoxij, nec ullum in virtute pro-

Margin: Omnes invirtuosi semper miseri.

Quartò. gressum fecerunt; nimirum, quod illi omnes sint miserrimi, invenientes in rebus plurimis displicentiam, pœnalitatem, difficultatem; quamdiu scilicèt perfectarum virtutum exercitium cordi non habent, sed illud vel supinè negligunt, vel non nisi interruptè & inconstanter practicant, nunc aliquos virtutum actus elicientes, nunc diu intermittentes, vel contrarios intermiscentes: ita ut nulli mortalium sint miserabiliores, quàm invirtuosi & immortificati, quibus accommodatur, illud Isaiæ: *Impij, quasi mare fervens, quod quiescere non potest*; & illud Psalmistæ: *Contritio & infœlicitas in vijs eorum, & viam* internæ, imò & externæ *pacis non cognoverunt*.

Isa. 57. d.

Psalm. 13. b.

Sunt martyres diaboli.

Mellifluus Bernardus de similibus loquens, eos vocat martyres diaboli; eo quod nimirum, si tales vivant sub obedientiâ, videantur unà cum alijs virtuosioribus & ferventioribus majorem partem exercitiorum regularium sustinere; imò ad hoc vel inviti adiguntur etiam per pœnitentiæ rigorem; noctu coguntur surgere, jejunare, à multis abstinere, disciplinas suscipere, & alia pleraque obedientiæ opera præstare; sed omnia faciunt quasi ex coactione, ex timore & formidine pœnæ, ob respectum humanum, sine fervore, sine devotione, cum tepore & multis negligentijs; sicque non immolant Deo gratum sacrificium, sed potiùs diabolo; eo quod ubique & in omnibus suis functionibus intermisceant tot animi, & sæpè oris contradictiones, repugnantias, pigritias, somnolentias, oscitantias, negligentias, aliasque imperfectiones, ut sit verendum, quod in illis compleri incipiat id, quod olim Deus uni tepido & acedioso minabatur dicens: *Quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo*; atque ita loco, quod tales mererentur, continuò demerentur, & amittunt magis & magis gratiam Dei; loco quod proficerent indies & irent de virtute in virtutem, quotidie deficiunt, & in vitijs magis habituantur, donec abeant per viam latam in perditionem.

Eadem ferè faciunt mali, ac boni religiosi.

Differentia illorum.

Apoc. 3.

CAPUT VII.

Defectu constantiæ pauci reperiuntur verè virtuosi, sicque exercitium virtutis semper manet molestum.

Ex mera fragilitate peccantes & imperfecti cum molestia virtutes exercent.

ALios invenire est, qui non ita notabiliter deficiunt; sunt enim bonæ voluntatis, nec vellent fovere vel contrahere consuetudinem irregulariter & invirtuosè vivendi; eorum defectus & imperfectiones non proveniunt ex deliberata mala voluntate, at dumtaxat ex fragilitate; eo quod sese efficaciter non resolvant ad strenuum virtutum exercitium; tales sunt compassione digni; siquidem ferè semper, uti præcedentes, contra naturam cum magna molestia & difficultate virtutes exercent; de nocte vel

manè

manè regulariter surgere est ipsis durum; abstinentiæ & jejunia ipsos gravant, diu aliqua ambulatione & corporali recreatione carere ægrè possunt, quin notabiliter sentiant; in multis obedientijs graves sentiunt difficultates, & animi repugnantias; jugum religionis ipsis grave semper videtur; quamquam, omnibus his non obstantibus, non desinant piè & religiosè vivere, conando perfringere omnes istas molestias, & cum aliquo fervore Spiritus facilè dicerent: *In Deo meo transgrediar murum* omnium molestiarum, hi sæpè cadunt & resurgunt, de quibus illud verificatur, *septies in die cadit justus & resurgit*; verùm hi non carent periculo tandem deficiendi, & oneri succumbendi; nam commune proverbium est: *Nullum violentum perpetuum est*; atqui tales continua opus habent violentia; ergò sic durare non possunt: at quare continua isti egent violentia? quia naturam adhuc habent valdè immortificatam, sicque assiduè contra fluxum pravæ naturæ illis remigandum est, si quid boni velint præstare.

Mediocres religiosi semper cadunt & resurgunt.

Psalm. 17. 32.

Prov. 24. 6.

Vultis scire, qua de causa natura in ipsis semper maneat æquè viridis, vivida, & immortificata non obstantibus tot bonis propositis; tot pijs desiderijs, imò & tot virtuosis operibus? hoc indè provenit, quod non adhibeant debitam in benè operando constantiam, nec satis patienter & longanimiter virtutes exerceant, sed subindè, defectu firmæ resolutionis, vt ita dicam ecclipsim patiantur: quid ergò faciunt? vel quid ipsis deest? Sicut superius dicere cæpimus, ad perfectarum virtutum culmen nemo pertingere potest, quamdiu aliquanto tempore eas strenuè, indefessè & fideliter non exercuerit; undè si quis v. g. per octiduum sese exerceat in virtute humilitatis, mansuetudinis, sobrietatis, diligentiæ in frequentandis diu, noctuque divinis officijs, &c. sed postmodum sui obliviscatur in defectibus humilitati, mansuetudini, sobrietati, &c. contrarijs, superbiæ, iracundiæ, gulæ, acediæ in se locum præbendo, statim in virtutibus istis necdum perfectè radicatis deficiunt, & quod antè lucrati erant, jam amittunt; ex quo ulterius contingit, ut, si similes pro sua bona voluntate iterum resurgant, ac illas virtutes de novo, cordi habere velint, tantam sentiant in illarum exercitio difficultatem, quasi eas numquam exercuissent: quia autem major pars, etiam piè in Christo viventium tali instabilitati & in benè operando inconstantiæ subjecta est, nunc virtutem ferventer exercendo, nunc ex fragilitate eam intermittendo, vel etiam defectum illi contrarium committendo, ac veluti alternis vicibus bonum & malum, perfectum & imperfectum, virtutem & vitium operando; hinc est, quod ex mille vix unus sit verè virtuosus, seu perfectis virtutibus instructus.

Raro proficiunt in virtute.

Ratio affertur.

Mediocres religiosi sentiunt semper difficultatem in bonis operibus.

CAPUT VIII.

Modico tempore pro acquirendis virtutibus laborandum est; illis acquisitis, magnâ quiete stabiliter frui datur.

Strenuè virtutes exercendæ, ut acquirantur.

QUid igitur remedij? nihil meliùs, quàm uno aut altero anno cum omni diligentia; sine intermissione, sine desidia malas corruptæ naturæ inclinationes, cupiditates, passiones reprimere, refrænare, domare, & nihil naturæ indulgendo, strenuam virtutibus operam navare: exempli gratia, integro anno (si sis Religiosus) frequenta indies, præcisè, alacriter & diligenter horas matutinas, non attendendo ad naturæ repugnantiam & ad alternam quietem, inclinationem; nec dubita, quin posteà nullam vel exiguam senties difficultatem in surgendo, imò erit tibi facilè ob acquisitam consuetudinem: deindè assuesce contentari communi portione, numquam jentare, nunquam extra refectiones ordinarias bibere, &c. ac post aliquod tempus, senties hoc tibi quasi naturale; jejunia, abstinentiæ & alia gulæ contraria, erunt tibi facillima; atque idem est de alijs virtutibus.

Sine interruptione.

Praxis docetur.

Qui non studet virtuti, semper miser.

Et verò nónne præstat uno aut altero anno aliquam naturæ vim inferre, ad vitia extirpanda, & virtutes menti inserendas, quàm totam vitam in cadendo & resurgendo, in multis molestijs & continuis luctationibus miserè consumere, sine fructu, sine profectu, sine sublevamine, sine perfecta unquam victoria? hoc tibi assevero, quod, si huic consilio & monitioni acquieveris, natare & contra fluxum remigare, non semper durabit; quin copiosa gratia Dei, & simul perfectæ virtutes acquisitæ te suaviter impellent, omnem fatigationem tollent, & quæcumque anteà molesta, difficilia, insuperabilia videbantur, ita facilitabunt, ac suavia reddent, ut cum Ecclesiastico poteris dicere: *Modicum laboravi, & multam inveni requiem*: neque hoc foret mirum, nam virtutes in intenso gradu acquisitæ, ex natura sua, suaviter inclinant, & simul colligantur, ut juvent ferre jugum Christi, & efficiunt, ut homo etiam cum hilaritate spiritûs, amplectatur quidquid carni seu corruptæ naturæ contrariatur; nihil est, quod tales posset inquietare; cum enim nihil impetuosè aut affectu inordinato desiderent, cum nil petant, aut recusent, sed sint ad omnia resignati, & indifferentes, non contristabit eos, quidquid acciderit illis: si non habeant occasiones corporalium recreationum, non curant, imò gaudent, eo quod virtus sobrietatis eis det facilitatem, & desiderium ad libenter carendum omnibus gulæ irritamentis: Si illis non permittatur aliquò exire, sunt benè contenti, nam virtus solitudinis suppeditat illis desiderium manendi domi: idem est

Gratia & virtus acquisita omnia facilitant.

Ecclef. 51.

Facilitas virtuosorum.

est in occasionibus exercendi quasvis alias virtutes: si quis experientiâ hanc veritatem didicerit, loquatur, & alios doceat, quia virtuosis *Iugum* Christi *suave est, & onus ejus leve.*

Idcircò seriò cogitandum est, quid velis eligere, an non multò consultius sit, minus malum necessarium amplecti, & majus vitare, cum nemo utrumque evadere queat: optio, inquam, datur, an velis modico tempore laborando, perfectas virtutes adipisci, illisque adeptis, quietè, suaviter, & jucundè, Deo vivere; an verò, virtutum exercitio neglecto, omne vitæ tempus in pluribus molestijs, difficultatibus, tædio, & periculo tandem omninò deficiendi, consumere, ac finaliter sine veris virtutibus ex hac vita discedere: sanè cum iuxta Salvatoris monitum, quotquot illum sequi volumus, quotidie Crucem mortificationis tollere, & post ipsum bajulare debeamus, omninò expedit adjutorium quærere, illamque discere unà cum JESU portare, id est, cum adminiculo virtutum Christianarum cum gratia JESU acquisitarum; vt quid vis electionem tuam differre? quid adhuc deliberas? jam plusquam tempus est resolvendi; quocircà constantem virtutibus operam navare incipias, easque in gradu intenso assequi satagas; quatenus experientiâ discere possis, quod, præcipuè virtuosis, sit *Iugum Christi suave*, & omnia naturæ contrariantia ac difficilia, adjutorio divinæ gratiæ, & perfectarum virtutum, facta sint levia, facilia & jucunda.

Eligendum studium virtutum pro modico tempore, vel totâ vitâ eris miser.

Virtuosi cum Iesu portant crucem.

CAPUT IX.

Sine perfectione virtutum semper violentia opus est, quod quia durare non potest, multi deficiunt & flaccescunt.

EX jam antè dictis colligere licet, quàm sit necessaria virilis & fixa resolutio, vitia corruptæ naturæ exstirpandi & eorum loco perfectas virtutes plantandi; alioqui enim continua opus est violentia, ut quis in pia in Christo vita finaliter perseveret; &, cùm nullum violentum sit perpetuum; timendum est, ne plurimi: qui alioqui benè inceperant, defectu, non mortificatæ naturæ, & acquisitarum virtutum, post aliquod tempus tædio afficiantur, & tam continuâ violentiâ, ac labore nimium fatigati despondeant animo, ac proindè omnem diligentiam paulatim intermittendo, non solùm non proficiant in via perfectionis, sed etiam manifestè retrogrediantur, impetu depravatæ naturæ quasi impulsi: atque hæc est ratio, cur indies cernere sit tam multos, qui paulò post suam ad Deum in statu spirituali conversionem, incipiunt deficere ab eo, quod cum fervore videbantur incepisse: quod si tales tempestivè non attendant, & provideant, eorum

Opus est firma resolutione ad virtutem.

Cur multi paulò pòst conversionem deficiant.

Et ad pristina vitia redeant. naturâ resumit vires, malæ habitudines reviresćunt, passiones reviviscunt; undè fit, quod primo conversionis fervore, sine lucro solidarum virtutum evaporato, Spiritus eorum tepescat, à naturæ vivacitate obruatur, ac parti

Natura in illis reviviscit defectu virtutis. inferiori subjugetur; atque hinc lacrymæ, hinc miseriæ, hinc confusiones, dum nimirum illi, qui vitæ perfectioris professionem fecerunt, à recrudescente natura victi, libertatem affectare, sensualitatibus immergi, ad exteriora diffundi, sine spiritu compunctionis vivere, ab incepto perfectarum virtutum tramite declinare, ac tepidè & incircumspectè domi & foris vivere incipiunt.

Timor Dei est stimulus incipientium. Ut autem his stimulus addatur, cum perfectarum virtutum suavitate necdum sint satis efficaciter allecti ad eas summâ diligentiâ, industriâ & conatu prosequendas, & ad propriam carnem crucifigendam cum vitijs & concupiscentijs; non abs re fore judicavi, si hic aliqua annecterem de timore Dei; idque optimè ad propositum; utpotè cum timor Dei debeat esse basis & fundamentum piæ vitæ, & juxta Sacrum Textum: *Initium Sapientiæ sit timor Domini.* Psalm. 110.

CAPUT X.

Timor Dei est prima lectio & principium veræ Pietatis; est omnibus necessarius; cur etiam Sancti Deum timere debeant.

Timor Dei est fundamentalis lectio scholæ Pietatis. REgius Propheta desiderans omnes instruere de principijs veræ pietatis, omnes quasi ad Scholam convocabat, ad discendam lectionem fundamentalem, in quem finem, unumquemque valdè amicabiliter alliciens dicebat: *Venite Filij, audite me, timorem Domini docebo vos*; valdè benè; equidem hæc est saluberrima lectio, utique, instructio ad timorem Dei; subdit Propheta: *Quis est homo, qui vult vitam, diligit dies videre bonos?* quasi vellet dicere, non dubito, quin omnes, nullo excepto; nam etiam impij nihil aliud æquè desiderant, quàm vivere, & ducere in bonis dies suos; verùm ut omnes voto suo potiantur, veniant ad scholam, & discant timorem Domini: sed ad quid timor Dei debet servire? scriptum est: *Per timorem Dei declinat unusquisque à malo*, & *Beatus vir, qui timet Dominum*, quia *in mandatis ejus volet nimis*: hos duos effectus timoris Dei, scilicet fugam malorum & executionem operum bonorum Propheta requirens ab aliquo suæ Scholæ candidato, ajebat: *Declina à malo, & fac bonum.* Psalm. 33. Ibidem. Docet vitare mala & facere bonum. Prov. 15. Psalm. 111. Psalm. 33.

Est necessarius incipientibus, proficientibus & perfectis. Vultis scire, cum adeò diligenter huic lectioni timoris Dei studendum sit? ratio est, quia *initium Sapientiæ timor Domini*; & verò, certum est, quod nullus incipientium constanter declinare poterit à malo, nullus proficientium

tium perseverabit facilè in executione boni, studioque virtutum, nec perfecti stabiles permanebunt in contemplatione divinorum, ac unitivo Dei amore, nisi se semper conservent in timore Dei; hinc seriosissimè hortatur Sapiens: *Nisi in timore Dei tenueris te instanter, citò subvertetur domus tua*; quasi diceret, quantumcumque profeceris in ædificio vitæ spiritualis, quantumcumque splendidè videaris illud ornasse, sine timore Dei non durabit, sed subitam ruinam aget: verumtamen perfecti aliter exercent timorem Dei, quàm incipientes & proficientes; hic autem de illo paulisper agam, in quantum potissimè concernit incipientes; qui nimirùm provenit ex consideratione occultorum judiciorum Dei, æternæ damnationis, vel privationis cælestis beatitudinis.

Ecclesi. 27. Sed diversimode. Timor ex consideratione judicii, damnationis &c.

Hoc timore est salubriter correptus, qui cum Propheta ruminans, quia *judicia Dei abyssus multa*, & quia Deus *terribilis est in consiliys super filios hominum*; item, cum Apostolo, quia *horrendum est, incidere in manus Dei viventis*; item, quàm intolerabile sit in æternum sæparari à Summo & incommutabili bono, sese absolutè abstrahit ab omni peccato, & conatur, etiam ab omni specie mala sese abstinere; pro dono hujus timoris obtinendo deprecans Propheta David, ajebat, Domine, *confige timore tuo carnes meas, à judiciys enim tuis timui*: hoc timore perculsi Ninivitæ, ad prædicationem Prophetæ Jonæ plenam terroribus egerunt pœnitentiam: Sanctus Propheta Job, etsi tam innocentis esset vitæ, ut fiducialiter diceret: *In omni vita mea, non reprehendit me cor meum*, nunquam tamen hunc timorem de corde suo dimittebat, sed dicebat: *Semper quasi tumentes super me fluctus timui Deum, sciens*, ô Domine, *quia non parceres delinquenti*.

Psalm. 35. Psalm. 65. Hebr. 10. Signa timoris Dei. Psalm. 118. Ninivitæ timebant Deum. Iob. 27. Iob. 31.

Veùm ad quid ita timere? Charissimi, scimus nos omnes esse conceptos in peccatis, & natos filios iræ; novimus insuper, quia *in multis offendimus omnes*; atque, ut Ecclesiasticus testatur: *Sunt justi atque Sapientes, & nemo horum scit, an odio, an amore dignus sit*; unde & alius hortatur, *de propitiato peccato noli esse sine metu*; atque ideò opus habemus, humiliter cum Davide indies deprecari: *Ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce servo tuo*: prætereà attentâ nimiâ nostrâ fragilitate, & naturæ corruptæ in omne malum pronitate, etsi fortassis nobis certo constaret, nos modò esse in statu gratiæ, meritò tamen adhuc timeremus Deum, *qui*, ut dictum est, *terribilis est in consiliys super filios hominum*; qua de causa seriò monet Apostolus, *cum timore, & tremore salutem vestram operamini*; ô si timor Dei in nobis vigeret, quàm essemus circumspecti in omni conversatione nostra! quanta diligentia vitaremus omne peccatum! quàm essemus indefessi in omni opere bono!

Cur semper timendum. Iac. 3. Ecclesi. 9. Psalm. 18. Ratione fragilitatis humanæ semper timendum. Psalm. 36. Phil. 2.

CA-

CAPUT XI.

Etiam Sancti timent judicia Dei; fovent illum timorem consideratione quatuor novissimorum, pœnarum inferni, &c. id quod benè usu venit in tentationibus sensibilibus, electi pauci.

Etiam Sancti timent judicia Dei

S. Hilarion.

Sancti olim in pœnitentijs assidui ex timore Dei.

Iste timor olim multum vigebat etiam in plurimis sanctis Patribus, puta, in sancto Hilarione, qui post septuaginta annos in obsequio Dei, & pœnitentialissima vita consumptos, adhuc videbatur formidare mortem; atque simile passim legitur de multis alijs, in quibus timor Dei erat causa, quod in summa austeritate, & stupenda corporis maceratione vitam transigerent, semper gementes, peccata sua plangerent, & quod plangerent, non amplius committentes, ab omni humano solatio penitus abstracti, ab omni corporis commoditate planè alienati; solummodò in hoc intenti, quomodò rigorem divini judicij securi possent evadere, & divinæ Justitiæ aliquo usque satisfacere: ne autem hic Dei timor in illis tepesceret, illum studiosè fovebant ruminatione quatuor præcipuè novissimorum: Divus Hieronymus in mentem revocans extremum judicij diem, totus contremiscebat, & sæpè repetebat: *Sive comedam, sive bibam, sive aliquid aliud faciam, semper videtur auribus meis insonare tuba ista novissima, surgitè mortui venite ad judicium.*

Fovebant timorem Dei consideratione novissimorum.

Timor S. Ieronymi.

Timor ex consideratione novissimorum utilis ad sensibiles tentationes superandas.

Quia est remedium proportionatum.

Fortè petetis, cur tam magnus Sanctus in tali versabatur timore, Charissimi, mihi persuadeo rationem fuisse, eo quod uteretur illo timore, velut scuto fortissimo contra inhonestas & carnales tentationes, à quibus ne quidem in arctissima solitudine liber erat, non obstante quod corpus suum pœnitentijs extenuatum haberet, nihil ferè servans præter pellem & ossa; pro ut ipse-met satis fatetur, dum sibi etiam tam abstractè viventi repræsentationes imaginarias levitatum, & mulierum romanarum ad vivum-sæpissimè in oratione factas deplorat; etenim hoc sciendum est, quod etiam majores Sancti, qui alioqui in amore Dei, & alijs virtutibus sunt consummati, non rarò confugere debeant ad exercitia vitæ purgativæ, præsertim tempore alicujus vehementis & sensibilis tentationis, quæ phantasiam & alias potentias sensitivas nimis vivaciter & fortiter obruit; utpotè cùm similis tentatio per considerationem rerum pœnalium & summè sensibilium efficacius retundi & superari soleat & debeat, tanquam per remedium magis proportionatum; de quo experientia quotidiana sufficientem dat probam; v. g. casu quo illecebræ mundanæ, voluptates vel commoditates corporales nostram partem sensitivam videantur velle ad se trahere, & occu-

occupare phantasiam ; sicque, rationem obfuscando, & voluntatem rationalem alliciendo, adducant animam in periculum incidendi in consensum peccaminosum, vel in pia vita flaccescendi, tunc experiri licebit, quod vivaces illas & vehementes tentationes valdè convenienter possimus superare per memoriam seu vivam repræsentationem strictissimi judicij Dei, æternorum tormentorum inferni, brevitatis vitæ, &c. idque multò efficacius pro tunc, quàm per exercitium amoris divini : sic legimus fecisse sanctum Martinianum, qui in simili tentatione sese volutabat super carbones ignitos, interim à corpore suo petendo, an posset assuescere ardoribus sempiternis, quod si ita, audactèr peccaret ; sin autem ; à peccatis omninò abstineret : similia adhuc de alijs legere est.

S. Martinianus considerationeinferni vincit tentationem carnis.

Christus suadet timorem gehennæ.

Et reverà non frustrà nos monet Salvator, ut *timeamus illum, qui potest corpus & animam perdere in gehennam* ; si enim maturè perpendamus pœnas sempiternas, quæ etiam pro unico peccato mortali sunt paratæ, quomodò non eriguntur crines nostri ? Has in spiritu viderat, qui clamabat, *quis ex vobis poterit habitare cum flamma devorante, cum ardoribus sempiternis?* In has tamen pœnas indies detruduntur milleni : Eheu ! Eheu ! aliquibus subindè revelatum est, animas catervatim, sicuti floccos nivium descendere in lacum æternæ damnationis ; & reverà, si omnes homines ab initio mundi usque modò ; imò & futuros ex nunc usque ad consummationem sæculi in unum congregemus, quàm multos putatis fore salvos ? an fortè unum ex mille ? dubitandum est, sed magis deplorandum, quàm curiosè inquirendum ; quamquam sit certum, quod numerus electorum sit *pusillus grex* respectivè ad numerum reproborum ; nam ex testimonio Veritatis : *Arcta est via, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui intrant per eam.*ècontra, *lata est via, quæ ducit ad perditionem, & multi intrant per eam* ; hinc Salvator aliquando interrogatus : *Domine, si pauci sunt, qui salvantur ?* respondebat : *Contendite per angustam portam intrare* ; & alibi : *Multi sunt vocati, pauci verò electi* : ô utinam homines hoc maturè perpenderent, & intelligerent, ac novissima providerent ! *Quis sapiens & intelliget hæc?* Benè intelligebat David, dum psallebat, *annos æternos in mente habui, & legem tuam,* ô Domine, *dilexi.*

Matt. 10.

Ierem. 33.

Horrendæ pœnæ inferni.

Animæ catervatim cadunt in infernum.

Pauci salvantur.

Matt. 7.

Luc. 13.

Ps. 112.

CAPUT XII.

Mirabilia sunt judicia Dei circa homines; timenda sunt, etsi videamur esse in statu gratiæ; sine timore Dei nemo pius esse potest, sed multis peccatis obnoxius.

QUidam olim timoratus attendens ad occulta Dei judicia, altè clamabat : *Quis te non timebit Rex gentium?* idque non immeritò ; ecce Ierem. 10. 7.

G enim

enim quidam benè inceperunt, sed malè finierunt; alij malè inceperunt, sed benè finierunt; & quid de nobis brevi fiet, ignoramus; fortè, quos iam despicimus, & ut publicos peccatores indigitamus, illi per Dei misericordiam convertentur, & salvi fient, imò sublimem gloriæ gradum consequentur; & ècontra nos, qui iam videmur stare, & aliquid esse, Deoque de puro corde, & conscientia bona servire, fortasse, iusto Dei judicio turpiter impingemus, reprobabimur, aut novissimum in cœlo locum possidebimus: novimus exitum Judæ proditoris, qui bonum cursum ceperat, sed non sic, ut comprehenderet, nam finem malum sortitus est, *ut abiret in locum suum*: ècontra scimus finem Latronis in Cruce, qui post annos multos in latrocinijs & furtis transactos subitò conversus à Christo meruit audire: *Hodie mecum eris in Paradiso*: Nónne Paulus actu persequens Ecclesiam Dei, & spirans minarum ac cædis in discipulos Domini, de cœlo vocatus est, & factus vas electionis, dum minimè merebatur? nónne de alio quodam Anachoreta ècontra audistis, quod post vitam sanctè peractam, adeò ut per plures annos miraculosè meruisset cibari, in agone ferè constitutus, unico flatu superbiæ fuerit dejectus, sic mortuus & damnatus, cujus locum & cellam inhabitans quidam latro fuit salvatus? ut vel indè cognoscamus, quia *non est currentis, neque volentis*, *sed* solius *miserentis est Dei*, esse de numero electorum, Deumque in massa damnationis relinquere, quos vult, & indè eripere, quos vult, *suscitans à terra inopem, & de stercore erigens pauperem, ut collocet eum cum principibus* regni sui: quis hic non exclamet: *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei! quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus!* quid dicemus ad hæc? dicamus cum Divo Augustino: *Iudicia Dei occulta esse possunt, injusta esse non possunt*, ille solus novit hoc mysterium, qui solus omnia novit; quantum ad nos, *omnia in futurum servantur incerta, ut Deus timeatur*, &, ne *absque ullo timore filij hominum perpetrent mala.*

Aliqui benè incipiunt & malè finiunt, alij econtrà.

Iudas benè ceperat, malè finivit. *Act. 1. 25.* Econtra bonus Latro.

Luc. 23. 43. Paulus Actu persequens fideles convertitur.

Quidam Anachoreta in fine vitæ vanè glorians damnatur. *Rom. 9.* Deus eligit, quos vult. *Ps. 112.*

Oportet nos subjicere Dei judicijs. *D. Aug.*

Eccles. 8. 11.

Et reverà, dum alicui deest timor Dei, nihil boni ab eo est exspectandum, sed omne malum; nam qui timorem Dei non habet præ oculis, *inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore*: at quinam verè Deum timent? quis audebit dicere, timeo Deum? Sapiens volens multos ponere ad probam, an verè Deum timerent, an non, dat hoc signum cordis timorati, *qui timet Deum, nihil negligit*; quocircà si velitis scire, an timeatis Deum, attendite an non sitis negligentes in ijs, quæ oportet facere vel omittere: pensate, an non debeatis fateri, quod in plurimis valdè negligenter vos habeatis: Eheu! quot negligentias non miscetis vestris operibus! profectò, si benè conspiciatis, invenietis vitam vestram mille imperfectionibus, velut pulveribus conspersam, ex eo quod necdum verè timeatis oculos Dei omnia intuentes: vndè quæso, provenit, quod sitis forsitan adhuc tam tepidi, segnes, aridi, distracti, & incompuncti corde in oratione, tam tardi ad naturam

Intimorati pleni peccatis. *Ps. 10.*

Eccl. 7. Signum timorati cordis nihil negligere.

Tepidi, negligentes non timent Deum.

naturæ mortificationem, tam pigri ad ea, quæ Dei sunt, tam proni, alacres, effusi ad terrena, sensualia, carnis commoda? indubiè non aliundè, quam ex defectu veri timoris Dei; sine quo tamen nemo potest stabiliter declinare à malo, & in sincera pietate vitæ proficere; cum scriptum sit: *qui sine timore est, non poterit justificari:* quare non? quia *initium sapientiæ*, id est, virtuosæ, piæ, seu Deum-sapientis vitæ est *timor Dei.* Eccl. 1. 1 ℭ.

CAPUT XIII.

Timor Dei est fundamentum pietatis, cujus fundamenti defectu pauci perseverant in via virtutum.

DEfectu timoris Dei pauci pertingunt ad perfectionem piæ Vitæ in Christo; quin imò plurimi, postquam benè inceperunt, declinant à via recta virtutum; eo quod debitè non advigilaverint jaciendo solido huic & planè necessario fundamento timoris Domini: quantumcumque insigne & magnificum appareat aliquod ædificium, quantúmvis sit sublimis turris; si illud ædificium, si illa turris ædificata sit super aridam, si fundamenta non valeant, omnia in ruinam ibunt; si enim nimbus ingruat, si aquæ alluant, si venti conspirent; ecce fundamenta statim deficient, ac tota structura ruet; si autem domus ædificata sit supra petram, venient flumina, & flabunt venti; & non poterunt illam evertere: Eodem modo, quantumcumque virtuosè, fervidè & perfectè aliquis vivat; etiamsi quispiam sublimem Evangelicæ pietatis turrim, egregiam bonorum operum structuram, ac spiritualium exercitiorum & divinarum contemplationum propugnaculum fortissimum erexisset; si tamen non ædificaverit in solido fundo timoris Dei, nihil durabit, sed totum confusibiliter collabetur; si enim aquæ tribulationum incipiant alluere, si venti tentationum & adversitatum spirare, si apertæ peccandi occasiones obvient, ecce insigne illud spirituale ædificium rimas agit & periclitatur, primus fervor evaporatur, primus zelus sensim evanescit, bona opera cessant, comtemplationis vix fit mentio;ècontra sensualitas incipit prævalere, natura reviresćit, pristina vitia repullulant, & totus homo dissolvitur, sui obliviscitur, tentationi succumbit, consortio se accommodat, ac ita deficit, quasi nunquam incepisset: nec mirum, fundamentum non valet, timor Dei non erat radicatus, & sic omnia sunt inversa; juxta quod Sapiens monuit: *Si in timore Domini non tenueris te instanter, citò subvertetur domus tua.*

Defectu timoris Dei multi deficiunt à bono.

Matt. 7.

Domus sine fundamento ruit.

Quantumvis pius & devotus sine timore Dei non stabit.

Tentatione facilè vincitur.

Ad pristina vitia redit.

Quocircà si maturè & seriò proposueritis inchoare verè stabilem & piam Vitam in Christo, ac resolveritis evitare omne periculum retrospiciendi

In via virtutis ante omnia acquirendus timor Dei. aut deficiendi à via Veritatis, prospicite vobis-ipsis, & ponite hoc inconcussum fundamentum timoris Dei, in eo vos solidate, meditatione præsertim quatuor novissimorum, reminiscimini brevitatis & incertitudinis vitæ præsentis, annos æternos in mente habete, recolite pœnas reproborum; Per Meditationem novissimorum. scriptum est enim: *Memorare novissima tua, & in æternum non peccabis:* quin imò sic faciendo, cum bono fundamento, incipietis, & sperare licebit notabilem in pietate profectum; Timor Dei est stimulus. ac timor Dei ubique serviet pro stimulo, ut indefessè, sine tædio contra perversas naturæ inclinationes semper certetis, & hoc sensu contra fluxum strenuè remigetis: atque hæc dicta sufficiant pro ijs, qui piè in Christo vivere incipiunt: nunc aliqua pro proficientibus concepta proponam.

TRACTATUS III.

De Pia Vita in Christo pro Proficientibus.

CAPUT I.

Quomodò Proficientes possint piè vivere in Christo sicut aves in aëre.

Qui censeantur proficientes. 1. Cor 5. VUltis scire, qualiter sese gerere debeant Proficientes, id est, qui jam, *expurgato vetere fermento*, incipiunt esse *nova conspersio*, seu, qui animâ à peccatis emundatâ, vitijs exstirpatis, passionibus refrænatis, pravis concupiscentijs repressis, jam incipiunt esurire, & sitire justitiam, nihil avidius desiderantes, quàm deinceps ire de virtute in virtutem? illi debent sese in Christo gerere, sicut aves in aëre: quid ita? Charissimi, Alaudæ cantando, in altum paulatim volant. experientiâ sæpè comperimus, qualiter aliquæ aves, v. g. alaudæ, cantando paulatim de terra ascendant, altius & altius volando, donec sint extra conspectum hominum, ita ut etiam vix earum cantus possit audiri: hoc docet experientia; Quomodò aves utantur aëre. quod si petatis, quomodò dictæ aviculæ se habeant in aëre, & ad quid illis aër inserviat? in promptu responsio est, scilicet, quod utantur aëre ut sustentaculo, suprà quod alas librando paulatim ascendunt in altum: nam si aër abesset, non possent volare, sed statim suo pondere Proficientes. in terram laberentur. Omnia hæc sunt ad propositum, ut explicemus statum

statum proficientium; hi enim ex sordibus peccatorum & vitiorum extracti, & velut primum in lucem editi, instar pullorum altilium, incipiunt bonorum desideriorum alas nonnihil expandere, & de medio campo lenociniorum mundanorum conantur sese parum sursum levare, volentes paulatim omnia mundana, per eorum renunciationem, imò & seipsos per abnegationem transcendere; undè & per exercitia viæ purgativæ malas naturæ inclinationes ferè superarunt; quocircà statuunt paulatim sese erigere, & volare in Christo, in eoque velut in suavissimo aëre vivere, intonando intereà in auribus Dei gratissimam harmoniam amorosarum jaculatoriarum! ferventium desideriorum, piorum gemituum & inexplebilis appetitus ad majorem perfectionem. Sunt similes avibus. Incipiunt sursum volare. In Christo, uti in aëre. Cantando

Quo sensu isti in auribus Dei dulciter modulando, ascendunt altius & altius, *euntes de virtute in virtutem*, donec tandem ab omni re creata alieni, affectu procul supervolent omnia terrena ac transitoria, & incipiant habere conversationem suam in cœlis. Hic jam videre licet, quomodò tales in Christo vivant, velut in aëre; quocircà adhuc prætereà, sicut aves volare nequeunt sine aëre, qui ipsis instar sustentaculi debet servire pro librandis plumis, & sine quo alioquin statim ad terrena & sensualia diffluerent; ita etiam nemo sursum volare potest ad culmen perfectionis, sine Christo, id est, nisi sustentetur aëre gratiæ cooperantis; audite verba Redemptoris, *sine me*, inquit, *nihil potestis facere*; & *sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite; sic nec vos, nisi in me manseritis:* attendite igitur, quàm aër divinæ gratiæ, nobis sit necessarius, vt in eo spiritualiter volemus; utpotè cum sine eodem ne vel unam alam bonarum cogitationum & desideriorum possimus movere, sed statim ex corruptæ naturæ in malum propensione ad ima tendamus; pro ut etiam rectè docet Apostolus, dum ait, *non quod sufficientes simus cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est*; deinde *nemo potest dicere, Dominus* JESUS, *nisi in spiritu sancto*, qui est Spiritus Christi, aut ejus supernaturalia dona gratiæ. Ps. 83. volatus proficientium. Aves sine aëre volare non possunt. Nec proficientes sine gratiâ proficere. Necessitas divinæ gratiæ. 2. cor. 3. 5. 1. cor. 12. 3.

Magna sanè hujus saluberrimi & suavissimi aëris necessitas, in quo nos oportet respirare, vivere, & volare, si non velimus exspirare, mori, & in barathrum omnium malorum incidere; uti enim nemo halitum trahere, aut membra movere posset, sed statim suffocaretur, factus immotus, si Deus auferret aërem, & annihilaret; ita etiam nemo posset vel semel spiritualiter respirare per aliquam bonam cogitationem, aut pium desiderium, nec etiam vel minimum membrum movere, sed spiritualiter enecaretur, ac periret, si Deus vel unico momento subtraheret suam gratiam; quocircà illi verè sunt fælices, qui in hoc tam necessario divinæ gratiæ aëre jugiter respirant, vivunt, ac omnia sua opera perfectè facere consueverunt; qui proindè cum Apostolo dicere queunt, Deus, seu aër divinæ gratiæ, *non longè abest ab unoquoque nostrum, in* In gratiâ velut in aëre spiritualiter vivimus. Fælices qui in gratia vivunt. Act. 17.

 ipso

ipso enim vivimus, movemur & sumus; equidem dulce est vivere in hoc saluberrimo aëre, extra eumdem vivere triste, durum, & impossibile; utpotè cum anima extra illum sit planè impotens, velut spiritualiter paralitica & omninò inhabilis ad præstandum etiam minimum opus meritorium vitæ æternæ.

CAPUT II.

Quomodò in Christo semper sursum volare oporteat sine intermissione sicut aves in aëre.

In virtute semper proficiendum.

Anima proficere cessans paulatim decidet, sicut avis contrahens alas.

FOrtè petetis an in hoc aëre semper & indesinenter volare oporteat? Respondeo, quod sic; nam in via virtutum nullæ stationes faciendæ sunt, cum in ea non proficere, deficere sit. Si avis iam in sublimi aëre existens contrahat alas, statim in terram decidet; similiter, quamtumvis anima spiritualis profecerit in gratia, si incipiat flaccescere in exercitio virtutum, si renuat fideliter cooperari, si desistat alas intellectus & voluntatis per fidem, & dilectionem in Deo expandere, ac in aëre divinæ gratiæ librare, statim retrocedere incipiet, & paulatim ab altitudine cæli, seu à contemplatione & amore rerum cælestium ad ima, seu ad noxias reflexiones, & affectus adhæsivos ad res terrenas ac sensuales descendet.

Avis paradisi non habet pedes.

Dejecta se erigere non potest sine vento.

Anima est similis avi paradisi.

De ave paradisiaca legitur, quod cum à natura non habeat pedes, necessitetur semper volare; nam alioqui si contingat illam in terram dejici, utpotè carens pedibus ad standum, vel se ad volatum erigendum, manere debet jacens in terra, donec forsitan, vehementiore vento pennas ejus implente, sublevetur, & rursus in puriorem ac superiorem aëris regionem evolare possit: Charissimi, anima devota, seu religiosa, verè etiam est avis paradisi, non habet ad standum pedes, id est, naturæ suæ relicta, non habet vires emergendi ex luto peccatorum, & standi in gratia coram Deo; habet quidem exiguas alas liberi arbitrij, rationis intellectualis, & liberæ voluntatis; at hæ se solæ non sufficiunt ad eam in Deum erigendam; quocircà alæ istæ adhuc debent crescere & juvari ad hoc, ut ipsa possit volare: quo modo? ratio naturalis adjuvari indiget supernaturali lumine fidei, alijsque divinis illustrationibus, ut possit cognoscere & discernere veritatem à falsitate, & bonum à malo in omni re; voluntas etiam eget juvari pennis piarum & supernaturalium motionum, ut veritatem & bonum opere amplectatur.

Liberum arbitrium ad volandum non sufficit.

Intellectus & voluntas

Atque tali modo anima instruitur duabus completis & optimis alis, quibus sursùm volet in Deum, scilicèt, intellectu divinitùs illuminato, & voluntate

luntate piè à Deo motâ; hisce alis adjuta indesinenter volare debet in aëre gratiæ, id est, debet assiduè cum Deo, in Deo, & per Deum operari, ac in spiritu proficere; nam alioqui, si in hoc aëre cesset volare, statim deficiet, & paulatim decidet; atque utinam subindè casus ejus non esset insanabilis ad mortem! quod si illam cadere contigerit, & alæ ejus infirmatæ sint, ex eo, quod Deus in pœnam desidiæ & negligentiæ illius in volando, ipsi subtraxerit principaliores & valentiores pennas supernaturalium illustrationum in intellectu, & piarum motionum in voluntate, ecce illicò dejecta jacet, infirmæ suæ naturæ relicta. cum gratia Dei sunt alæ completæ.

Sic jacens & solis naturæ viribus relicta non est potens se ipsam sublevare; nisi Deus placido, suavi, vehementi tamen & forti Zephyro prævenientis seu excitantis gratiæ in ejus plumis spirare, seu ejus intellectum illuminare, & voluntatem excitare incipiat; cui gratiæ prævenienti si anima fideliter cooperetur per actum veræ contritionis de suo casu, per amorosam ad Deum conversionem, & à peccato aversionem, statim per Dei misericordiam accrescent ipsi alæ per accessum gratiæ coadjuvantis, sed & vires augebuntur per restitutionem seu incrementum gratiæ gratum facientis, ejusque asseclarum, vivæ fidei, firmæ spei, & fortis dilectionis; quò sic de novo in omni perfectione altius & altius indies volare, ac in Deum ascendere possit. Anima dum cecidit, sine gratiâ resurgere non potest. Gratia præveniens est ventus animam cooperantem elevans.

CAPUT III.

Quàm sit periculosum in via perfectionis tepescere.

VErum, difficultas pro anima, quæ jam cecidit, est, quod prosperum illum ac suavem gratiæ prævenientis Zephyrum non habeat in sua potestate, dum fortè vellet; nam sicuti prima gratia, quam homo in vita sua accipit, est ex mera Dei misericordia, absque eo, quod homo ullum ad eam habeat jus aut prætensionem, quin potius eâ omninò est indignus, ratione peccati originalis; ita etiam, dum jam à prima gratia excidit per peccatum mortale personale, tum secunda ista gratia præveniens est ex pura clementia, absque eo quod homo ad illam possit habere aliquam actionem, jus vel prætensionem, ratione præcedentis peccati, quo factus est omni Dei gratia indignus. Prima gratia non cadit sub meritum. Nec 2. post peccatum mortale.

Ex quo patet, quàm sit necessarium, ut spiritualis nostra avis paradisiaca, seu anima devota, dum jam per Dei gratiam volare didicit, satagat volare sine intermissione, semper aspirando ad majorem perfectionem; si enim ipsam tædere incipiat volare, & in volando flaccescere, paulatim descendet, Anima necessariò incessanter debet tendere ad perfectionem.

ſcendet, primò quidem per minimas negligentias, & imperfectiones, poſteà per craſſiora peccata venialia, donec adveniente valido aliquo tentationum boreâ ſeſe flaccidam & infirmam inveniens, omninò dejiciatur ac decidat per conſenſum in peccatum mortale.

Alioqui paulatim decidit.

Et quidem hæc vna ex rationibus eſt, quod tam pauci perſeverent in via perfectionis; quia nempè pauci habent animos ad continuò ulterius volandum; avis circà terram volans, adveniente nimbo, aut flante vento valido ſtatim dejicitur; & licet adhuc aliquamdiu videatur volare per pluviam, plumis tamen madefactis & gravatis tandem cadit, fortè alicubi in lutum, in mare, vel aliud flumen, undè non amplius emerget ſaltem cum aptitudine ad volandum, ſed, vel in eo immerſa peribit, vel retinens alas ſuas plenas luto, cogetur per terram quærere eſcam & tandem miſerè perire: Chariſſimi, hæc omnia conducunt ad propoſitum; nam eodem prorſus modo, avis ſpiritualis, ſeu anima devota, aut Religioſa, quæ non eſt ſollicita ad altiora volare, ſed circà terrena adhuc adhæſivo affectu vagatur, pro maiori parte, inſtar anſeris vel cigni, natans in tranſeuntibus ſenſualitatum aquis, & tantum ſubindè parum volans, vel etiam inſtar hirundinis, quidem ordinariè volitans, ſed ſemper circa terram, id eſt, nunquam ſeriò & totaliter animum à creaturis abſtrahens, ſed partim ſenſualitati, partim ſpiritualitati, partim mundo ac ſibi, partim Deo ſervire intendens per tentationum & peccandi occaſionum imbrem, per flatum ſuperbiæ, per ventum aliarum ſive externarum, ſive internarum afflictionum, facilè dejicitur & ſuperatur.

Pauci perſeverant in bono.

Aves circa terram volantes periclitantur.

Sic anima ex parte circa terrena & ſenſualia occupata.

Anima non totaliter Deo vacans periclitatur ut avis circa aquam.

Ac licet talis anima ſeſe exterius ut devotam aut religioſam gerat, quia tamen occaſiones malorum non vitat, nec alas affectuum ſuorum à luto peccatorum venialium mundas conſervare conatur paulatim fit magis terrena; ac proindè alis iſtis quotidiè magis aggraveſcentibus, & animam magis, & magis ad ſenſualia & terrena deprimentibus, ipſa tandem labitur in limum profundi per peccatum aliquod mortale; ex quo aliquando non facilè emergit, ſed de luto in lutum, de peccato in peccatum volutando, ſicut ſus in volutabro luti, tandem miſerè ſubmergitur, & in peccatis ſuis moritur; vel, ſi mediante confeſſione Sacramentali, emergat, adhuc retinet pravam ad peccata inclinationem, & ſic ejus voluntas inepta manet ad magnam aliquam perfectionem conſequendam. Unde non rarò contingit, quod tales animæ non pro voto in Deo volantes, nec eſcam ſpiritualis delectationis in eo pro libitu invenientes, victum ſuum in terrenis quærant, affectando ſolatia humana, ſenſualia, corporalia, ſectando viliter naturæ commoditates; ita velut aves aquaticæ, nunc parum volant circà aquas; nunc in illas incidunt, nunc emergunt, id eſt, nunc ſenſualitati ſatisfaciunt, nunc per bona propoſita ad ſpiritualia non nihil ſe convertunt, mox iterum

Periculum animæ non conantis proficere.

In Deo non invenientes ſolatium, quærunt in creaturis.

iterum in rebus transitorijs hærent, donec tandem aliquâ tentatione captæ, visco adhærere incipiant, & pereant.

CAPUT IV.

Quàm salutare & tutum sit semper ad perfectiora tendere.

E Contra, sicut avis, v.g. aquila (quæ semper altiora petit, quo sic immediatiùs & puriùs fruatur radijs solaribus) facilè transcendit omnes nubes, & nebulas, dum nimirum appropinquat superiori regioni aëris, ubi venti raro aut nunquam illam possunt attingere, sicque ibidem volitat extra omne periculum dejectionis, dummodò pennæ ejus non deficiant; ita etiam anima devota, seu Religiosa (quæ se gerit instar aquilæ) alis contemplationis, & fervidi conatus, semper ad cælestia, ad divina, ad perfectiora tendendo, paulatim supervolat omnes nubes sensualium voluptatum, facilè trans-volat nimbos tentationum, imbres obloquiorum, nebulas imperfectionum; aut etiam acquirit alas fidei & charitatis ita fortes, ut nullos incursus, nullas tempestates aut turbines curet, sed proficiendo facilè perfringat; audite illam loquentem, *in Deo meo*, inquit, *transgrediar murum*; quantò facilius, nubem, ventum, pluviam? Nec mirum, nam de similibus scriptum est: *Ut aquilæ volabunt, & non deficient:*

Aquila volat ad superiorem aeris regionem.

Perfecta anima aquilæ similis supervolat omnia.

Psalm. 17. 30.

Isa. 40. 31.

Vultis scire, quomodò hoc fiat? Lumen fidei, quo anima devota assuescit Deum in omnibus, & omnia in Deo videre, diminuit, imò quodammodò annihilat, id est, nihili faciendas docet omnes creaturas, & proponit Deum ut unicum objectum in omnibus; ita ut anima ad creaturas vix reflectens, nec ullis rebus adhæsivè affecta, per easdem turbari vel inquietari non possit; præsertim dum amore simplici soli Deo adhærere, & unus cum eo spiritus fieri incipit; tunc enim longè transvolavit suprà omnia, quæ inquietudinem aliquam adferre possent, estque unum in Deo & cum Deo, *in quo nulla est transmutatio, vel vicissitudinis obumbratio*; tum procul remota est ab omnibus rebus creatis, quæ solæ mutabilitati & vicissitudini subjectæ sunt; at de his alibi fusiùs diximus; quare hic nihil superest quàm ut volantem aquilam, & avem paradisi nitamur imitari, ac adinstar alaudarum sine intermissione semper altiùs & altiùs in Christo volare, cum auxilio gratiæ eius eundo de virtute in virtutem; sic enim proficiemus in piâ vitâ in Christo, sicut aves in aëre.

Lumen fidei omnia certo modo annihilat.

Omnia in Deo, & Deus in omnibus

Iac. 1. 17.

Introduct. in ter. carm. trac 3. & 4.

CAPUT V.

Timor Dei in proficientibus fundatur in spe æternorum Bonorum, quæ per peccata & desidiam verentur amittere.

Calcaria proficientium.

VT in dicto assiduo & constanti ad perfectiora volatu anima devota non flaccescat, & in palestra virtutum indefessè currat, opus est equo suo, id est corpori calcar addere, & alas, seu affectiones, & potentias suas rationales excitare: per quid? pro calcari, pro excitatorio illi servire possunt omnia, quæ superiori tractatu adduximus pro incipientibus de necessitate & utilitate virtutum, ac imprimis timoris Dei; quia autem ibi dumtaxàt egimus de timore Dei, quatenus incipientibus magis proprius est; in præsenti adhuc aliqua differemus de eodem, quatenus præcipuè proficientibus, imò & perfectis servire potest pro stimulo, & fideli amico, ac socio: ideò.

Timor Dei proficientibus proprius, fundatur in spe æternorum.

Si petatis de quali timore Dei hic velim loqui; Respondeo, non esse illum, qui provenit ex consideratione æternæ gehennæ, quæ impijs servit velut flagellum, ad eos à peccatis abstrahendos, ne alioqui æternis cruciatibus adjudicentur; sed qui pullulat ex meditatione cœlestium bonorum, voluptatum paradisi, & æternæ gloriæ quæ perseverantibus in bono promissa sunt; ne per suam desidiam & negligentiam illis finaliter priventur: hic proinde timor Dei fundatur in spe salutis æternæ, sicut alius suum habet fundamentum in horrore, quem etiam impij per fidem habent, ab ardoribus sempiternis: porrò hic timor in spe fundatus reperitur in anima, dum per Dei gratiam ex corde conversa Deum tamquam omnis justitiæ fontem diligere incipit: sic ut benè animata, & erecta in spem æternæ retributionis, sollicitè inquirat, & sedulò practicet convenientia media ad eam consequendam: taliter timorata anima non solùm horret peccata mortalia, sed etiam *tamquam à facie colubri fugit* venialia, omnem operam adhibendo, ne ullâ deliberatâ voluntate faciat; quin imò non modicus illi dolor est, dum deprehendit se aliquam promerendi occasionem neglexisse: *ab omni specie malâ*, juxta monitum Apostoli, conatur *se abstinere*; ubique & in omnibus est valdè circumspecta, semper verita, ne forte uspiam à viâ salutis incipiat vel tantillum aberrare: minimos defectus reputat magnos; timet enim, ne Deus propter illos, suam gratiam ad perseverandum in bono necessariam paulatim subtrahat.

Quandonam reperitur in anima.

Vitat etiam minima.

Similiter,

Similiter, omni sollicitudine conatur etiam minima, quæ novit Deo placere, punctualiter exequi, aut etiam, quæ didicit ad salutem profutura, non audet omittere, sic ut de illâ verificetur illud sapientis, *Qui timet Deum, nihil negligit.* Studet occasionibus merendi.

CAPUT VI.

Anima Timorata semper est circumspecta, ne gratiam & merita amittat, & pro illis conservandis sollicita.

AVarus quispiam mercator, qui in mari habet plures naves prætiosis mercibus onustas, semper pavet & timet, ne fortè per aliquam tempestatem patiantur naufragium; ideò videns vel audiens apparentiam alicuius tempestatis, angitur, ad Deum & sanctos confugere solet, ne naves infortunium aliquod sustineant, sed bonis avibus ad portum appellant; quod si merces suas domi reconditas possideat, diligentiam adhibet, ne tineæ demoliantur, ne fures effodiant, ne per aliquam rimam diffluant; vnde etiam attendit ad minima, quæ illis nocere possent; ac ab omnibus nocivis eas sedulò præservat; quæ verò ad earum conservationem vel in minimo conducere possunt, nullatenus negligit; uno verbo, qui cupit dives fieri in hoc mundo, nihil negligit, quô divitias accumulet & conservet. Sollicitudo mercatorum.

Simili modô, qui habet timorem Dei fundatum in firmâ spe, & ferventi desiderio cælestium & æternorum bonorum, nihil æquè timet, quàm eorumdem jacturam per aliquam occasionem peccandi: quod si fortassis accumularit plurimas merces bonorum operum & meritorum, sic ut ejus anima sit velut navis prætiosis divinorum charismatum, virtutum, & gratiarum gemmis onusta; memor, quod durante hac vitâ, in hoc mundo degat, velut in procelloso mari, nunquam est sine pavore & timore, ne fortè, etiam in ipso portu naufragium subeat per aliquem consensum in peccatum; idque occulto Dei judicio, & divinæ sapientiæ dispositione propter suam infidelitatem, aut peccata aliqua occulta vel aliena; hinc est, quod deprehendens aliquos fluctus, tempestates, aut nymbos tentationum, adhuc amplius contremiscat, ac Deum & sanctos quàm humillimè deprecetur pro auxilio opportuno. Timens Deum æmulatur sollicitudinem mercatorum. Anima timorata ut navis onusta mercibus. Timet naufragium.

Prætereà probè sciens, quod de hora in horam per Dei gratiam congregare possit inæstimabiles Thesauros meritorum, insatiabili, attamen laudabili, eorum desiderio accensus, summâ sedulitate conatur omne tempus suum utiliter transigere, & abundare in omni opere bono, ubique cautè Timoratus omne tempus utiliter impendit. Sedulus in opere bono.

 circum-

circumſpiciens, ne tinea proprij amoris irrepat, ne pulvis etiam venialium peccatorum rubiginem adducat; ne etiam rubigo perverſæ intentionis, aut reſpectûs humani, corruptionem cauſet, aut occaſio ſit, ne Deo ſuam gratiam ſubtrahente, ipſe de ſtatu gratiæ excidat: O quàm hujuſmodi homo timoratus eſt vigil in oratione! quàm fervens in meditatione! quàm ſedulus in regularitate, & ad implendum omne Dei beneplacitum etiam in minimis! quàm ſtrictus in examine conſcientiæ, ut ſcrutetur omnes animæ latebras, paſſiones & inclinationes, ut detegat inſidias antiqui ſerpentis, fraudulentias mundi, ac ſubtiles proprij amoris inventiones! quàm cautè ſenſus ſuos cuſtodit, ne per has feneſtras fortè mors intret in animam! uno verbo, quia in omnibus pavet, ideò in omnibus cavet, & cum Propheta Iob poſſet dicere, *Verebar omnia opera mea*, non ſolum, quia *ſcio*, ô Domine, *quòd non parceres delinquenti*, ſed quia per aliqua opera mala, vel negligenter facta, timeo jacturam cæleſtium bonorum; & ſic quia talis verè *Timet Deum*, *nihil negligit*; ſed ubique advigilat, ut omnia profectus ſui ſpiritualis impedimenta vitet, ac etiam minimas merendi, ac Deo placendi occaſiones obſervet.

Circumſpectus ne à bono deficiat.

CAPUT VII.

Intimoratus multis inquinatur imperfectionibus in omnibus operibus ſuis.

Timor Dei eſt calcar proficientium.

IAm vidimus, quid timor Dei operetur in homine proficiente, & quomodò illi ſerviat pro continuo ſtimulo, & calcari ſpirituali, quo indeſinenter adigatur in via ſalutis; at quid fiet cum homine talis timoris Dei experte, nec pro illum habendo ſollicito, ſic ut non cum timore & tremore ſalutem ſuam operetur? quid dicam? reſpondet Eccleſiaſticus: *Qui ſine timore eſt, non poterit juſtificari*, & proverbium fert: *Qui non pavet, non cavet*; quia autem talis non habet timorem Dei præ oculis, *ideò inquinatæ ſunt viæ illius omni tempore*; ſi talem quempiam noveritis, advertetis illum eſſe incurium ſuæ ſalutis, nec pro medijs eam conſequendi ſollicitum; dum talis de lectulo quietis excitatur ad orandum & laudandum Deum, cogitat de continuando ſomno, &, uti ſolet dici, diſputat cum pulvinari, an velit ſurgere, nec ne: ſpiritus acediæ illi non rarò ſuggerit, quod caput doleat, &c. dum ſurgit, primæ eius cogitationes ſunt de accelerando officio, de abbreviando tempore orationis, quò ſic citius ad quietem revertatur; in ipſa oratione vel divino officio conatur, ſi poteſt, feſtinare, eſt plenus diſtractionibus, hinc indè aliquid omittit, verba ſincopat, aliquid præ-

Eccleſ. 1. Sine timore nemo juſtus. Pſalm. 10 5.

Intimorati pleni imperfectionibus.

Intimorati acedia & negligentia.

poſterè

posterè dicere parum curat, uno verbo, animum ad Deum parum aut nihil erectum habet, sed variè extroversum: ex quibus patet, *quia inquinatæ sunt viæ illius* isto *tempore*; nec est mirum, quia est de numero illorum, de quibus dicitur: *Non est timor Dei ante oculos eorum.* Psalm. 13.

Si talis cum alijs debeat pergere ad orationem, non est sollicitus, ut aliquid boni legat, vix mentem bonis cogitationibus occupat; vel solum cogitare, quod tempus meditationis instet; ipsi tædium causat; ob minimam occasionem sese absentat; si indè evocetur, gaudet; si cum alijs maneat, ad finem anhelat, tempus enim ipsi, æquo longius videtur & tædiosum; spiritum ad Deum elevare negligit; non rarò somnolentiâ premitur, &c. ecce, *inquinatæ sunt viæ illius* illo *tempore*, quia *non est timor Dei antè oculos ejus.*

Intimorati incuria, & nausea in spiritualibus.

Quod si talis manere debeat in solitudine, est ibi contra cor; est similis aviculæ inclusæ, quærens occasionem evolandi, vel alicubi sese exterius occupandi; alicui ambulationi & recreationi adinveniendæ studet; ad horam refectionis anhelat; hinc inde sine necessitate per domum vagatur; hic garrit; ibi curiositatem sequitur; hic inquirit, quid agatur, ibi circa aliena occupatur; istic diverticulum, & sensualitati indulgendi occasionem captat; ibi coco molestus est, illic de æconomo conqueritur, istic de cibo murmurat, ibi contra Superiorem; hic alios judicat, vel malè suspiciatur; ibi sui ipsius obliviscitur in cubilo ociatur, pigritiæ & somnolentiæ indulget, vix aliquod tempus utiliter impendit; tempore recreationis vel bonæ refectionis totus videtur vivere; quæ portiones parentur, inquirit; gulosè comedit, excessivè bibit, & totâ cogitatione, ac aviditate in cibum & potum effusus, vix ullam ad Deum mentis elevationem habet; ex quo iterum constat, quia *Inquinatæ sunt viæ illius omni tempore* quia *non est timor Dei antè oculos ejus.*

Non addictus solitudini est plenus defectibus, qui hic describuntur.

Intimorati vitia.

Ejusmodi vix in aliquo purè quærit vel intendit Deum, sed ubique se ipsum, proprium commodum, propriam satisfactionem & sensualitatem; rarò est compunctus corde; exiguam aut nullam habet devotionem; ad omnia pietatis exercitia est piger, mente vagus, rarò introversus, ad vana ordinariè extroversus, omnia sua facit ex naturali consuetudine, plurima ex respectu humano, magis quàm ex motivo pietatis, vel alia supernaturali intentione soli Deo placendi: sicque, *inquitatæ sunt viæ illius omni tempore* ac tota ejus vita plena peccatis, saltem venialibus, & mille imperfectionibus, quia *non est timor Dei ante oculos illius*; ad tales mihi liceret clamare, *venite filij audite me, timorem Domini docebo vos*; quo nimirùm timore imbuti non solum, abstineant à gravioribus culpis, sed etiam à levioribus, ac minimis imperfectionibus, saltem deliberatis, ne earum occasione minùs mereantur, & amplioribus Dei gratijs paulatim desti- Psalm. 33.

Intimoratus non purè quærit Deum, sed seipsum.

 tuantur,

tuantur, ac tandem notabilem meritorum, ac divinorum charismatum jacturam vel decrementum incurrentes, gravius labantur.

CAPUT VIII.

Qualis sit perfectus Dei timor, procedens ex puro amore Dei, sine reflectione ad pœnas malorum, aut præmium Bonorum, sed ad solum Deum summum Bonum.

Timor Dei in spe fundatus, etiam perfectis servit.

EX jam dictis innotescunt innumeræ imperfectiones & peccata, in quæ anima passim labitur defectu veri timoris Dei; uti econtrà colligere licet innumera & maxima bona ex timore Dei pullulantia; ita ut veluti in speculo contemplari liceat bona & mala quatenus mediante timore Dei, hæc sedulò vitemus, & illa avidè amplectamur: licet autem hic timor in spe cælestium bonorum, seu in amore Dei, qui concupiscentiæ nuncupatur, fundatus, ipsis proficientibus sit magis proprius; perfectis tamen etiam non rarò convenit; nam *qui* perfectè *timet Deum*, singulari quodam modo, *nihil negligit*, eorum, quæ ipsi aliquatenus ad Deo magis complacendum servire possunt: & quia in hac vita nemo ex omni parte beatus, seu plenè perfectus reperitur, unde & aliqua ratione omnes piè viventes numerari possunt inter proficientes, & hi, per fidelem in bene operando constantiam, sunt in proximo gradu, ut perfectis connumerentur; operæ prætium duxi, hic aliqua subjungere de perfectiore timore Dei.

Psalm. 33. Timor filialis perfectis proprius.

Venite ergò *Filij*, *audite me*; perfectiorem *timorem Dei docebo vos*: qualem timorem? filialem & reverentialem, qui ut proprietas individua pullulat ex purissimo Dei amore, qui vocatur amicitiæ; quo fit, ut anima purissimè Deum diligat, non quia ipsi bonus est, sed quia ipse in se est summum, infinitum, & incommutabile bonum, omni amore dignissimum; & per consequens timor, de quo in præsenti, efficit, ut anima non solum ab omni specie mala abstineat, & ad omne bonum amplectendum sit promptissima, quia novit & credit Deum rigidè punire malos, & copiosè remunerare bonos, sed quia omne malum culpæ Deo displicet, & bonum ei placet: atque ita anima devota per illum timorem filialem seu reverentialem declinaret à malo, & faceret bonum, etiamsi nec infernus exstaret, ad malum puniendum; nec cœlum aut aliquid aliud, ad bonum præmiandum; undè sicut amor amicitiæ ergà Deum excludit omne proprium interesse, sine reflexione ad proprium commodum vel incommodum, sed fertur in Deum purè secundùm se; ita timor perfectus ad nihil reflectit, nisi ut declinet

Pullulat ex perfecta charitate.

Puritas filialis timoris.

declinet

declinet ab ijs, quæ Summo bono etiam levissimè displicent, & amplectatur quidquid illi magis placet.

CAPUT IX.

Timor Reverentialis perfectæ Charitati non contrariatur: etiam Sancti tempore tentationum, ariditatis, &c. timuerunt judicia Dei.

FOrtassis objiciet aliquis, nónne scriptum est: *Timor non est in Charitate; nam perfecta Charitas foras mittit timorem*; verum est, sed intelligite de timore servili proveniente ex consideratione judiciorum Dei, æternitatis, pœnarum æternarum, vel etiam jacturæ cælestis gloriæ; nam *perfecta Charitas* hujusmodi, *foras mittit timorem*, sed non filialem seu reverentialem; quippè etiam perfectissima Charitas benè stat cum hoc timore, non cum alio, saltem pro tempore notabili, vel quando perfecta Charitas suæ relinquitur operationi, sive dum non suspenditur, à suo sensibili fervore; quod addo; eo quod non raro contingat, quod non raro etiam animæ in amore Dei consummatæ, ex speciali divinæ providentiæ dispositione, pro aliquo tempore relinquantur in tali dispositione internæ caliginis, ariditatis, & carentiæ omnis sensibilis vel perceptibilis gratiæ Dei, ut à Deo videantur planè desertæ, nec in se deprehendere ullam divini amoris operationem; non quod habitus Charitatis infusæ & divinæ gratiæ in eis minuatur, flaccescat aut pereat; sed quia ex singulari Dei permissione Charitas & Gratia Dei in ipsis suspenditur ab omni sensibili, saporosa, aut perceptibili operatione, impetuositate & fervore; perinde ac si relinquerentur puræ naturæ, absque ullo indicio supernaturalis influxûs, seu cooperationis divinæ, Deo id ita providente ad eas in humilitate conservandas.

1. Joan. 4.

Sancti etiam aliquando timent Dei judicia, sic in statu ariditatis &c.

Quomodò id fiat.

Status ariditatis in Sanctis.

Porrò in tali animæ constitutione mihi persuadeo, etiam magnos Sanctos, pro illo tempore internæ derelictionis, subinde locum dare prædicto timori quasi servili, aut initiali; utpotè cum hic illis, pro isto tempore, convenientior appareat; cum enim relinquantur sine distinguibili seu perceptibili operatione divini amoris; & partem sensitivam sentire videantur in plenâ naturæ vivacitate; videtur ipsis consultius, imò à Spiritu Dei adigi videntur, ut à vitâ purgativâ denuò incipiant: tales audietis gementes & plorantes, quasi timerent esse de numero reproborum, quasi suâ culpâ ex charitate & gratia Dei excidissent; tum ipsis vivaciter in memoriam redeunt

Timor quasi servilis subinde in sanctis invenitur.

Permittitur à Deo in illis ad humiliationem.

redeunt omnia peccata præterita, omnes negligentiæ & defectuositates, ratione quarum sese iram Dei & damnationem suspicantur promeruisse: Deo id ita ordinante ad perfectiorem eorum expurgationem ab omnibus reliquijs peccatorum præteritorum; ita ut hoc eis serviat pro purgatorio, quo posteà ex hac vita decedentes, recta migrent in cælum.

Pro purgatorio.

Sic legimus contigisse, pluribus Sanctis, qui in agone videbantur à Deo derelicti, atque tali timore & horrore contremiscere, ut viderentur de salute desperare; sed uti posteà scitum est, hoc ipsis servierat pro purgatorio: Venerabilis noster frater laïcus, Joannes à Sancto Samsone, non obstante quod esset ita consummatus in amore Dei, adeò sublimis in contemplatione, pro ut exempla ipsius, & scripta abundè significant, ante mortem, hoc debuit sustinere purgatorium: sancta Magdalena de Pazzi, etsi ordinariè adeò arderet in Charitate, ut amore languere & in continuâ extasi rapi videretur, subinde tamen timore Dei ita corripiebatur, ut de suâ salute anxia esset, unde & cum summo sensu humilitatis, dicebat ad alias, *ora pro me soror, ut possim salvari.*

V. Fr. Ioan. à S. Samsone in agone luctatur cum timore.

S. M. de Pazzi, aliquando timebat damnari.

Quocirca etsi audiamus aliquos in tali timore mansisse, non debemus ideò judicare eos minus sanctos fuisse, pro ut id patet in Sancto Jeronimo, & multis alijs antiquis patribus qui à spiritu timoris Domini, agi & ad diuturnas austeritates adigi videbantur: quin etiam Sanctissimus præsul *Carolus Borromæus* dicere solebat, quod optaret, usque ad diem judicij, subire pœnas purgatorij, modo de vitatione æternæ damnationis esset securus; simile legitur de pluribus alijs, qui tamen indubiè in amore Dei erant perfecti, etsi id nescirent, ad conservandum se in humilitate, & ad plenariam pro præcedentibus culpis, & negligentijs satisfactionem.

Non ideò sunt minores sancti, & si subinde notentur timuisse.

S. Hieron. & S. Carol. Borrom exercebantur timore novissimorum.

CAPUT X.

Timor Filialis seu Reverentialis hic describitur; invenitur etiam in Beatis, imò & in Christo; quid operetur in Beatis; & etiam in perfectis durante hac vita.

IAm ostendimus, quomodò & quandò timor Dei subindè, etiam in perfectis, reperiatur, sicuti in incipientibus & proficientibus debet inveniri velut stimulus & calcar, ut fideliter pergant in via salutis: porrò quia sequentibus capitibus agere intendimus de remedijs, & modis perfectè in Christo vivendi; hic consequenter nonnulla adjiciemus de timore Dei, qui est perfectis proprius, quem proindè foras non mittit perfecta Charitas.

Hic

c autem timor nihil est aliud, quàm filialis reverentia hominis tan- filij Dei, ad Deum ut Patrem; vel pudor reverentialis, seu reverentia a animæ velut amorosissimæ, honestissimæ & fidelissimæ sponsæ ad ı ut nobilissimum, amantissimum, & majestuosissimum Sponsum; mor reverentialis causat in anima prudentem circumspectionem, ut mni diligentia sibi caveat, non solùm ab omni peccato mortali & i, sed etiam ab omni, quod novit divinæ bonitati minus placere; autem hæc circumspectio ex tenerrimo filialis, aut sponsalis amo- ctu, quo anima in Deum fertur, quem per internam illustrationem it tanquam benignissimum Patrem, tanquam sponsum amabilissi- & maximum zelotem, tanquam summum bonum omni amore imum, tanquam Dominum immensæ Majestatis, cui omnis de- reverentia.

Timor reverentialis quid sit.

Ejus effectus.

Etiam est in Angelis.

c timore reverentiali tactæ, columnæ cœli contremiscunt: per il- rvantur, *qui portant orbem*; per illum tremunt Cherubim & Seraphim pectu Dei; talis timor perseverabit in Beatis; imò & fuit in Chri- e quo Isaias prædixerat: *Replebit illum Spiritus timoris Domini*; neque lius timor in Christo locum habere potuit, quàm reverentialis: ıor facit Angelos perfectissimè alacres, promptos, & quasi volantes quendum beneplacitum Dei; sic ut punctualissimè & sedulissimè ıntur, quidquid divinæ Majestati noverint placere, ac omni dili- avertant, quidquid illi sciverint displicere: per hanc circumspectio- timorem, & reverentiam accidit, quod cælestes Hierarchiæ semper sint ordinatæ, & omnes Chori Angelici sibi invicem pul- ıè subordinentur, conspirantes, & unanimiter ad hoc conantes, ut in ıs, per omnia, & ex omnibus *soli Deo immortali, invisibili, sit laus, r gloria.*

Iob. 9.

In beatis & in Christo.

Isa. 2.

Ejus effectus in beatis.

I. tim. 1.

timor facit beatos impeccabiles; cum enim clarè & intuitivè con- ntur *Patrem immensæ Majestatis*, sunt ineffabiliter circumspecti, ut sese xactissimè præservent ab omni specie mala; quâ Suprema Majestas iter posset inhonorari; porrò id quod hæc reverentia operatur in icis Dei, in Ecclesia triumphante, etiam, cum proportione, opera- nimabus Deum amantibus in Ecclesia militante; ac in illis reperi- or vel minor, pro ut magis vel minus participant de tenerrima & Dei dilectione; nam quo anima perfectiori amoris vinculo Deo gitur; eo reverentia ergà ipsum causat in illa majorem cordis mun- , non solùm ab omni macula peccatorum, sed etiam ab omni vo- imperfectione; undè fit, quod tales animæ vix audeant oculos iid convertere, digitum vel aliud membrum movere, verba mul- , vel cogitationes fovere, præterquam dum sciunt, aut confi-

Facit beatos impeccabiles.

Ejus effectus in perfectis.

dunt id esse de beneplacito Dei, attendunt ad omnes animæ affectiones! quasi ponderant omnes suas actiones, cribrant omnes cogitationes; ne quid commisceatur, quod vel levissimè Deum inhonorare posset; sicque contingit, quod tales Angelicam vitam degant in hoc mundo.

CAPUT XI.

Animæ perfectæ & amorosæ numquam possunt dimittere timorem Reverentialem; nisi fortè ex oblivione sui, speciali favore Dilecti allectæ.

Perfecta charitas non foras mittit timorem reverentialem.

NOnne ergò meliùs est, quod perfecta Charitas etiam hunc foras mittat timorem! nequaquam; quò enim amor Dei in anima major est, eo ipsa majore in Deum fertur reverentiâ, ac tanto vigilantiori custodiâ se abstinet ab omni, quod Dilecto suo suspicatur vel in minimo displicere; si quidem hic timor Dei semper comitatur perfectam Charitatem, imò suam indè radicem & fomentum accipit: neque verò vobis persuadeatis, quod anima amorosa in sua intima cum cælesti Sponso unione hunc timorem reverentialem dimittere possit; cum id ei non plus liceat, quàm dimittere debitam Deo reverentiam, & timorem illi in aliquo displicendi: imò Dei dilectio absque hoc timore reverentiali, transiret in temeritatem, vel in sensualitatem spiritualem, seu potiùs in sensualem Dei dilectionem, quæ foret admodum permixta proprio amore, propriâ quæsitione, vanâ in natura quiete, & sensuali spiritûs complacentiâ; ac consequenter iste Dei amor, esset magis sensualis, quàm divinus.

Animæ amorosæ non licet dimittere timorem reverentialem.

Amor Dei sine illo timore degenerat in sensualem.

Non possum tamen negare, quin contingat sæpiùs, quod anima amorosa perfruens dulcissimis amplexibus, amorosissimis osculis & alijs intimis lenocinijs Dilecti, sui obliviscatur in maximâ teneritudine & effusione amoris, perindè ac si cum sibi simili ageret, sicut amabilissima sponsa cum Dilecto suo: ita ut judicaretur oblita respectûs debiti; ad quod illi datur occasio, ex eo, quod cælestem sponsum videat quasi suæ Majestatis oblitum, & præ nimiâ ergà se charitate quasi insanientem, secum agere tam amicabiliter, tam amorosum sibi præbere osculum, tam familiares secum miscere amplexus, tam intimè secum uniri: ita ut cum Seraphicâ Matre Theresiâ, ac exstaticâ Virgine Magdalena de Pazzi, ad sponsum facilè clamaret; & rogaret, quid ipsi desit, quod in tenerrimâ ergà illam dilectione ita excedat, ac infinitæ suæ Majestatis ita obliviscatur, ut ipsi tam miseræ creaturæ exhibeat talia signa excessivi & zelotipi amoris.

Anima in osculo & amplexu sponsi obliviscitur aliquando sui, quasi cum sibi simili ageret.

Sponsus cælestis præ amore sui obliviscitur.

S. Theresia & S. M. de Pazzi monent dilectum de nimio amore.

Verum-

erumtamen statim ac anima ad hoc reflectit, debet illicò temperare dilectionis excessus, amorosam familiaritatem! amicabilem inter se tatem, per humilem verecundiam ac timorem, semper attendens, li respectum perdat, ac naturam seu potentias sensitivas nimium sinat udere: fortè sponsa in Canticis nimiâ usa fuerat libertate, dum spon- dicebat, *oculi tui me avolare fecerunt*, utique fortassis per nimis familia- ı & minùs reverentialem aspectum: quocircà etiam pro perfectis semper ессarius est timor reverentialis ergà divinam Majestatem: attamen hic nnihil limites excedimus, antè tempus agendo de ijs, quæ spectant ad rfectos; de quorum piâ vitâ in Christo, antequam ex professo agamus, ngemus hic adhuc unum caput; quo sic, proficientibus omni modô tisfacere, & manus auxiliatrices porrigere possimus.

Anima nunquam deliberatè amittit timorem reverentialem.

Cant. 6.

CAPUT XII.

Praxis piæ vitæ in Christo pro proficientibus.

CUm forsitan multi ex hactenus dictis non bene possint colligere, quomodò sese in particularibus actibus gerere debeant, ad piè in Christo vivendum, juxta exigentiam statûs proficientium; ideò non abs re fore existimavi, hic consequenter docere praxim, quam quisque illorum sequi poterit: quocircà qui anhelant pertingere ad piam Vitam in Christo, debent conari vitam Christi in se ad vivum exprimere, satagendo instar expertorum pictorum, eamdem velut absolutissimum omnis perfectionis exemplar, punctualiter in se copiare: iuxta quod scriptum est: *Aspice, & fac secundùm exemplar, quod tibi in monte monstratum est*; id est, conare omnem vitam tuam conformare secundùm exempla, quæ dedit tibi Christus, præcipuè in monte Oliveti, & in monte Calvariæ tempore suæ Passionis, ac totius suæ vitæ; idque, ut tandem dicere possis: *Vivo ego, jam non ego, vivit verò in me Christus*, nam, *mihi vivere Christus est*: id autem fiet, si cogitationes tuæ sint similes cogitationibus Christi, scilicet, semper elevatæ ad Deum, solummodò retinendo memoriam Dei, vel eorum, quæ ad Deum conducere possunt, captivando intellectum in obsequium fidei, eumque semper tenendo paratum ad auscultandum inspirationi Spiritûs sancti, qui requiescit, & loquitur pacem in anima ab omni sensualitate vacua.

Praxis proficientis vitæ in Christo.

Vita Christi imitanda.

Copianda.

Exod. 25.

Gal. 2.

Phil. 1.

Quomodò copianda in cogitationibus.

Per hoc etiam continget, quod voluntas tua conveniet cum voluntate Christi, atqui voluntas Christi erat voluntas æterni Patris, ergò voluntas tua utpotè una cum voluntate Christi, etiam erit voluntas æterni Patris: hæc autem voluntas in nihil tendit, nisi in bonum, nihil odit, nisi malum;

In conformitate cum voluntate Christi.

nihil quærit aliud, quàm honorem & gloriam Dei, salutem animarum, ac bonum omnium creaturarum; attende ergò Charissime, an voluntas tua sit talis; si non; talem habere satage, & rejice omnes alias voluntates tali voluntati contrarias, idque per cordialem tui abnegationem in omnibus; quod si voluntas Christi foret tua, ac omnes animæ tuæ potentias dirigeret cum pleno dominio, sine collusione propriæ voluntatis; omnia opera tua fierent similia operibus Christi, utpotè ab ipsius voluntate promanantia cum simili ejusdem intentione, qua Christus sua opera solebat exercere, nempè, ad implendum in omnibus beneplacitum Patris cælestis: atque tunc esses viva imago similis prototypo Christo.

Cum operibus Christi.

Subditus imitetur Christum.

Superior similiter.

Eccli. 32.

Luc. 22.

Luc. 9.

Exemplum Christi pro Superioribus.

Ioan. 13.

Luc. 22.

Quod si sis inferior, obedies cum tali perfectione, quali Christus fuit subditus Matri & Patri Putatitio, utique, cum plena subjectione, simplicitate, promptitudine & alacritate: Si sis Superior, eris inter tuos subditos, *quasi unus ex illis: sicut qui ministrat, sicut minimus* illorum; scilicet, cum humilitate, in charitate paterna, in mansuetudine, in longanimitate, sufferendo eorum defectus, cum tenera compassione in eorum imperfectionibus, in prudenter subindè dissimulando, in charitativè corripiendo, &c. prout Christus in omnibus his virtutibus clarissimè enituit, dum cum Discipulis conversabatur in qualitate Magistri, Domini, seu Superioris: audi illum loquentem, *si ego lavi pedes vestros, Dominus & Magister, & vos debetis alter alterius lavare pedes.* Et, *ecce ego in medio vestrûm sum, sicut qui ministrat:* Item, *filius hominis non venit ministrari, sed ministrare*; Ex quibus colligere est, qualiter quispiam in superioritate constitutus sese gerere debeat, si se à Spiritu Christi regi sinat.

Quomodò imitandus Christus in conversatione, oratione.

In comestione.

In colloquijs.

Prætereà, si cum alijs converseris, eris inter illos sine offendiculo, sine querelâ, cum omni prudentiâ in verbo & opere: Si orationi te dederis, perfectè orabis, aut potius Spiritus Christi in te orabit, quem legimus sæpius ivisse in montem, ut solus oraret, & in oratione pernoctaret, scilicet cum attentissimâ mentis elevatione, ac plenâ resignatione propriæ voluntatis in voluntate Dei Patris; quocirca, dum oras, attende ad orantem Iesum, junge tuam orationem orationi Christi, & stude orare, sicut ipse oravit, aut potius, permittas illum in te orare: sumens alimentum necessarium, si voluntas Christi te regat, id facies, sicut Christus scilicet, habens intereà cum ipso alium cibum manducare; adimplere, inquam, voluntatem Dei, qui vult, ut sine sensualitate, sobriè naturæ demus necessaria: in colloquijs nunquam eris effusus ad risum, præteferes tamen ubique benignum vultum, prout Christus, quem legimus nunquam risisse, sed semper blandum & gratiosum vultum præsetulisse; verba tua prodibunt cum pondere, plena humilitate & mansuetudine, redolentia Charitatis odorem; nunquam levia, amara, acerba, detractoria, contumeliosa, murmuratoria; de omnibus

bus bene senties, & bene loqueris, vel prudenter tacebis; malè loquentes si impedire non possis, quasi non audies, ad Deum te convertendo; & sic cum tuo silentio poteris eos lucrari, vel à mali-loquio compescere; idque totum exemplo Christi, qui inter publicanos, & peccatores, cum tali amicabilitate conversabatur, eorumque convivijs aderat, ut ejus conversatio non esset illis tædiosa; etsi enim peccaminosa eorum corda penetraret, & plurima displicentia videret, noverat tamen suo tempore dissimulare, eosque cum longanimitate ad pœnitentiam excitare. Conversatio Christi erat amabilis.

Insuper, si in te viveret Spiritus Christi, perfectè disceres esse mitis & humilis corde; ac proinde dum aliqui tibi adversarentur, aut aliquam injuriam irrogarent, vel durè loquerentur, omnia humiliter sustineres, mansuetè ac sine animi turbatione te habendo, exemplo Christi, *Qui cum malediceretur* (teste principe Apostolorum) *non maledicebat*; *cum pateretur, non comminabatur*, sed gerebat se *sicut agnus, qui portatur ad victimam*, & *non aperuit os suum*, ad se excusandum, vel conquerendum, nisi fortè ut Patrem cælestem pro Crucifixoribus deprecaretur, dicens, *Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciant:* ubi vides, qualiter in passione te Christo deceat conformare; vel etiam, ut rem Deo gratissimam facias, omnia, quæ exterius vel interius pateris, unias passioni Christi, & assuesce ea sic Christi passioni unita æterno Patri offerre pro aliquibus amicis, vel inimicis, pro justis vel peccatoribus, pro conversione infidelium pro vivis & defunctis, prout existimabis Deo magis placere. Imitandus Christus in humilitate, mansuetudine, patientia. 1. Pet. 2. Ier. 11. Luc. 23. Passiones nostræ uniendæ Passioni Christi.

Deinde, si tibi vivere Christus esset, cognosceres, quomodò non sis creatus & missus in hunc mundum, ut facias voluntatem tuam, sed voluntatem ejus, qui te creavit; quocirca unicum objectum & scopus omnium tuarum actionum, omnis loquelæ vel silentij, omnium cogitationum tuarum, esset perfectissima Dei voluntas, exemplo Christi, qui dicebat se non venisse in hunc mundum, ut faceret voluntatem suam, sed voluntatem ejus, qui miserat illum: denique in opere manuali te conformares Christo in suâ adolescentiâ operanti & parentibus in obsequijs domesticis servienti; opportuno tempore somno te dando id faceres, sicut Christus fecit, scilicet, cum simili modestiâ. In spirituali derelictione, & tentationibus attenderes, quomodò Christus in illis se gesserit, dum à spiritu ductus in desertum fuit tentatus à diabolo, & in Cruce ad patrem clamabat. *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Atque ita in omnibus Christo conformis fieres. Homo creatus est, ut faciat voluntatem Dei. In omnibus agendis imitandus Christus. Etiam in ariditate & tentatione.

Equidem hoc tibi persuadeas, & pro certo habeas, quod quanto melius hæc omnia practicaveris, tanto perfectior fueris, & certius tuæ ad æternam gloriam prædestinationis signum habueris; nam iuxta dictum Apostoli, *quos Deus præscivit, & prædestinavit conformes fieri imagini filij sui*; quod utique non melius fieri potest, quàm sinendo te regi in omnibus Spiritu Christi, Conformitas cum Christo est signum prædestinationis. Rom. 8.

ac omnia tua in ejus ſpiritu faciendo, vel ſaltem omnia tua verba, cogitationes & opera Deo offerendo in unione meritorum Chriſti; quo ſic omnes tuæ imperfectiones bonis etiam operibus miſcere ſolitæ, per illam unionem poſſint deleri: quocirca Chariſſime, inſpice, & fac fideliter ſecundum propoſitum tibi vitæ Chriſti exemplar, imitando curioſos pictores, qui volentes extrahere aliquam copiam, ne vel minimam lineolam trahunt, niſi prius reſpexerint prototypum; tali quippè modo, etiam nullum opus facias oportet, quam ſecundum exemplum à Chriſto relictum in exercitio talis, vel talis operis, v. g. in opere manuali, in comedendo, bibendo, dormiendo, orando, concionando, converſando; quatenus tali modo te in omnibus geras ſine errore, hoc ut certiſſimum tenendum, quod ſi Chriſto conformis fueris in vitâ, *ambulando ſicut ipſe ambulavit*, etiam illi conformis fies in gloriâ, quam nobis largiri dignetur JESUS Chriſtus, qui nobis reliquit exemplum, ut ſequamur veſtigia ejus.

TRACTATUS IV.

De Pia Vita in Chriſto pro Perfectis.

CAPUT I.

Perfecti vivunt in Chriſto, ut Camæleon in aëre.

ALiter in aëre vivunt aves, aliter animalculum Camæleon: qualiter autem aves imitari oporteat ad piè in Chriſto vivendum more proficientium, jam antè explicatum eſt; qualiter verò Camæleontem, & Salamandram imitari conveniat ad piè in Chriſto vivendum juxta exigentiam perfectionis, nunc cum Dei gratia, dicere incipiam.

Camæleon ſecundùm Plinium aëre paſcitur.

Quidem verum eſt quod aves & Camæleon pariter dicantur vivere in aëre; ſed aves in eo ſolum agitant alas, & reſpirant; ſed Camæleon iuxta mentem Plinij, inter alia animalia talem habet naturam, ut alio pabulo, quam aëre non indigeat, nec utatur; ita ut in aëre non ſolum reſpiret, ſed etiam indè nutrimentum habeat, eumque vertat in ſuam ſubſtantiam: eodem modo tam proficientes, quam perfecti piè vivunt in Chriſto, velut in ſaluberrimo & ſuaviſſimo aëre, ſed non eodem modo; nam proficientes per conti-

continuas aspirationes, & ferventes precatiunculas quasi in Christo respirant, ac per diligens virtutum exercitium, & devotas meditationes sursum in ipso volant; sed necdum per nutritionem spiritualem in hoc aëre, unum quid cum illo, seu cum Christo efficiuntur; donec quasi assumpta natura camæleontis, incipiant in Christo & cum Christo vivere, ipso fruendo ut cibo,& sic paulatim in ipsum se transformando.

Perfecti ut Camæleon in aëre, vivunt in Christo.

Tales sunt, qui jam in via perfectionis constituti, non solum respirant in Christo, jugiter aspirando & anhelando ad perfectam Christi imitationem, sed insuper vi unitivi amoris in ipsum veluti transformantur; ita ut in omni suo agendi modo, in omnibus suis actionibus, in prosperitate & adversitate, in afflictionibus & persecutionibus, sint sicuti viva imago Christi Salvatoris, ratione istius divinæ transformationis: hi sunt, in quibus adimpletur id, pro quo Christus paulò antè suam passionem deprecabatur Patrem dicens: *Oro te Pater, ut omnes unum sint; sicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint*: res sanè summè desiderabilis, modo tam nobili unum cum Christo fieri; verum ad hoc non facilè pertingitur, nisi per jugem ruminationem & spiritualem masticationem vitæ Christi, ac ejusdem in nobis fidelem expressionem, quin imò efficere oportet, ut imitatio Christi sit quotidianum nostrum nutrimentum, per eam crescendo in Spiritu Christi; nam qui tali modo adhæret Christo, paulatim unus Spiritus fit cum illo.

Perfecti per amorem in Christo pascuntur, in ipsum transformantur.

Ioan. 17.

Fiunt unum cum Christo.

CAPUT II.

Quomodò Christus perfectis serviat pro cibo, sicut aër Camæleonti.

FOrsitan petet aliquis, quomodò illud animalculum Camæleon possit vivere & invenire nutrimentum in aëre? aër enim est elementum, & ex mente Philosophorum, nullum purum elementum servire potest pro nutrimento, vel verti in substantiam alicujus viventis: præterea quomodò Christus potest nobis esse cibus spiritualis, ita ut in ipsum quasi transformemur, cum Christus sit Deus, Deus autem entitas simplicissima, & absolutè immutabilis? hæ sunt quæstiones bonæ & convenientes; ad quas respondeo primò, Camæleontem non nutriri aëre, pro ut est purum & simplex elementum, sed in quantum est aliquibus vaporibus vel alijs subtilibus substantijs permixtus: similiter non benè comprehendi potest, quomodò possimus Deiformes fieri, & in ipsum quodammodò transformari; non tamen sine fundamento utimur tali modo loquendi: quo fundamento?

Aër ut mixtus vaporibus servit pro nutrimento Camæleonti.

aſcendere, niſi adinveniſſet modum manendi ſemper cum ſuis, undè ipſis promittebat, *ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſaculi*: at quô modô? eſtote quieti; Chriſtus utpotè æterna Sapientia Patris mirabili uſus eſt adinventione, dum in cæna noviſſima inſtituit Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, & præsbyteros conſecravit, qui indies hoc Sacramentum renovarent, quò ſic totus Chriſtus ſecundùm ſuam divinitatem ſimul & humanitatem, ſub ſpeciebus panis & vini, ſemper in Eccleſiâ permaneret: quin imò ſic manere apud ſuos Chriſto non ſufficiebat, ſed inſuper abſolutè volebat ſuis fidelibus ſervire pro cibo & potu; *niſi*, inquit, *manducaveritis carnem filij hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis*: videte, quàm exceſſivus amor ſalvatoris ergâ ſuos, quo ipſis vult ſervire loco cibi & potûs, cum intentione, ut per condignam ejuſdem cibi & potûs ſumptionem in ipſum transformemur, & unum cum ipſo fiamus, ſicut ipſe cum patre unus eſt.

Matt. 28. Chriſtus vult ſuis pro cibo ſervire. *Ioan. 6.*

At quomodò fit hæc transformatio, & unificatio? per amorem unitivum, in quô anima devota, poſt ſumptionem hujus vivifici cibi, ſeſe debet exercere; nam ſicut calor naturalis conſumit cibum corporalem, & adaptat, ut vertatur in ſubſtantiam aliti, per naturalem nutritionem; ita etiam ſupernaturalis calor divini amoris, mirabili modo, conſumit, non, ſicut calor naturalis, cibum, ſed eum, qui ſumit, illum diſponendo & idoneum efficiendo ut cum hoc divino cibo unum fiat, & in Chriſtum transformetur: porrò hæc diſpoſitio ſeu adaptatio ad fieri unum, hæc ſpiritualis digeſtio fit per ſublationem omnium malorum humorum, omnium qualitatum & accidentium, quibus anima vitæ Chriſti diſſimilatur, ac per introductionem bonorum accidentium, qualitatum, habitudinum, quibus vitæ Chriſti poſſit aſſimilari.

Transformatio in Chriſtum fit per amorem. Comparatur ſpiritualis nutritio cum naturali.

Hinc fit, quod ſicut homo acquirit naturales complexiones, humores, & alias naturæ & corporis diſpoſitiones, meliores & pejores, ſecundùm alimentum, quo ordinariè veſcitur; ſimili modô anima per dignam hujus cæleſtis panis ſumptionem, paulatim acquirit ſupernaturales complexiones, indolem, mores, inclinationes, tales, quales in ipſo Chriſto reperire eſt: tales animas videmus fieri omninò mites & humiles corde, ſicut Chriſtus fuit mitis & humilis corde; eas videmus fieri zeloſas pro honore Dei, ferventes in oratione, ad omnem obedientiam promptas, in paupertate voluntarias, in caſtitate Angelicas, ad omne opus bonum ſedulas, proximo amicabiles, charitativas, &c. tales proindè cum libenter *ſe dicant eſſe Chriſti*, *ambulant*, *quemadmodùm ipſe ambulavit*; nam *& vita Chriſti manifeſtatur in ipſis*; ſic ut cum Paulo dicere pôſſint: *Mihi vivere Chriſtus eſt.*

Quomodò fiat nutritio ſpiritualis per S. Communionem. Quo ſenſu anima in Chriſtum mutetur.

CAPUT IV.

Quarè multi parum proficiant cum frequenti Communione.

FOrtè dicet aliquis, jam à multis annis frequenter ad sacram Synaxim accedo, & tamen hanc divinam in Christum transformationem in me non deprehendo, adhuc ego totus vivo, nec Christus hactenus videtur incepisse in me vivere: verum dicis; at undè hoc venit? sinè indicium est stomachi infirmi & indispositi, dum defectu caloris nativi non potest digerere, & nauseat cibum sumptum vel sumendum; an hoc sæpiùs non contingit tepidis Christianis, imò & religiosis? nam ratio, cur isti hoc pane Angelorum non nutriantur, & proficiant, est, quia defectu ignis divini amoris hunc panem non valentes digerere, id est, ejusdem operationes & efficaciam non valentes percipere, nullum in eo gustum inveniunt; sed potiùs aversionem & nauseam sentiunt. Non obstante, quod Deus olim pro filijs Israël pluisset cæleste manna in summâ abundantiâ ad manducandum; attamen major pars, nullum in eo gustum, nullum indè nutrimentum percipiebat; vndè passim querulosi dicebant, *anima nostra nauseat super cibo isto levissimo*; undè hoc? nónne illud manna in se continebat *omne delectamentum suavitatis*? nónne ex se dabat saporem omnis generis ciborum? sic erat, pro justis & fidelibus, non pro impijs & infidelibus; undè hi turpissimè murmurabant, dicentes, sese meminisse alliorum, & cæparum, quas manducaverant in Egypto; &c.

Indigestio cibi signum infirmitatis est.

Cur multi cum frequenti communione non proficiant.

Manna sapiebat solis bonis. num. 21.

Sap. 16.

Quæ utinam etiam-num locum non haberent in pluribus tepidis Christianis & Religiosis, qui solo nomine Christiani vel solo habitu Religionis gloriantes, juxta exigentiam suæ professionis non vivunt! hi forsitan facilè dicerent de hoc pane Suavissimo, *qui de cælo descendit*, *nauseat anima nostra super Cibo isto*: verum quis ita blasphemè, & impiè de hoc sapidissimo Manna loquetur? verbo quidem non dicunt, sed opere: ponant in sinu suo manum suam, & vereor, quod omninò leprosam retrahent; siquidem, si ad se reflectant, invenient, sibi nonnumquam videri nimis multiplicari dies communionis ab obedientia, vel juxta aliquorum devotionem permissos; debebunt fateri, se majorem delectationem, ac animi satisfactionem sentire in aliqua corporali recreatione, seque ad illam majori desiderio anhelare, quam ad cælestes has epulas: undè hoc? quia has aliquo sensu nauseant, & habent apertum, nec non acuunt appetitum ad recreationes corporales: vultis scire, undè oriatur hæc nausea? ex defectu ignis divini amoris, stomachus eorum non est benè dispositus ad digerendum.

Tepidi nauseant S. Communionem.

Vndè nausea S. Communionis.

Quidem

Quidem verum est, Sanctissimum hoc Sacramentum est cæleste Manna omne delectamentum, omnem suavitatem in se habens multiplicium gratiarum & virtutum, quas indubiè gustant & percipiunt, quotquot sano stomacho, ac incorrupto palato ad illud accedunt; sed pro imperfectis Christianis vel negligentibus Religiosis, qui adhuc sapiunt mundum, & ea, quæ in mundo sunt, vix viventes secundùm Spiritum; qui adhuc recenti memoriâ tenent delicias, voluptates, gaudia hominum mundanorum, sine reflectione ad amaritudinem cum illis misceri solitam, nec attendendo ad malum earum exitum, nam *extrema* mundani *gaudij luctus occupat*; pro his, inquam, panis ille, qui de cœlo descendit, non est suavis, nec sapidus; cujus ratio est, quia adhuc habent palatum corruptum per gustum mundanarum voluptatum; quia necdum plenè convaluerunt à mortali infirmitate, qua in vita sæculari obruebantur; nec debitam adhibent diligentiam, ut ad plenam animæ sanitatem perveniant.

S. Eucharistia de se manna suavissimum.

Non sapit sensualibus.

Quare non.

Infirmi non rectè judicant de saporibus; quæ enim dulcia sunt, videntur illis fellea & amara: ita etiam animæ, quæ adhuc infirmæ sunt in virtutibus, quæ exiguum profectum fecerunt in sincerâ ad Deum conversione, vix inveniunt gustum, imò concipere nequeunt, quomodò aliqui tantum gustum percipiant in frequenti Communione; contrà illos murmurant, & dicunt, quod tam frequentem usum Sacræ Eucharistiæ oporteret impedire, & ipsi, quantum in se est, impedire non verentur: quare? isti sunt adhuc sensuales & *animales homines, qui non percipiunt ea, quæ sunt Spiritûs Dei:* & quia cælestis ille panis ipsis parum sapit, & prodest, Ideò metiuntur alios eâdem mensurâ, & opinantur eos etiam exiguum (prout ipsi) cum illo fructum facere; sed hic eorum error nimis palpabilis est.

Infirmi etiam spiritualiter non habent gustum in S. Communione.

Murmurant contrà frequenter communicantes.

1. Cor. 2.

Advertamus hic ergò Charissimi, quomodò nos procedamus, & de quorum numero simus, an cum nauseâ, id est, sine desiderio, sine fervore, vel econtrà cum fame & spirituali appetitu ad sacram hanc Mensam accedamus; si cum fame & appetitu; res bene succedit; nam signum est sani stomachi, qui est idoneus per bonam hujus sacratissimi Cibi digestionem, veterem hominem convertere in novum, qui sit secundùm cor Dei, ac totum hominem in Christum transformare: quod si non delectet sæpè communicare, vel dies Communionis nimis frequentes videantur; laboramus spirituali nauseâ, & indicium est infirmæ animæ valetudinis; neque cum animæ nostræ sanitate poterit benè succedere, nisi ampliorem ignem divini amoris in culinâ nostrâ, in stomacho animæ nostræ, in voluntate rationali procuremus; alioqui enim noxij humores pravarum cupiditatum manebunt indigesti, & tandem causabunt morbum animæ lethalem, aut congerent apostema, quod posteà interiùs erumpet per consensum in peccatum mortale, & exteriùs per executionem ejusdem.

Devotio ad sæpè communicandum signum est bonæ mentis; econtrà indevotio.

Indigestio spiritualis noxia.

Ignis divini amoris digerit malos humores vitiorum.

Verum, dum in corde ardet ignis amoris Dei, is consumit omnes crassiores humores vitiorum, conservat hominem in bonâ spiritûs dispositione, ac dum adhibetur frequens ac devotus sacræ Eucharistiæ usus, totus homo paulatim in Christum transmutatur; quod fit, dum anima efficitur vivum Christi membrum, dum in ipsâ jam *inhabitat virtus Christi*; ita ut in omnibus suis operibus & modis agendi, in se exprimat & imitetur imaginem Christi, & unus cum illo spiritus fiat per uniformitatem morum, per conformitatem voluntatum, & operum; ad hanc in Christum transformationem semper cum summo fervore anhelare oportet; ad quam ut meliùs pertingamus, animadvertere necesse est, quomodò nos in sumptione hujus panis Angelici, & post ejusdem sumptionem gerere debeamus.

Transformatio in Christum quomodò fiat, & patescat.

CAPUT V.

Quomodò ante Communionem appetitus excitandus sit.

Excitandus appetitus.

COmmuniter dicitur, cibus sumptus sine appetitu, nihil prodest; & optimum condimentum est fames; ideò qui sanitatem cordi habent, semper sibi student providere de tali condimento, per moderatam abstinentiam, per aliquid, quod appetitum excitare possit; qui ad lautum aliquod convivium sunt invitati, cavent anteà gravare stomachum grossioribus cibis, quo ibidem cum majori appetitu, delicatioribus vesci possint, qui sanitati meliùs conveniunt. Eodem planè modo, cælestis ille panis sine appetitu, ut minus voluntatis rationalis, sumptus, parum aut nihil prodest, & exiguas addit vires, aut delectationem; dixi, *ut minus*, &c. neque enim opus est habere valdè sensibilem devotionem, tenerum amoris affectum fundatum in potentia sensitiva, qui tanto est imperfectior, quanto sensus plus colludunt, cui proindè non est multum fidendum; sed satis est, habere devotionem rationalem, id est, firmam voluntatem Deum non offendendi, & stabile desiderium ipsi per omnia, & in omnibus placendi, sive in ariditate, sive in suavitate, sive in afflictione, sive in consolatione: hæc enim voluntas est sincera animi promptitudo ad omnia, quæ grata sunt oculis Dei, & consequenter est vera devotio, sufficiens, ut cum fiducia ad hanc sacratissimam Mensam frequenter accedamus.

Non est necessaria sensibilis devotio.

Sufficit devotio rationalis ad S. Communionem.

Præterea in prætiosissimo hoc convivio optimum condimentum etiam est appetitus, id est, insatiabile desiderium hauriendi ex eo nutrimentum, & robur Spiritûs; tale enim desiderium non est in vanum, sed, dum venit ex corde, completur, nam *desiderium pauperum exaudivit Dominus*; atque isto modo cibus iste Angelicus multum proficit; quocircà ut conciliemus nobis istam

Appetitus S. Communionis est optimum condimentum.

Psalm. 10.

istam famem, ut istum appetitum procuremus, oportet nos abstinere ab omni sensualitate, qua solet spiritus fieri fastidiosus, & amittere gustum rerum divinarum, sic ut non sapiat ea, quæ Dei sunt; deindè istum appetitum diversis modis acuere debemus; quod convenienter fit per inquisitionem, & inventionem aliquorum efficacium motivorum, quibus voluntas moveatur ad hoc sanctissimum Sacramentum maximi faciendum; v.g. per maturam considerationem excellentissimi amoris, cujus impulsu Salvator illud instituit; per vivam fidem realis & actualis præsentiæ Christi, Dei & hominis, pro nobis passi, mortui & sepulti, sub consecratis speciebus panis & vini; per ruminationem fontis & auctoris omnium gratiarum, qui sub illis latet, paratus influere in corda nostra, quoties ad hoc Sacramentum dignè accedimus.

Appetitus spiritualis excitatur per abstinentiam sensualium &c.

Per pia motiva.

Hic juvat in mentem revocare, quod ibi latitet, & oculis nostris corporeis, sed non spiritualibus fidei, absconditus sit Pater noster benignissimus, qui nos Filios prodigos omni hora paratus est in gratiam recipere, & propriâ carne & sanguine nutrire; item optimus noster Magister, qui verba vitæ æternæ habet, & desiderat nos docere omnem Veritatem; strenuissimus noster Dux, qui pro nobis vicit mundum, & diabolum alligavit, & suo nos exemplo in virtutum palestra animavit, ac vino suæ dilectionis confortavit, hic inveniemus etiam fidelissimum nostrum Pastorem, qui nos suas oviculas proprio pascit cruore, ac cibat carne, ex amore infinities majore, quam ulla unquam mater proprium lactavit infantem; hic etiam adest expertissimus Medicus, qui de cœlo descendit, non ut sanos, sed ut nos ægros visitaret & curaret: hic est compassivus ille Samaritanus, qui ex mera charitate vulnera nostra cupit sanare! hìc anima amorosa inveniet Sponsum suum cælestem paratum eam suavissimè amplecti, osculari, ac per amorem unitivum cum illa conjungi, ut sic illi possit desponsari in fide & dilectione, ac prætiosissima gratiarum monilia ab eo recipere, &c. quocircà bonum erit ad similia attendere, ut unusquisque secundùm unctionem Spiritûs, sese utiliter hic possit occupare; nec dubito, quin sic agendo, in omnibus excitabitur major fames & appetitus ad hoc Manna absconditum.

Variæ considerationes ad devotè comunicandum utiles.

Christus sumi potest ut Pater, Magister, dux, Pastor.

Vt medicus.

Vt pius Samaritanus.

Vt sponsus.

CAPUT VI.

Quomodò invitemur ad sacram Mensam, & appetitus pro illa servandus sit.

TEste Sapiente: *Sapientia ædificavit sibi domum, miscuit vinum, & posuit mensam*; id est, æterna Dei Sapientia, incarnata, instituit Ecclesiam, ac in

Christus omnes invitat ad Com-

-municandum. ac in ea ordinavit pretiosissimum convivium, instituendo in novissima Cœna sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, dans suum Corpus in cibum; Prov. 9. 1.2. & Sanguinem in potum sub speciebus panis & vini. Ad hoc convivium Prov. 9. 5. nos invitat eadem increata Sapientia Patris, dum ait: *Venite & comedite Panem meum, & bibite Vinum, quod miscui vobis*; itaque omnes sumus invitati ad epulas, in quibus invenire est cibum delicatissimum, & vinum suavissimum, pro quibus proindè operæ prætium est servare appetitum, dum illis cupimus interesse: vultis scire, quomodò appetitus servandus? Abstinere nos convenit à grossioribus cibis voluptatum carnalium, deliciarum mundanarum, inanium gaudiorum; cavendum est, ne ventrem ingurgitemus siliquis porcorum, id est, rebus vanis, transitorijs, terrenis, in quibus homines hujus sæculi, velut porci in sordibus delectantur; debemus dimittere, & oblivioni tradere ollas Egypti tum cæpis & allij, volo dicere, omnes carnis spurcitias, & gulositates mundi, ut sic assueti bonæ dietæ, ac rerum noxiarum abstinentiæ, majori appetitu possimus frui mensâ istâ cælesti, ac mannâ angelico, in quo latet omne delectamentum suavitatis, seu omnis generis gratiæ pro omnibus, qui esuriunt, & sitiunt justitiam: nisi enim servemus talem dietam, timendum est, quod stomachus noster erit indispositus, nec capax digerere hoc manna, aut nos in illud transformare.

Pro Communione appetitus est servandus.

Quo sensu.

Si quis pleno & saturo stomacho sumat etiam cibum optimum, & vinum deliciosissimum, cogitur ejicere indigestum, absque eo, quod effectus, aut efficacia illius cibi, vel vini, corpori communicetur; ita etiam, si quis, sequens indies suas sensualitates, ac desideria carnis perficiens, præsumit ad hanc sacram mensam accedere, parum juvabit divinus ille cibus, quantumvis confortativus, & suavis secundùm se; neque enim suam virtutem in talem exerere aut communicare potest.

Sensualibus non prodest Communio.

CAPUT VII.

Quomodò Cibus Eucharisticus spiritualiter masticandus sit.

S Eucharistia spiritualiter masticanda est.

DUm aliquis saporoso vescitur cibo, delectatur illum diu tenere in ore, ac sæpius ruminare; quin imò pluribus consultum videtur, cibum minutissimè masticare, utpotè cum tùm cibus sit facilioris digestionis, ac citius vertatur in substantiam aliti per congruam nutritionem: eodem modo animabus Deum amantibus volupe est sacram hostiam sæpius supra linguam habere, cum in ea ineffabilem non rarò experiantur dulcedinem & con-

consolationem; præcipuè autem omnibus consulendum est, ut sacrum hunc Cibum debitè masticent: animalia, quæ pabulum suum ruminant, puta, boves, oves &c. erant in antiqua lege Deo accepta, ab eoque ordinata, ut idonea ad sacrificia; in signum, quod in nova lege gratiæ, etiam animæ illæ Deo præ cæteris placeant, ac sint aptæ ad acceptabile Deo de se sacrificium offerendum, *in odorem suavitatis in conspectu Domini*, quæ libenter ruminant.

Animalia ruminantia apta sunt ad Sacrificia.

Num. 15.

At quæ sunt istæ animæ rumunantes? illæ sunt, quæ dum ad sacram Communionem vadunt, maturè cogitant, & recogitant, quid ibi sumant, puta, Deum & hominem, eundem Christum, qui pro nobis passus, crucifixus, mortuus & sepultus, tertiâ die gloriosus resurrexit, ac quadragesimo die posteà in cælum triumphaliter ascendit: illæ sunt, quæ vivâ fide perpendentes, sese hic sumere suum amantissimum Patrem, affectuosissimam Matrem, sapientissimum Magistrum, clementissimum Dominum, vigilantissimum Pastorem, expertissimum Medicum, amabilissimum Sponsum, sese consequenter in affectibus tali ruminationi convenientibus devotè exercent.

Animæ spiritualiter ruminantes.

Hic licet animæ devotæ attentè considerare perfectissimas qualitates, quæ Christo Domino competunt; in qualitate Patris, quam paternâ sollicitudine & benevolentiâ suis filijs provideat; in qualitate Matris, quam tenero amoris affectu suos electos enutriat, eisque ubera misericordiæ & gratiarum sugenda præbeat; in qualitate Magistri, quam libenter à nobis repelleret omnes ignorantiæ tenebras, ac infunderet plenam scientiam ac notitiam omnium ad salutem necessariorum vel utilium; in qualitate Domini, quam punctualiter ipsi servire conveniat, quam à nobis honorari desideret, cum promissione tamen æternæ retributionis; in qualitate Pastoris, quam sit sollicitus, ut nos deducat ad bona pascua, seu ut vocet, ad aliquem statum salutarem; quam sollicitè etiam nos defendat contra lupos, seu contra hostes animæ nostræ interitum molientes; quam sæpè nos velut oves aberrantes quæsierit, & ad caulas reduxerit, cum intentione nos tandem ad pinguissima cælestis paradisi pascua deducendi; in qualitate Medici, quam sit compatiens, & expertus in morbis & vulneribus curandis; in qualitate Sponsi, quam sit speciosus præ filijs hominum, quam amabilis, quam plenus desiderijs sese castis animabus uniendi, eas amorosè amplexandi, & varijs gratijs ornandi, & sic de cæteris.

Quomodò ruminatio spiritualis post Communionem facienda considerando qualitates Christi ut patris, matris, magistri, Domini, Pastoris. Medici, Sponsi.

Per similem spiritualem ruminationem hujus Deifici panis, in voluntate rationali indubiè excitabitur magna delectatio, & sapor bonarum affectionum, diversarum secundùm diversam personam & qualitatem, quam in Christo considerare lubebit, v. g. affectum amoris erga ipsum, & colloquium cum ipso, tamquam cum Patre nostro; amicabilem & filialem con-

Ruminatio spiritualis delectat; causat pios affectus, ad Christum ut patrem &c.

lam cum aqua & carne & illi, statim ac bullire incipit, continuò aquam frigidam infundens, non facilè habebit carnem coctam; eo quod per illas repetitas frigidæ infusiones impediat ignem à coctione; ità etiam dum quis, stomacho incipiente cibi sumpti digestionem, adhuc comedit vel bibit, impedit calorem naturalem à digestione, eò quod ollam stomachi non sinat bullire, sed refrigeret, antequàm facta sit concoctio; & consequenter non potest sequi bona nutritio; quin potiùs cibus manens indigestus convertitur in noxios humeres, qui periculosos posteà generant morbos, vel aliquod apostema, quô subindè ab intra erumpente, & cor obruente, homo suffocatur. Ratio.

Charissimi, hæc omnia serviunt ad nostrum propositum; nam eodem modo, dum quis sumpsit sacram Communionem, ut indè secundùm spiritum congruè nutriatur, eget tempore, quo Cibus ille spiritualiter digeratur, ac per mysticam nutritionem, suam fortitudinem, & efficaciam toti animæ communicet; idcircò attendere debet, ne extrà hanc sacram refectionem gulæ indulgeat, sequendo sensualitatem, vel affectum ad terrena cum adhæsione apponendo; nam alioqui supernaturalis calor divini amoris ab animæ in Christum transformatione impediretur: cujus ratio est, eò quod temporalis delectatio contrarietur æternæ, corporalis spirituali, ac sensualis amor divino; ac proindè simul in eâdem animâ stare non possunt, sed mutuum effectum impediunt; dumque anima post devotam Communionem sese iterùm convertit ad sensualem concupiscentiam, ad affectum inordinatum creaturarum, idem facit, ac si frigidam aquam infunderet bullienti, facit refrigescere Charitatem, estque causa, cur non roboretur spiritu, nec notabile nutrimentum reportet ex sumptione hujus Panis Angelici: *Et ideò inter vos multi infirmi, & dormiunt multi*, utique somnum vitiorum, & variarum imperfectionum; cum enim ignis amoris per propriam quæstionem, per proprium amorem refrigescat, remanent in animâ multi indigesti humores immortificatarum passionum, & vapores noxiarum affectionum, ex quibus postmodùm causantur periculosæ infirmitates animæ, & præpediuntur firmæ habitudines virtutum.

Digestio spiritualis post Communionem quomodò facienda.

Per abstinentiam à sensualibus.

Contrarietas spiritualis & sensualis amoris.

1. Cor. 11.

Cur pauci proficiunt cum S. Communione.

Hic proindè studiosè cavendum est, ne qui ad hanc sacram mensam accedunt, loco nutrimenti & accrementi decrementum acquirant, ne loco, quod indè replerentur bonis & satiarentur gratijs, redeant jejuni, & spiritualiter macilentiores; quid enim risu digniùs est, quàm à convivio opiparo, ex propria culpa, redire famelicum & jejunum? hinc nos appositè monet Apostolus: *Probet autem seipsum homo & sic de pane illo edat & de calice bibat*: quomodò se probabit? per sedulum conscientiæ examen, an in ea lateat aliquid, quod nutrimentum hujus cælestis Cibi posset impedire; *qui enim manducat & bibit, non dejudicans Corpus Domini*; id est, quia non attendit,

1. Cor. 11.

Probet se homo antè Communionem.

Quomodò?

ne sinatur ignis divini amoris habere nimis impetuosas operationes, nec dispergatur nimium ad potentias sensitivas; quin potiùs in corde seu in voluntate rationali colligendus est sinè multiplicitate; si quidem intimus amor multò magis congruit, & vitijs ac defectibus absumendis, animæque in Deum transformandæ est magis idoneus. Nimia activitas nocet.

Neque hoc videatur mirum, eò quod cæteræ animæ potentiæ, puta, imaginativa, appetitiva, æstimativa, &c. hìc non participent de fervore Charitatis, sed econtrà refrigescere videantur: præstat enim, ut omnis calor in corde, id est, in voluntate rationali collectus maneat, & operetur: ratio est, quia quò unio inter duas res, ipsis rebus est magis proportionata, eò est aptior, ut faciat unum ex duobus: atqui Deus & anima rationalis sunt Spiritus; ergò quò unio inter Deum & hominem est spiritualior; eò faciliùs animam unum cum Deo Spiritum faciet: porrò talis unio est amor intimus in corde collectus sinè admixtione, seu collusione partis sensitivæ; nam quò alienior est & abstractior à sensibus & eorum objectis, eò est spiritualiter, & consequenter aptior ad animam in Deum transformandam mediante frequente Communione. Potentiæ sensitivæ debent multum operari. Obsunt mysticæ unioni.

CAPUT X.

De nonnullis intimis operationibus, quiete potentiarum, &c. in aliquibus animabus post S. Communionem; & quomodò tùm se gerere debeant sinè propria operatione.

POst pastum sumus ordinariè nonnihil frigiduli, eò quod calor naturalis à membris extimis ad cor sese retrahat, stomachum juvandi gratiâ in digerendo cibo: eodem modo non raro contingit, quod anima devota post sacram Communionem, se quoad partem sensitivam, videatur sentire nonnihil frigidiorem; sed hoc aliquandò est signum bonæ valetudinis animæ; eò quod fervor Charitatis colligatur in sola voluntate rationali, ibique efficaciter consumat omnes inordinatas ad creata affectiones; imò anima contemplationi dedita subindè quoad corpus etiam se sentiet parum frigescere; ita ut ejus sanguis & omnia interiora quasi conglobentur; tuncque anima veluti extrà corpus rapitur, vel econtrà intimius introtrahitur, cum tali alienatione sensuum & internarum potentiarum, ut nesciat an sit in corpore, vel extrà corpus; tum solummodò habet simplicem divinæ Essentiæ intuitum, cum pariformi inclinatione voluntatis; absque eo tamen, quod sciat, vel posteà dicere possit, quid videat, vel ad quid inclinetur; per hoc abstrahitur & planè alienatur anima ab omnibus, quæ Undè post pastum simus frigiduli. Post Communionem aliquandò sentitur frigescere pars sensitiva. Alienatio à sensibus introtractio. Quomodò fiat. Intima animæ in Deo occupatione.

movent: præterea secundùm Aristotelem, potentia nutritiva animæ meliùs fungitur suo officio inter dormiendum, quàm inter vigilandum; nam (ut ait) animalia tunc melius nutriuntur, & amplius crescunt, eò quod ad hoc non egeant sensatione, nec operationibus sensitivis. *Quo sensu somnus nutriat.* *Idem ibid.*

Omnia hæc sæpè contingunt in anima amorosa post Sacram Communionem; nam dum modis, in præcedentibus, tactis cum magno Spiritûs appetitu, cum suavi & delectabili ruminatione Panem hunc cælestem, & *Vinum germinans Virgines* benè disposita sumit, illico percipit efficacem operationem ac virtutem istius Panis & Vini vivifici; sentit quasi vapores ascendere ad cerebrum, volo dicere, ad intellectum, & ad voluntatem rationalem; atque indè calefacta, incidit in dulcissimum somnum intimæ contemplationis; quo durante manet quasi sine ulla cogitatione, aut affectione voluntatis: & quidem quo hic somnus contemplationis firmior est, eo minus novit dicere, quid illo durante cogitarit, vel desiderarit; nam, (ut dicere solebat noster V. P. *Livinus à sanctissima Trinitate* quondam Prior Bruxellensis, Vir in Theologia mystica optimè versatus) sicut aliquis, quo melius dormit, eo minus recordatur suorum somniorum; & econtrà, qui leviter & non benè dormivit, melius novit enarrare somnia sua; imò indè reservat dolorem capitis, dum somnia fuerunt violenta; ità etiam, qui somno mystico obruitur, quo melius in Domino obdormit, eo minus recordatur, in quo mens fuerit occupata, in quid voluntas fuerit inclinata; econtrà, quo imperfectius in Deo quievit; eo melius & minutius novit referre suos discursus, imaginationes, pia desideria, &c. quin imò, eo quod non noverit discretione uti, sed intellectum cum aliqua violentia occupet, memoriæ vim inferat, & importunè voluntatem & alias potentias ad operationem adigat, subindè cerebrum lædit, pœnam capitis incurabilem acquirit, ac se ipsum turbat & inquietat. Vultis scire, quænam animæ facilius moveantur & inclinetur in hunc somnum contemplationis, qualiter tunc sint constitutæ, & quem ex illo somno fructum referant? in sequentibus edicam. *Zach. 9.* *Somnus mysticus quomodo causetur post communionem.* *Opinio V. P. Livini à SS. Trin. de somno mystico.* *Differentia bene & malè dormientis.*

CAPUT XII.

Somnus quietis contingit iis, qui multum laborarunt.

Dicit Sapiens: *Dulcis est somnus operanti*; itaque anima, quæ sese diu exercuit in vita activa, in eaque multum laboravit; ita ut sciat loqui multas & egregias victorias in edomandis passionibus, in sui abnegationibus, in vincendis pravis inclinationibus, in creaturarum omnium renunciatio- *Eccl. 5. 11.* *Post labores vitæ activæ sequitur somnus mysticus.*

ciationibus, illa est apta, ut post devotam Communionem fruatur hoc mystico somno intimæ in Deo quietis: ad similem ait idem Sapiens: *Si dormieris, non timebis*; ratio est, quia est somnus quietis & pacis, acquisitus per strenuam de hostibus visibilibus & invisibilibus victoriam; ideò additur: *Quiesces & suavis erit somnus tuus*; verè suavis somnus, quô fit, ut homo planè alienetur à sensibus, cesset ab omni propriâ sensatione, & operatione, ac abstrahatur ab omnibus rebus sensibilibus, imò paulatim fiat quasi sinè ulla distincta cogitatione, sinè impetuosis desiderijs, supremo bono in fundo animæ, nobilissimè & unicè intentus, absque eo quod sciat, quomodò.

Prov. 3. 24.

Quare?

Suavitas somni mystici.

De hoc somno dicebat Sponsa in Canticis: *Ego dormio & cor meum vigilat*, sum sinè sensu in omnibus, quæ non spectant vel conducunt ad Dilectum, *& cor meum vigilat*, nempè, omni horâ paratum audire & sequi vocem Sponsi: Samuel dormiebat in Templo, & audiebat vocem Domini, cui vigilans dicebat: *Loquere Domine, quia audit servus tuus*; ita etiam anima mystica dormit somnum pacis, & simul evigilat ad minimum sibilum vocis Dilecti: Sponsa in hunc somnum inciderat, dùm Sponsus prohibebat eam excitari: *Adjuro vos Filiæ Ierusalem, ut non suscitetis, nec evigilare faciatis Dilectam, donec ipsa velit*; equidem dum anima ita suaviter & fæliciter obdormit inter Brachia Dilecti, non videtur per ullam creaturam posse inquietari, turbari, vel ab intimâ in Deo quiete avelli; nihil sibi attrahit de alijs rebus, perindè ac si non essent, imò eas vix sentit; subindè tamen oritur in ipsa aliqua ad se ipsam reflexio, & cogitat, ubi sit, an adhuc in corpore, vel extra, nam neque illud sentire videtur; ideò cum aliquo labore conatur movere digitos, ut certior fiat.

Somnus sponsæ *Cant. 5. 2.*

1. reg.

Prohibetur sponsa excitari. *Cant. 2. 7.*

Deindè, etsi circà illam aliquis tumultus fiat, non attrahit, sed manet in sua quiete & somno mystico; tunc meritò diceret: *Læva ejus* (Dilecti) *sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me*; tunc unà cum Dilecto quiescit in florido lectulo cordis; tunc dicit: *Tenui eum, nec dimittam, donec introducam illum in domum Matris meæ, & in cubiculum Genitricis meæ*, id est, donec cum ipso pertingam ad thalamum sponsi, ad locum æternæ quietis; verum, etiam hæ cogitationes pro tunc ipsi videntur nimis importunæ, nec eas propriâ activitate fovere vellet, sed ut summùm eas patitur sinè adhæsione, sinè impetuositate, suaviter, & hoc sensu essentialiter.

Quiescit in Brachijs sponsi. *Cant. 2. 6.*

Cant. 3. 4.

CA-

CAPUT XIII.

Poſt hunc ſomnum pacis manet in aliquibus myſtica Somnolentia; & quomodò hoc fiat.

QUandoquidem anima huic ſomno quietis ſemper indulgere non poſſit, quippè cum corpori conjuncta, ejuſdem neceſſitatibus ſit obnoxia, ac ſe in vita activa non rarò debeat exercere; videndum reſtat, quomodò aliquæ animæ ſeſe habeant poſt illum ſomnum: Chariſſimi, ſunt quaſi ſomnolentæ: experientia docet, quod qui eſt ſomnolentus, ita inclinetur ad dormiendum, ut ſtatim, ac ſe diſponit ad aliquam quietem, illicò dormiat, ſive comedat, ſive bibat, ſive ſit in aliquo conſortio, ſive quid aliud faciat, nihil cordi attrahit; nam continuò cogitat, & optat alicubi eſſe ſequeſtratus, ut frui poſſit ſomno, ad quem ita inclinatur, ut non ſinè violentia ſeſe ab eô valeat continere; quod ſi aliqua negocia illum premant ob ſpeciales aliquas rationes, quidem videtur illa cum alacritate, diligentiâ & perfectione peragere, non tamen plus quàm neceſſe ſit, & equidem cum tali diſpoſitione, ut quantum ad ſe, mallet in quiete & pace manere; ſimilia contingunt etiam aliquibus animabus devotis, nam extra tempus iſtius ſomni myſtici, ſpiritualiter loquendo, ſunt ſomnolentæ, ſeu ad illum ſomnum inclinatæ, ita ut occaſione minimæ quietis, in illum facilè reincidant; ſi occupentur indulgendo corpori neceſſaria, ſi debeant cum alijs converſari, aut alia exteriora facere, omnia faciunt ſinè adhæſione, non nimis attrahunt, faciunt, quaſi non facerent; nam totum earum deſiderium, & unicum votum eſt manere in exteriore & interiore ſolitudine, ut potiri queant intima in Deo quiete; imò eſt illis contrà cor eſſe in occaſionibus extroverſionis.

Somnolentia naturalis.

Somnolentia myſtica.

Quod ſi tamen voluntas Dei, quam per obedientiam, charitatem, & neceſſitatem certiſſimè cognoſcunt, eas urgeat ad exteriora, puta, ad ſtudendum, conciones habendas, confeſſiones audiendas, infirmos viſitandos, manualiter operandum, &c. ea omnia præſtant valdè perfectè, alacri animo, hilari ſpiritu, ac magna cum diligentia, numquam tamen ſinè interna converſione, vel introverſione ad ſuum omne, ad ſuum unicum neceſſarium, ſeu ad Deum; nec plus, quàm exiſtimant Deo placere; ideò cavent ſeſe immiſcere rebus alienis, aut negocijs alijs, quàm quæ illis obedientia injungit, vel Charitas requirit, vel neceſſitas poſtulat; ſi quidem extra hæc tria divini beneplaciti indicia verentur aberrare à voluntate Dei, tanquam à Regulâ perfectionis, & à propriâ voluntate veluti à malo viæ ductore ſeduci;

Non impedit exteriora exercitia.

Tollit adhæſionem.

infantes in utero Matris manere, eorum more beatificæ visionis quiete jugiter perfundi, ibique in perpetuas æternitates de fruitivâ divinitatis visione fæliciſſimè vivere, pro ut infans in utero Matris continuò dormit & quieſcit, ac intereà de nutrimento & ſubſtantiâ Matris alitur & nutritur; ut autem redeamus, & pergamus in propoſito, ſit. Vivunt in Deo.

CAPUT XV.

Anima nobiliſſimè nutritur in ſomno myſtico, meliùs, quàm in vita activa.

QUid utilitatis provenit animæ ex ſomno myſtico? juxtà Ariſtotelem ſuprà relatum, homo meliùs nutritur in ſomno, quàm in vigilia, eò quod potentia nutritiva tunc meliùs fungatur ſuo munere; & ideò communiter dicitur, quod ſomnus ſit media pars nutrimenti hominis: id quod multò perfectius contingit in ſomno myſtico; etſi enim tunc homo videatur ceſſare ab operationibus, & magis *pati divina*, ſeu in Dei in ſe operationibus paſſivè magis ſe habere; eò quod operationibus Dei ſint tam internæ & intimæ, ut ferè videantur à ſolo Deo ſinè cooperatione humanâ (non tamen abſolutè ſinè illa, alioqui non eſſent homini meritoriæ) exerceri, ſaltem quantum ad ſenſibilitatem; eò quod homo tum ſit liber à phantaſmatibus, & ſenſibilibus ſpeciebus creaturarum; ſuperiores tamen animæ vires ſeu potentiæ velut nutritivæ & transformativæ, puta, intellectus & voluntas rationalis, agunt tunc nobiliſſimè, impermixtè & independenter à ſenſibus & phantaſmatibus, quæ proindè tum ſpiritualem nutritionem & in Deum transformationem non impediunt.

Nutritio melius fit in ſomno.

Somnus myſticus nutrit.

Quid ſit pati divina.

Vultis videre hanc nutritionem meliùs fieri in ſuavi ſomno contemplationis, ſeu ſuper-contemplationis, quàm in vigilia & tumultu vitæ activæ? vel meditativæ? experientia id docere poterit: nam videre eſt, quod anima contemplativa, quæ in ſua devotione ſæpè fruitur ſomno contemplationis, modico temporis ſpacio multò magis mortificetur ſecundùm hominem exteriorem & interiorem, fiatque ſtabilior in exercitijs virtutum, ac omni opere bono; citiùs etiam attingit profundam humilitatem, faciliùs in omnibus abnegat ſe ipſam, ac renunciat omnibus, quæ poſſidet, &c. quàm aliæ animæ, quæ ſe multo tempore, imò multis annis exercent in meditationibus. has enim ſæpè videbitis manere immortificatas, in virtutibus inexercitatas; manent proprio cenſui & voluntati addictæ, proprij judicij tenaces, tardè aſſequuntur aliquem gradum veræ humilitatis, ſunt curioſæ, non facilè abdicant omnem inordinatam in creaturis delectationem, quam proindè aliquandò affectant, humana ſolatia quærunt, ple-

Somnus contemplationis magis nutrit animam, quàm vita activa.

Probatur experientiâ.

Meditativi non ita proficiunt.

nam sui in omnibus resignationem vix acquirunt, ad veram indifferentiam non facilè pertingunt, sine electione vivere non discunt, ac dum non omnia ad votum succedunt, facilè turbantur & inquietantur.

Meditatio parum prodest.

Quidem formant multas insignes & pulchras de virtute speculationes, eam exercere proponunt, in meditatione ad studium perfectionis animari videntur, parturiunt (ut sic dicam) montes, & nascitur ridiculus mus; id est, mira facienda proponunt, quoad mortificationes, pœnitentias, virtutum exercitia; sed datâ occasione inveniunt magnam difficultatem in patiendo, in mortificandâ sensualitate, in se humiliando, in carendo aliquâ commoditate; quia imò non rarò succumbunt, semper cadentes & surgentes, semper incipientes, & parum proficientes, nec solidas virtutes assequentes, & consequenter æqualem semper in earum exercitio difficultatem sentientes: ubi econtrà anima contemplativa per internas mentis occupationes modico tempore in omnibus notoriè proficit, ab omnibus rebus creatis alienatur, spiritûs paupertatem libenter amplectitur, ad carentiam omnium, quæ sunt extrà Deum, vel ad Deum non conducunt, se facilè resolvit, ac se ipsam abnegat sine difficultate; pro ut ex multis exemplis satis patuit, & indies patet ex quotidianâ unius & alterius conversatione: & verò, undè hoc? existimo causam esse, eò quod intimus amor, qui est quasi ignis consumens, & vis vnitiva, durante somno contemplationis, vel somnolentiâ intimæ introversionis, modo nobiliori operetur, & per divinam nutritionem efficiat, ut homo piè & amorosè in Christo vivendo, in ipsum transformetur; imò conformis factus sacratissimæ ejus humanitati paulatìm etiam fiat Deiformis, & Deificatus: quod dum contingit, videbitis hominem quasi immotum, immutabilem, sicuti Deus immotus & immutabilis est; talis mente semper sublevatus est super omnes creaturas omninò ab omnibus liber, sicut Deus est super omnes creaturas, ab omnibus liberrimus, talis nihil aliud vult, vel non vult, quàm quod Deus vult, vel non vult; est misericors ergà omnes, sicut Deus misericors est, in omnibus se continet, & moderatè agit; nullâ re, vel eventu dejicitur, animo fixo in Deo est, nihil nisi Deum cogitat vel intendit, &c. uno verbo, illi adhærere Deo bonum est, quia unus spiritus fit cum eo.

Contemplativi brevi multum proficiunt in virtute.

Ratione intimi amoris vitia consumentis.

Constitutio hominis deiformis.

Participat perfectiones Dei.

CA-

CAPUT XVI.

Quarè anima per vitam activam non tam benè in Spiritu nutriatur, quàm per Contemplativam.

SI ulterius ſcire velitis, cur anima per vitam meditativam, non tàm proficiat, quàm per quietem contemplationis? ratio eſt, quia ſpeculationes ejuſmodi animæ, maximâ ex parte, ſunt naturalis induſtriæ, & naturales illuminationes intellectûs, parum aut nihil habentes de ſupernaturali radio gratiæ; & conſequenter piæ motiones & affectiones voluntatis ut plurimùm etiam ſunt naturales: cum autem natura noſtra corrupta (moraliter loquendo) per media naturalia parum queat emendari, nec ullatenùs ſine donis ſupernaturalibus in Deum poſſit erigi, fit, ut talis anima ſemper ferè maneat in eodem ſtatu; vel, ſi vi naturalium exercitiorum, & ratiocinationum, quas in meditatione concipit, aliquem profectum faciat, id fit ſolùm in virtutibus moralibus, in quibus per ſimilia media, etiam multi Ethnici Philoſophi, puta, *Socrates*, *Plato*, *Seneca*, & alij valdè excellentes evaſerunt; ſed non in veris virtutibus Chriſtianis, non in profunda humilitate, & manſuetudine, non in contemptu & abnegatione ſui, non in puriſſimo Dei & proximi amore; atque in hunc modum videre eſt multos inſignes viros, etiam inter hæreticos & policitos, qui ſunt valdè ſedati, morigerati, ſobrij, prudentes, boni conſilij, eleemoſinis dediti, carnalibus non addicti &c. quas virtutes ex ſolo ductu rationis naturalis, conſideratione dignitatis earum allecti, adipiſci conati ſunt, ſed non ex ſupernaturali motione & illuminatione Spiritûs ſancti; quod idem non rarò contingit in perſonis devotis vel religioſis, quæ ſeſe multum exercent in meditationibus ſecundùm proprium guſtum, & naturalis ingenij ſolertiam, parùm verò vel nihil, ſecundùm impetum, directionem & illuſtrationem Spiritûs ſancti.

Speculationes meditantium naturales.

Non elevant ad Deum.

Profunt ad virtutes morales etiam in Ethnicis.

Non ad ſupernaturales.

Multi hæretici habent virtutes morales.

Per hoc tamen non intendo vituperare ſtatum animarum meditativarum; utpotè cùm non ignorem, quod qui Deo ſervire incipiunt, ſeſe cum meditationibus juvare & excitare debeant, eò quod, qui ſeſe vitæ ſpirituali conſecrare deſiderant, & contrà ſenſualitatem militare; antè omnia exuere intendant hominem animalem, & intellectum exercere debeant, ut induant hominem rationalem; quod convenienter fit per meditationes, etſi pro majori parte naturales: Verumtamen attendere oportet, quod, ut quis proficiat in puro amore Dei, & ſpiritualiter vivat juxta beneplacitum æterni Patris, neceſsè ſit, non tam multum inniti pulchris diſcurſibus &

Incipientes debent uti meditationibus.

Non ſemper inhærendum meditationi.

 curioſis

curiosis speculationibus, quàm benè observare & interius attendere ad inspirationes, directiones & tractus divini Spiritûs, quibus voluntas accendatur & inflammetur in supernaturalibus affectionibus: quippè hæ affectiones, & istæ inspirationes aut illustrationes, solæ sunt idoneæ ad cor in Deo figendum, & Dei amorem, cæterasque virtutes, *pro ut oportet*, ad salutem exercendas: insuper sciendum est, quod meditatio solummodò sit via ad contemplationem, in qua proindè anima non semper hærere debet, sed econtrà omni diligentiâ festinare, ut hanc viam, quò citiùs, eò meliùs, absolvat, ac ad terminum, seu ad vitam contemplativam, ad somnum mysticum pertingat; quatenus sic citiùs in Christo perfectè vivat, & in Christo vivendo, in ipsum transmutetur.

Meditatio est via ad contemplationem.

CAPUT XVII.

Somnus mysticus illuminat intellectum, & facit animam subtilem ad intelligenda mysteria, & cum fructu alios docendos.

Post bonum somnium intellectus clarior.

Quare?

QUò quis fortius & suavius dormit, eò posteà sentit intellectum magis illuminatum, clarum & idoneum ad aliquid penetrandum; ratio est, quia per quietem & somnum corporalem dissipantur vapores, & anima fit purior, facilior, & subtilior ad sublimia concipiendum: id quod multò melius fit per somnum contemplationis; quò enim hic profundior & suavior est; eò quidem anima minus meminit, quid somniaverit; sed in signum, quod fuerit somnus nutritivus & salubris, in quo utiliter fuit occupata, absquè eo tamen, quod nesciat, quomodò; posteà se experitur intellectu illuminatam, ut facilè possit percipere mysticum sensum Sacræ Scripturæ; atque subindè tempore refectionis, vel spiritualis colloquij, vel dum aliquid scribere incipit, incidunt ipsi sensus & interpretationes Scripturarum tam copiosè, & clarè, etiam spacio unius *Pater noster*, ut die integro indigeret ad omnia scribenda; nec est mirum, nam redit à dormitione, vel est spiritualiter somnolenta, & consequenter est aliena ab omni sensualitate, est in corpore, quasi non esset, omninò libera & soluta à malis inclinationibus; atque indè facta est omninò munda, subtilis, & benè disposita ad concipiendas mirabiles veritates, ad radios Divinitatis in se velut in speculo recipiendos, idque nonnunquam, dum minimè cogitat; nam etsi observet horam determinatam orationis, Deus tamen non attendit ad tempus

Post somnum mysticum anima est illuminatior.

Spirituali scientiâ plenior.

Subtilior.

tempus vel locum, sed ipsam illuminat, dum illi placet, nam *Spiritus, ubi vult, spirat.* Ioan. 3.

Contingit subindè, quod aliquis disserat de aliqua Veritate, vel aliquid narret, quod nescit ubi audiverit, vel intellexerit, vel legerit; &, si benè reflectatur, somniavit; sed quia benè dormivit, non recordatur se somniasse; idem accidit animabus contemplativis; hæ enim multa vident & audiunt in somno amoris, in intimâ contemplatione, sed nesciunt particularitates; existimant se illo tempore fuisse sinè distinctâ cogitatione, vel volitione; & interim, datâ occasione, per aliquod Verbum Dei foris vel intus in corde tactæ, verba vitæ habere videntur, sic ut juxtà promissum Christi *flumina de ventre earum fluant aquæ vivæ*; volo dicere, ipsis in mentem veniunt mirabilia & divina; earum memoria utpotè illuminata proponit sublimia mysteria, & scientias; ruminant, undè ista occurrant, dubitant, an alicubi legerint vel audierint; sed non sic; nam mysticè somniarunt alio tempore, & non meminerunt: tali modo dilectus JESU Discipulus plurima arcana suxerat, & somniarat, dum obrutus somno pacis recubuerat suprà pectus Domini in ultimâ Cænâ; attamen, licet indè plusquàm cæteri Apostoli, fuisset spiritualiter nutritus & roboratus ad sequendum Christum usque ad montem Calvariæ, absque eo, quod illum vel verbo, vel facto negaret, nihilominus non videbatur statim memor, quidnam somniasset; donec incepit copiosè prædicare, & scribere suum Evangelium Theologiâ mysticâ plenum.

Aliqui narrant quæ somniarunt putantes se aliunde scire.

In somno mystico multa videntur quæ statim non ocurrunt.

Ioan. 7.

Ocurrunt postèa per occasionem non sciendo undè.

S. Ioan. in sinu Christi mysticè dormivit & somniavit.

Dum anima eo devenit, scilicet ad illum somnum quietis in Domino, & ad mysticum illud somnium circà divina, tum nobilissimè & perfectissimè piè vivit in Christo, in Christo manet, & Christus in illâ; imò certo modo est quid unum cum Christo per sacram Communionem; nam mysticus ille somnus, & aliæ causæ à nobis in superioribus relatæ, juvant ad bonam digestionem, & ad spiritualem per supernaturalem nutritionem, in Christum transformationem.

Per somnum mysticum vivitur in Christo perfectissime.

Cæterùm cùm Spiritus nos ulterius ducere videatur; ut in lucem proferamus alios effectus piæ Vitæ in Christo, nominatim, per sumptionem sacræ Eucharistiæ, eum sequi intendimus, & consequenter nonnulla disserere de ebrietate Spiritûs, ac de ejus in animâ indicijs provenientibus ex perfectâ Vitâ in Christo, sive per sacram Communionem, sive aliter.

CAPUT XVIII.

Christus invitat ad bibendum, cum intentione aliquos spiritualiter inebriandi.

Amor Iesu ergà nos voluit potum ministrari.

Sponsus cælestis Jesus Christus non putabat satisfactum infinito suo ergà homines amori, per institutionem Sacræ Eucharistiæ sub specie Panis ad cibationem Generis humani; sed ejus Dilectio ulterius progrediens requirebat, ut in hoc divino epulo, etiam quoad signa exteriora, non deesset potus; undè & videtur clamasse, *vinum non habent*, id est, non habent adhuc sub specie vini sanctissimum tuum Sanguinem; ad quod ipse respondet, omnes invitans ad exstinguendam sitim, *si quis sitit, veniat ad me & bibat*: qualis potus offertur? prætiosus ejus Sanguis sub specie Vini: audite illum loquentem; *Sanguis*, inquit, *meus verè est potus:* hunc potum in ultimâ Cæna omnibus propinavit; nam *accipiens Calicem, gratias egit, & dedit illis, dicens, bibite ex hoc omnes:* hic est Calix, ex quo anima amorosa cum magno affectu bibens corripitur spirituali Ebrietate, id est, impetuoso influxu amoris, quo quasi inebriatur: hoc prævidens Propheta Zacharias, dicebat: *Bibentes inebriabuntur, quasi à vino*; & insinuans se loqui de hoc Augustissimo Sacramento, addebat: *Quid enim est bonum ejus, & quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum, & vinum germinans Virgines?*

Christus invitat ad potum. *Ioan. 7.* *Ioan. 6.* *Matth. 26.* Sanguis Christi vinum inebrians. *Zachar. 9.*

Cant. 5. Ad hoc Vinum omnes invitamur in Canticis: *Comedite amici, & bibite, & inebriamini Charissimi*; in quibus verbis operæ prætium est attendere, omnes quidem Dei amicos, id est, omnes justos, esse invitatos ad sacram Mensam, ut sumant sanctissimum Christi Corpus, & Sanguinem, ut minus per concomitantiam, sub specie panis; nam sub hac etiam concomitatur Sanguis Christi propter necessariam ejus connexionem cum Corpore ejus vivo; verum, soli charissimi, id est, in amore Dei consummati, invitantur ut ità participent de effectibus sanctissimi hujus Sacramenti, ut ex digna ejusdem sumptione, quasi inebrientur divino amore: & quidem Sponsus animarum Christus Jesus videtur gloriari de erecta & instituta Cæna, in qua Convivæ inebriantur ab ubertate domûs; undè per os Davidis ait: *Calix meus inebrians, quàm præclarus est!* verè Calix inebrians est Sanguis Domini nostri Jesu, quem sumimus in sacra Communione, dum ad eam benè parati & corde puri accedimus: at quid remedij, ut hic brevi inebriemur? in quo hæc laudabilis ebrietas consistit? quinam & quales sequuntur indè effectus? quantum ad primum.

Omnes invitantur ad bibendum. Ad inebriandum soli perfecti. Christus gaudet suos inebriare. *Psalm. 22.*

CA-

CAPUT XIX.

Quinam sint apti, ut citò spiritualiter inebrientur & in quo hæc Ebrietas consistat.

DUm aliquis jeiuno stomacho bibit forte vinum, facilè exhilaratur, & inebriatur: ità etiam secundùm spiritum loquendo, dum anima continuum servat jeiunium à vitijs & peccatis, vivens in omnimoda abstinentia etiam ab omni specie mala; dum in hoc mundo celebrat continuam vigiliam antè magnum festum æternæ gloriæ, sese exercens in operibus pœnitentiæ & mortificationum, & hoc sensu servans stomachum jeiunum à sensualitatibus, absque eo, quod illum repleat inordinatis affectibus creaturarum; tunc est optimè disposita & idonea, ut per sumptionem Eucharistiæ inebrietur divino amore; ratio est, quod sicut vinum in jeiuno stomacho magis exerit vires suas, & veluti non inveniens materiam, in quam agat, cum majori vi ad cerebrum ascendit, illudque facilè turbat; ità etiam cæleste hoc Vinum, Sanguis Jesu Christi, nullum reperit impedimentum, quo minus operetur in animâ, quæ sese semper abstinet à vanis carnis desiderijs, & mundi cupiditatibus; sicque vires hujus Vini mystici magis attrahuntur ad cerebrum, id est efficacius operantur in intellectu per supernaturales illustrationes, & in voluntate per pias affectiones; quibus affectionibus & illustrationibus anima fideliter cooperando, exhilaratur spiritu, & paulatìm capitur amabili ebrietate divini amoris.

Iejuni bibentes facilè inebriantur.

Iejuni spiritualiter.

Apti ad ebrietatem spiritûs.

Quare?

Deindè homines simplices, facilius capiuntur aliquo haustulo extraordinario, præsertìm dum ab aliquo prænobili Domino tractantur, & ab eo benignè excipiuntur, ac liberaliter potantur; tunc enim reflectentes ad vilitatem suæ conditionis, & ponderantes dignationem, favorem & benevolentiam sibi exhibitam, plurimùm demirantur humanitatem, humilitatem & liberalitatem, quâ præclarus ille Vir secum agere dignatus est; atque hinc cogitationes multiplicando, affectusque varios conglomerando, quasi amittunt sensus, & fiunt ebrij; plenis interim buccis proclamant, &, quamdiu illos somnus non occupat, gaudent narrare suam bonam fortunam, & liberalitatem ejus, qui illos tam benè tractavit, cantilenis se & alios recreant, & lætantur plurimùm. Hæc omnia etiam contingunt spiritualiter cum animabus humilibus & simplicibus; cum his enim Deus familiarisat; nam *cum simplicibus sermocinatio ejus*, & *Spiritus Dei requiescit super humilem*, illum interius exhilarando vino sui amoris, præcipuè in sumptione

Simplices facilius inebriantur, dum ab aliquo tractantur.

Simplices à Deo tractantur & potantur.

Prov. 3.

Isa. 57.

tione Sacræ Communionis: tales subindè præventi in benedictionibus dulcedinis potati haustu extraordinario, seu allecti speciali tractu divini amoris, facilè capiuntur desiderabili ebrietate spiritûs; tunc enim ab una parte incipiunt mergi in abyssum sui nihili, reflectendo ad suam vilitatem & abjectionem; & ab alterâ parte attendunt ad immensum pelagus omnis perfectionis, Sanctitatis & Majestatis; unde considerantes, quomodò hoc pelagus se tam largiter, imò totaliter se communicet huic suæ abysso; quomodò supremus ille Rex Regum & Dominus Dominantium, tam amanter eos, vilissimos terræ vermiculos dignetur excipere & potare vino suæ gratiæ; multiplicibus considerationibus replentur, fiunt quasi expertes mentis, absquè eo tamen, quod cessent Deo cantare cantica nova gratiarum actionis; libenter pleno ore buccinarent suam fœlicitatem, quam suavis & misericors sit Dominus; optant omnibus deprædicare liberalitatem Dei, ut omnes Deo lucrifaciant, & reddant participes inebriantis Calicis Sanguinis Christi, ac divini amoris, undè & exaltationes Dei in gutture eorum, & lætitiâ plenum est cor eorum.

Inebriantur. Quomodò. Deprædicant laudes Dei. Exhilarati à vino amoris.

Quod si tales quis interroget, undè sint ità exhilarati, respondent, *introduxit me Rex in cellam vinariam, ordinavit in me Charitatem*; ibi fuerunt potati haustu singulari; & loco quod ante inordinatis motibus & affectibus zeli & fervoris ferebantur, cum zelo indiscreto virtutes exercentes, inordinato fervore opera Charitatis facientes; jam deinceps fiunt omninò sedati, moderati, in omni conversatione discreti, in bonis exercitijs stabiles; nec mirum; nam Dilectus *ordinavit in* illis *Charitatem*, quæ cum sit Regina omnium virtutum, dum ipsa est benè ordinata, pariter bonum ordinem ponit inter omnes alias virtutes, & animæ potentias.

Cant. 2. Sponsus ordinans Charitatem, & omnes virtutes.

Dum quis eò pervenit, est plenus amorosis aspirationibus, & sui-ipsius resignationibus ad omne Dei beneplacitum, etiamsi vivus membratim deberet concidi, amore illius, à quo tam amabiliter & benevolè fuit exceptus; optaret posse convertere totum mundum, uno verbo, non cessat enarrare mirabilia opera Dei; nisi fortè contingeret illum incidere in somnum mysticum, & sic in ipso fieret *Silentium, quasi mediæ horæ*, id est, intima quies pro aliquo tempore, de qua ante latius fuimus locuti.

Exhilarati vino amoris sunt ferventes. Zelosi.

Hinc etiam aliqualiter annotare licet, in quo consistat hæc ebrietas spiritûs, causata ex consideratione ineffabilis liberalitatis, dignationis & clementiæ Dei erga animam, elucescentis singulariter in eo, quod Deus sese totum donet illi in cibum & potum, eâ intentione, ut tali medio unus cum eo spiritus fiat, &c.

Quid ebrietas Spiritûs.

CA-

CAPUT XX.

De diversis Ebrietatibus Spiritûs; ac primò de iis, qui sunt exhilarati spiritu; & qualem illi fructum in alijs faciant.

QUantum ad effectus laudabilis hujus Ebrietatis; inveniuntur varia ebriorum genera; aliqui sunt tantùm exhilarati, non expertes rationis; alij non quidem ità præ potu, quàm benè præ multiplicitate colloquiorum inebriantur, & aliqualiter servant usum rationis; alij victi potu, vix scientes, quomodò, amittunt usum rationis. Simili modo reperire est diversa genera animarum spiritu ebriarum ex vino divini amoris, aliquæ sunt tantùm exhilaratæ, manentes semper in eodem modo agendi, æquanimes in omni occasione, prospera vel adversa; hæ semper sunt lætabundæ, plenæ satisfactione in vocatione sua; sæpè experiuntur suavem unctionem Spiritûs sancti; & licet eâ subindè careant, sunt equidem benè contentæ; has dicentes audire videor: *Introduxit me Rex in cellaria sua*; ô Dilecte, *exultabimus & lætabimur in te*; rationem verò addunt, *memores uberum tuorum super vinum.*

Multæ ebrietates.

Aliqui garriendo fiunt ebrij.

Animæ amore exhilaratæ.

A Dilecto potatæ.

Cant. 1.

Qui ex potu solùm sunt exhilarati, habent intellectum apertiorem & vivaciorem; eorumque voluntas est magis accensa ad aliquid amore vel odio prosequendum; sunt animosi, narrant omnia, quæ habent in corde; quorum causa est, quod ratio intellectualis ab imaginatione vivaciter agatur, & voluntas ab appetitu sensitivo impellatur ac dirigatur; ex quo venit, quod abundent conceptibus, & voluntatem ad varia inclinatam sentiant. Simili modo anima devota, exhilarata vino dilectionis, sed non plenè ebria, habet mentem magis illuminatam vivâ fide mysteriorum Dei, multas veritates vivacius percipit; atque hinc voluntas ejus magis inardescit odio peccatorum & amore virtutum; quocircà cordialiter dicit: *Iniquos odio habui, & legem tuam dilexi, vidi prævaricantes & tabescebam: Domine dilexi decorem domûs tuæ*; tales proindè sunt idonei docere alios viam justitiæ & perfectionis, ac dare omnibus monita salutis; cum enim cor eorum sit plenum supernis illustrationibus, & pijs affectionibus, pleno ore eructant verba ædificationis de rebus spiritualibus, ac zelo zelati sunt, ut multos Deo lucrifaciant.

Semi-ebrij sunt vivaces, animosi.

Etiam semi-ebrij spiritu sunt perspicaciores.

Zelosiores.

Idonei ad docendos alios.

Hi veluti à Spiritu sancto directi, dum ordinata est in ipsis Charitas, multum proficiunt suo exemplo, suis prædicationibus, suâ conversatione, &c. quia *verba vitæ æternæ habent*; & non jam ipsi sunt, qui loquuntur, sed

Faciunt magnum fructum.

Ioan. 6.

Spiritus sanctus loquitur in illis: sic exhilarati erant in die Pentecostes Apostoli post receptionem Spiritûs sancti; undè malevoli irridendo de illis dicebant: *Quoniam musto pleni sunt*; at Mater Ecclesia probè intelligit hanc Apostolorum exhilarationem provenisse ex vino divini amoris, dum cantat, *musto madere deputant, quos spiritus repleverat*: Apostoli autem sic exhilarati incipiebant eructare quidquid habebant in corde, nam *loquebantur varijs linguis magnalia Dei, pro ut Spiritus Sanctus dabat eloqui illis*: vultis scire quantum fructum fecerint? Princeps Apostolorum in primâ suâ concione convertebat tria millia; excitabat omnes ad contemptum mundi, ad vivendum in communi &c. nam *omnes, qui credebant, erant pariter, & habebant omnia communia; possessiones & substantias vendebant & erant perseverantes in fractione panis, & orationibus*, cum lætitiâ & simplicitate cordis: Ecce hîc fructus Apostolorum quos copiosè referebant, dum vino amoris erant potati.

Act. 2. Apostoli erant ebrij spiritu. Eorum fructus in prædicationibus. *Ibidem.* *Act. 2. 44.*

Vultis videre eorum animos & generositatem? nullîus reverebantur faciem hominis, nullos Principes, vel tyrannos, vel tormenta timebant, sed *ibant gaudentes à conspectu Concilij, quoniam digni habiti sunt, pro nomine* IESU *contumeliam pati*; præterea animositas eorum tanta erat, ut arbitrarentur sese sufficientes, qui numero duodecim, totius mundi regiones inter se devidérent, & prædicando Evangelium peragrarent, ac ad fidem Christi converterent; pro ut etiam opere præstiterunt; nam *in omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum*; & quid mirum? erant musto divino pleni, undè nullas difficultates apprehendebant, ac spiritu roborati omnia poterant in eo, qui illos confortabat.

Eorum generositas ad ardua. *Psalm. 18. Rom. 10.*

CAPUT XXI.

Aliqui inter exercitia vitæ activæ capiuntur Ebrietate spiritûs, quorum virtutes & opera hic etiam describuntur.

Aliqui in exercitijs vitæ activæ vacando proximo, ardescunt amore Dei. Fiunt spiritu ebrij quasi loquendo.

BEatissimi Christi Apostoli, quò suâ prædicatione plures ad fidem convertebant, eò etiam magis accendebantur amore Dei; sicque quasi colloquendo & cum alijs discurrendo inebriabantur: quod idem scimus & videmus non rarò fieri in animabus devotis, quæ vel ex Charitate, vel ex obligatione sui officij, cum alijs de rebus salutaribus loquentes, peccatores ad pœnitentiam hortantes, incipientes ad virtutis studium exstimulantes, proficientes ad sublimes contemplationes animantes, perfectis ad perseverandum calcar addentes, indies magis & magis in dilectione Dei exardescunt, ferventiori zelo rubescunt, & inter loquendum magis illuminantur lumine fidei, & ferventiores in se sentiunt affectus amoris: atque hoc

hoc sensu, quasi loquendo spiritualiter inebriantur; eò quod amor per bonam earum conversationem, & pios sermones magis accendatur, & habeat occasionem sese per omnes animæ potentias uberius dispergendi & efficacius operandi; tales in veritate dicere possunt, *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Rom. 5.

Dum per aliquod corporale exercitium, putà, per cursum, saltum, aut alias motiones, aperiuntur pori; resolvitur homo in sudorem, & facilè alteratur; eò quod calor naturalis, qui pro majori parte circà pectus anteà erat congregatus, jam, invento ostio aperto, sese per omnia membra diffundat, sicque totum corpus calefaciat; similiter dum anima amorosa per pia exercitia, per spiritualia colloquia, per fervidas exhortationes, omnes suas vires impendit, sicque cor ejus dilatatur, tunc incalescit & præ fervore Charitatis sudare incipit; id est, etiam manifestè patefacit operationes amoris, undè fit impetuosa, effusa, & alterata præ calore divinæ Charitatis; ratio est, quia vinum amoris, quod anteà in voluntate rationali, velut in bono stomacho, conclusum manebat, jam per bona ista exercitia, quasi locum invenit, ut vires suas etiam alijs animæ potentijs communicet; undè venit, quod appetitus sensitivus, qui est corporalis, hujus vini virtutem percipiens, etiam corpus alteret.

Per motionem, apertis poris homo sudat.

Per exercitia vitæ activæ homo spiritualiter incalescit.

Sic erat constitutus Sanctissimus noster Pater *Elias*, de quo ait Ecclesiasticus, *Surrexit Elias Propheta, quasi ignis*; sic erat Beatus noster *Francus*, dum raptus in exstasim, talem libertatem dabat igni divini amoris in cordis sui penetralibus concluso, ut videretur igne materiali circumfusus, & vicini existimantes ejus cellam incendio perire, accurrerent cum aquâ ad exstinguendum ignem; talem efficaciam vini amoris sentiebat Sancta nostra Soror *Magdalena de Pazzi*, dum cogebatur aquam pectori superfundere, ut ardorem temperaret; quemadmodum quispiam habens stomachum cibo vel potu, maximè, vino adusto ingurgitatum, dum cibus vel potus iste virtutem suam exercere incipit, totus angustiatur, thoracem debet dissolvere pro refocillatione aliquâ, ac subindè præ vehementiâ ardoris incurrit mortis periculum; eodem modo sæpè erat constituta in suâ post sacram Communionem extasi beatissima hæc nostra Soror; nam ejus tunicam & cingulum laxare oportebat, ut vehementiæ amoris divini, qui in illâ instar potentissimi vini in stomacho, operebatur, majorem libertatem daret; Simili ex occasione Sancta Mater Theresia sæpè ardebat ut Seraphim; imò, prout post mortem suam uni revelavit, vis hujus inebriantis Calicis divini amoris, circà vitæ finem, eam sic agitabat, ac cum tali violentiâ redundabat in corpus & animam, ut indè exspiraverit, eo ferè modo, quo Mater amabilis, Virgo puerpera, non per morbum, vel alium dolorem, sed per vehementiam amoris ex hac vitâ migravit, ut verum esse

Fervor charitatis in S. P. Elia.

In B. Franco exterius apparet sic ut putetur cella incensa.

In S. M. de Pazzi urebat pectus cui infundebat aquam pro refrigerio.

S. Theresia ardebat ut Seraph. moritur vi amoris.

B. V. Maria exstinguitur vi amoris Dei.

 probetur

Cant. 8. probetur illud Cantici canticorum, *fortis, ut mors dilectio*, utique aliquandò penetrans usque ad divisionem animæ. Verùm, redeamus ad describendam ulterius ebrietatem Spiritûs.

CAPUT XXII.

Aliqui ex vitâ solitariâ à Deo vocati ad vitam activam, in hac magis accenduntur divino amore, quàm erant antè, cum magno lucro animarum.

Poti aliqui in aëre tantum ebrij notantur.

ALij tali modo capiuntur potu, ut se quidem modestè contineant, quàm diu sunt domi, nec tunc aliquid singulare in illis notatur; sed dum veniunt ad aërem, alterantur toti, & fiunt quasi extrà se: eodem modo aliqui devoti sunt pleni divino amore; sed quamdiu nulla eis cura committitur, & relinquuntur in solitudine, nec externis occupationibus destinantur, nihil extraordinarij, nullus excessivus fervor in illis notatur; eò quod necdum venerit tempus, quo ex dispositione Dei sunt ordinati, ut sese externis Charitatis operibus cum summo fructu animarum impendant, & superimpendant; nam eo usque se in quiete continent, donec ipsis aliud Dei beneplacitum innotuerit.

Aliqui solitarij non notantur singulariter Deum amare.

Christus ante 30. annum latebat.

Sic erat Salvator noster usque ad trigesimum suæ ætatis annum; etsi enim esset perfusus non solùm divino vino amoris beatifici, sed etiam infiniti alterius amoris Dei, quali alij Iusti in hoc sæculo ardent, tamen quamdiu manebat domi in subjectione ergà Matrem & Patrem putatitium (nam *erat subditus illis*) modestè se gerebat, & pauca in ipso indicia exuberantis Charitatis animadvertebantur; commune vulgus putabat eum esse pauperem carpentarium, filium fabri, qui litteras non didicerat, indoctum, simplicem & communem hominem; verùm dum venerat hora ejus, ut exiret de domo parentum, quasi ad aërem, seu ut manifestaret se ipsum mundo, ut perficeret opus redemptionis nostræ sibi ab æterno Patre injunctum, tunc incipiebant apparere signa spiritualis ebrietatis, tunc incipiebat facere effusiones amoris ergà homines; dum ex amore & compassione volebat resuscitare Lazarum in monumento fætidum, turbabatur; dum volebant eum facere Regem, fugiebat; cum peccatoribus & publicanis, velut suæ conditionis oblitus, conversabatur & manducabat; aliàs peccatricem ad suos pedes lavandos admittebat; per vicos & Castella obambulabat, ut omnibus benefaceret; aliàs volens omnes suo musto recreare, clamabat: *Si quis sitit, veniat ad me & bibat*; uno verbo, omnia ejus opera erant operationes amoris ergà genus humanum, quo amore velut vino suavissimo erat ità captus,

Reputabatur communis carpentarius.

Posteà dedit signa excessivi amoris ergà homines.

Ion. 7. f. invitat ad bibendum vinum amoris.

raptus, ut profunderet omnia, quæ habebat; curabat malè habentes, ejiciebat dæmonia, mortuos suscitabat, ac tandem proprium Corpus in cibum, & Sanguinem in potum instituit, idque *propter nimiam Charitatem suam, quâ dilexit nos*; quâ & factum est, ut pro salute hominum vellet subire ignominiosissimam mortem Crucis, effundens Sanguinem suum pro nobis usque ad ultimam guttam: ecquid mirum? Charitas ipsum inebriaverat & quasi sui oblivisci fecerat; quæ continuò videbatur magis & magis crescere ex eo tempore, quo sese mundo manifestaverat ex mandato æterni Patris.

Excessivus Christi amor Eph. 2. 4. 6.

Erat ebrius præ amore.

Christum imitati sunt plurimi sancti Religiosi, & alij; qui manebant latentes in solitudine, mundo ignoti, absque eo quod sciretur, quid gratiæ, vel quale talentum à Deo accepissent; absque eo, quod adverterentur pleni divino amore; donec à Deo de privata vita ad publicam vocati, de solitudine extracti, prodirent quasi de domo ad aërem, exhibentes plurima indicia spiritualis suæ ebrietatis: talis erat sanctus Thelesphorus, talis erat sanctus Dionysius, qui de statu Monachali, de Carmeli solitudine evocati ad Cathedram Apostolicam sublimati fuerunt; in quâ sedentes velut clara lumina super montem posita totam illustrarunt Ecclesiam, & Charitatem Dei & proximi, perfectissimè exercuerunt. Talis erat sanctus Angelus cujus interna & ardentissima Charitas erat ignota, donec à Christo à deserto evocabatur, ad alios suis ferventibus prædicationibus convertendos; in quo munere dum occupabatur, magis indies videbatur inebriari vino amoris, zeli animarum, & fervoris, quo Christo lucraretur animas: quidem hoc notandum est, quod, dum aliqui à Deo sic vocantur ex statu, in quo propriæ solummodò saluti ferventer insudabant, ad alium statum, in quo etiam alijs prosint, tales per nullas externas occupationes, neque per conversationem cum hominibus, etiam mundanis & peccatoribus, flaccescant in Charitate; neque etiam fiant magis & magis jejuni, prout solent, qui cùm solummodò sint parum poti, ubi ad aërem veniunt, vel aliquibus se occupant, fiunt planè jejuni, perindè ac si non bibissent; volo dicere, sicut evenire solet etiam plerisque personis devotis & Religiosis, quæ cum valdè parum de vino divini amoris gustaverint, & introsumpserint, ac modicum in virtute progressum fecerint, se ex proprio motu & voluntate, magis quàm ex vocatione Dei, vel applicatione superiorum, vitæ activæ devovent, confessionibus audiendis, concionibus habendis, conversationi cum hominibus fovendæ, vel alijs exterioribus occupationibus sese implicant; hi enim quasi ad auram ambulantes facilè fiunt toti jejuni, id est, id quod de amore Dei videbantur gustasse, perdunt, & cœptâ virtute deficiunt, sicque spirituali nutrimento paulatìm destituuntur, atque ità dum alijs prodesse putant, seipsos negligunt, alijs cibum

Plures ex solitudine vocati in vitâ activâ ebrij amore notantur.

SS. Telesphorus & Dionysius Carmelitæ postea pontifices.

S. Angelus è solitudine à Christo mittitur ad prædicandum.

A Deo vocati vel ab obedientiâ applicati per vitam activam non flaccescunt.

Parum poti in aëre fiunt jejuni.

Multi non vocati, vel ab obedientia ultronea non applicati in vita activa, deficiunt.

Dum alios lucrantur, seipsos perdunt.

bum & potum spiritualem porrigunt ; ipsi verò in penuriâ cibi cælestis ; & gratiarum manent ; quo fit, ut tales ità sensim deficiant, ut sint, quasi nunquam Deum gustassent, vel vitam spiritualem incepissent ; imò pejores deveniunt, quàm ipsimet sæculares ; quarè hoc ? quia externæ istæ occupationes velut aqua frigida, modicum quod de fervore Charitatis habebant, exstinguunt ; præsertim dum se ipsos ad istas intrudunt, à Deo non vocati, vel ex ultroneâ obedientiâ non applicati : At alij econtrà in Charitate consummati, à Deo vocati & in virtutibus exercitati veniunt quasi ex cellâ Vinariâ Sponsi, ubi copiosè potati, dum in publicum prodeunt, in aëre mundano, in exercitijs vitæ activæ, adhuc amplius accenduntur, & fiunt ardentiores, ac omnia ista peragunt cum maximo lucro animarum, etiam propriæ.

Externæ occupationes aliquibus ut aqua frigida causat teporem amoris.

Perfectis non nocet externa occupatio.

CAPUT XXIII.

Undè fiat, quod hi ex solitudine assumpti videantur magis inebriari amore Dei, & fructum facere, quàm anteà.

AQua retardat ignis operationes in ligno, sed est occasio ardentioris ignis in huillâ, & majoris caloris in calce : ità etiam externa occupatio, quæ imperfectis servit, velut aqua, ad exstinguendum in illis ardorem Charitatis; servit perfectis (qui in Ecclesiâ Dei sunt sicut carbones igniti ad alios accendendos, vel instar vivæ calcis idoneæ ad Christianas animas velut lapides vivos conglutinandas in ædificationem domûs Dei) pro occasione majoris fervoris, & ferventioris amoris Dei ; siquidem videtur quod totum, quod vident, vel audiunt, sive sit bonum, sive malum, ipsis prosit quasi stimulus, & excitamentum amoris : de talibus propriè intelligitur illud Apostoli : *Scimus, quia diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*; nec mirum; sunt enim similes apibus, quæ etiam mel sugunt ex venenatis, & ex omni flore mellificant.

Perfecti sunt carbones igniti.

Illis omnia cooperantur in bonum.

Rom. 8.

Vultis audire, quomodò id fiat ? aqua causat calorem in calce, frigidus aër in hieme excitat calorem in aquâ profundi putei ; nix accendit subindè fimetum, per antiperistasim (ut aiunt Philosophi) id est, per circumstantiam contrariarum qualitatum, quæ oppugnantes contrarias qualitates in aliqua re inventas, sunt causa, quod hæ qualitates contrariæ sese colligant, ac alijs se opponant ; v. g. dum frigus aëris congelantis cingit aquam profundi putei, ut eam adhuc faciat frigidiorem per expulsionem omnis caloris, vel calefacientis vaporis, qui ordinariè secundùm aliquem gradum per aquam

Aqua vel frigus causat calorem per antiperistasim.

Antiperistasis describitur.

quam dispersus est, congregantur in aquâ omnes calidi vapores, cùm au-
m vis unita sit fortior, isti vapores sic collecti jam fortiùs resistunt frigi-
iori aëri, & insuper intrà aquam producunt aliquos gradus caloris, undè &
qua fit calidior, occasione circumstantis aëris frigidi.

Simili ferè modo exercitia vitæ activæ etiam serviunt ad magis inflamandum ignem Charitatis in perfectis; nam dum ex speciali divinæ providentiæ dispositione, externæ occupationes (quæ ex naturâ videntur frigefacere, & per quas satan non rarò facit congelari animas quoad calorem divini amoris) injunguntur perfectis, tunc in ipsis colliguntur omnes vires animæ, ac unà omnes bonæ considerationes & piæ affectiones, quæ anteà videbantur dispersæ & sinè efficaci operatione; atque hæ sic colligatæ exerunt suam efficaciam contrà occasiones flaccescendi, & deficiendi, contrà pericula peccandi, & fervorem amittendi, quæ pericula, quas occasiones secum afferre solent illæ externæ occupationes; & sic resistendo sunt causa, quod mens divino aliquo radio magis illustretur, & voluntas amore Dei magis exardescat.

Vita activa per antiperistasim spiritualem causat calorem Charitatis.

Quomodò id fiat.

Quod si contingat tales esse in consortio hominum lascivorum & immoderatorum, inttrovertunt se, oculo compassivo attendendo ad cæcitatem hominum, rogant Deum, ut eos ab istâ vanitate dignetur retrahere; sese interius ad suum Dilectum convertunt cum detestatione istius vanitatis: si es advertant alios effusos in cholerâ, si audiant detractiones, vel contumelias; in ipsis oboriuntur cogitationes mansuetudinis exercendæ, vel um discursum interponendi; quod faciendo exercent Charitatem fraternam, & eâdem operâ excitant amorem Dei; si in confessionali audiant horribilia peccata, luxuriæ, injustitiæ, fraudis &c. interius sese recolligendo reflectunt ad miserrimum statum naturæ humanæ, summè illis compatiuntur, inculcant illis timorem Dei; agnoscunt etiam Dei misericordiam, qua ipsi à talibus peccatis præservantur; atque ità per similes considerationes exercent se in dilectione proximi, & pariter crescunt in amore Dei. Si tales rebus adversis concutiantur, si tædio afficiantur, si obloquia, dicteria aut persecutiones patiantur, omnia vertunt in bonum, considerant arcanas dispositiones providentiæ Dei, ac se ejus beneplacito resignant, sicque crescunt in Charitate.

Perfectis non nocent mala consortia, sed prosunt per antiperistasim.

Quomodò confessarij ex auditis debeant proficere.

Perfectis adversa non nocent sed augent charitatem.

Satan olim meditabatur aquis tribulationum exstinguere ignem Charitatis in innocentissimo Prophetâ Job; in quem finem petijt & obtinuit à Deo veniam dimittendi contrà illum flumina adversitatum; misit Sabæos, ut irruerent, & percuterent pueros ejus gladio, & tollerent omnia; spoliavit illum bonis omnibus; ità ut *à plantâ pedis usque ad verticem percussus ulcere pessimo, testâ saniem raderet sedens in sterquilinio*, & insuper à propriâ uxore illuderetur; at ecce, perindè ac si hæ aquæ tribulationum effusæ fuissent in

Job. 1.

Job. 1, 6.

Tribulationes auxerunt charitatem.

bonam

Dei in sancto Iob, per antiperistasim. bonam & pinguem calcem, causarunt quasi per antiperistasim, seu per circumstantiam contrariæ qualitatis, in Viro Dei majorem perfectionem, patientiam, amorem Dei, hinc Deum benedicendo & gratias agendo dicebat; *sicuti Domino placuit, ità factum est, sit nomen Domini benedictum*, & *si bona recepimus de manu Domini, mala quarè non sustineamus*? Iob. 1. 22. Iob. 2. 10.

Tormenta auxerunt amorem Dei in Martyribus per antiperistasim. Tyranni olìm per supplicia & tormenta atrocissima Sanctis Martyribus auferre putabant ignem amoris Christi, ac lumen fidei: at quò illa tormenta erant atrociora, & instar gelidissimi aëris Sanctos Martyres magis circumcingebant; eò omnes internæ eorum vires, & fervor Charitatis magis adunabantur, & occasione illarum pœnarum fortiùs agebant, & Charitas magis accendebatur; nam omnia illa tormenta videbantur quasi esse oleum igni infusum, vel quasi aqua huillæ ardenti aspersa; quæ huilla, qui ignis, indè fortiùs ardent; hoc patuit in Sancto Laurentio, in Sancto Vincentio & millenis alijs, in quibus illud verificatum est, *aquæ multæ*, utique tribulationum, *non potuerunt extinguere Charitatem*, *nec flumina obruent eam*: unusquisque conjicere potest oculos ad diversos Sanctos tàm Martyres, quàm Confessores & Virgines, in particulari, & millena exempla inveniet. Cant. 8.

Externa exercitia accendunt charitatem per antiperistasim in perfectis. Porrò eadem est ratio Ebrietatis spiritualis, quæ in multis augetur per exercitia vitæ activæ; dum alioqui à Deo Dilecto suo potantur in cellarijs ejus vino dilectionis; siquidem hæc exercitia quidem subindè sunt velut frigidus aër circumstans, sed sunt occasio, cur circumspectiùs in omnibus se gerant, cur magis sese intùs recolligant, ac totis viribus, multiplicandis bonis cogitationibus, ac pijs desiderijs intendant; undè fit; ut per divinas illustrationes, quæ indè in illis augentur, etiam continuò in ipsis magis exardescat ignis Charitatis.

CAPUT XXIV.

Aliquæ animæ per spiritualem Ebrietatem amittunt sensus; quomodò se gerere debeant, dùm redeunt ad se.

Aliqui spiritualiter ebrij à sensibus alienantur. ALij ità capiuntur potu, ut non sint sui compotes vel memores: pariformiter etiam aliquæ animæ per intervalla ità potantur vino Charitatis, ut alienentur à sensibus, & rapiantur in extasim, sui & rerum omnium oblitæ; tales dicunt cum Sponsa: *Introduxit me Rex in cellaria sua*; at quæ indicia Ebrietatis in similibus? extrà se raptæ clamant, *fulcite me floribus*, *stipate me malis*, *quia amore langueo*; quasi talis anima vellet dicere, quod sit velut prægravata & superplena musto divino, quod suâ virtute & vehementiâ Cant. 2. 5.

tiâ ipsi causat languorem; tali mysticâ ebrietate erat capta nostra Sancta Magdalena de Pazzi, quandò persæpè in extasim rapta, ac sui impos, currebat per conventum, nihil aliud clamans, quàm *amor*! *amor*! aliàs ità ab eodem violentabatur, & ardebat, ut Deum deprecaretur, quatenus vires & efficaciam hujus mystici Vini adusti temperaret, eò quod præ languore videretur planè deficere; alia exempla ejusdem & aliorum Sanctorum, brevitatis causa prætermitto; solùm mihi sufficit ostendere, qualiter animæ devotæ crescant in Charitate, & qualiter per eamdem diversas habeant operationes.

S. M. de Pazzi amore ebria.

Petit refrigerium.

Verum ad quid putatis esse idoneas animas hoc posteriori modo spiritualiter ebrias? ad nihil sunt aptiores, quàm ut quiescant in sinu Dilecti; sic Dilectus IESU Discipulus Ioannes post sumptum sacrum Calicem in ultima Cæna, recubuit & mysticè obdormivit suprà pectus Domini; hujus rei experientia actualiter fruens Sponsa dicebat: *Læva ejus sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me*; ecce, jacet in deliquio, & læva Dilecti illi datur pro pulvinari, ut dormiat ibi somnum pacis, atque ut facilius obdormiat, Dilectus eam fovet & amplectitur dexterâ suâ; id est, præbet illi osculum internæ & externæ pacis, eam tractat leviter & amicabiliter: desiderabilis profectò constitutio talis animæ, quæ amore languens tam fœliciter inebriatur, ac tunc à cælesti Sponso tam amorosè excipitur.

Perfecti ebrij amore quiescunt in brachijs dilecti.

Cant. 2. 5.

Sponsa quiescit in sinu dilecti.

Porrò dum hic somnus quietis evanuit, ac talis anima sui compos facta, sensibus incipit restitui, ac ad alia opera sese debet convertere, quomodò debet se gerere? Sponsa in statu suæ Ebrietatis & amorosi deliquij etiam erat sollicita, ut hoc sciret, & media disceret; ideò dicebat: *Fulcite me floribus*; id est, nullo tempore mihi deficiant flores piarum affectionum, & bonorum desideriorum, quæ me ubique fulciant, ne unquam deficiam à via recta; *stipate me malis*, id est, detur, obsecro, mihi semper gratia efficax, quâ dulcissimos fructus bonorum operum omni tempore proferam. Et revera extra tempus orationis, extra actualem ad intimas operationes tractum, anima devota semper debet esse sollicita, ut pijs ad Deum aspirationibus, ferventibus desiderijs soli Deo adhærendi, amorosis voluntatis affectionibus utatur velut fulcro seu sustentaculo, quo sic maneat stans in gratia Dei: Deinde cavere debet, ne bona opera intermittat, quæ Deus ab illâ requirit; hæc enim sunt fructus & poma confortantia, quibus vitam in Christo tenetur conservare: de his continuò debet gustare, vitando omnem otiositatem velut pulvinar diaboli, atque hoc alicui servire potest pro signo fortis & languefacientis amoris; si nimirum à Spirituali ebrietate jejunus factus & ad se reversus, id est, extra tempus specialis Dei in ipso operationis, dum non amplius percipit efficaciam divini amoris, sese trahi sentit, & bonis desiderijs impelli, ac jugiter inclinari ad indefessum exercitium

Extra tractum dilecti, vel somnum quietis bona desideria & opera exercenda.

Quæ poma sponsæ.

Bona opera pabulum piæ vitæ in Christo.

Signum fortis amoris est operari benè.

citium virtutum; hi enim sunt flores, hæc poma, quibus anima semper debet refocillari & spiritu confortari.

CAPUT XXV.

De floribus & pomis ab animâ postulatis dum amore languet.

Flores sponsæ sunt lilia castarum cogitationum &c.

NEque verò quis sibi persuadeat hos fructus esse exigui valoris; si enim petatis, quales sint isti flores? qualia poma? sunt lilia, seu castæ cogitationes decentes Sponsam Christi; sunt purissimæ intentiones pullulantes ex angelicâ cordis mundiciâ; sunt amorosæ affectiones ascendentes de centro animæ; de his lilijs Sponsa sic loquitur, *Dilectus meus descendit in hortum suum, ut lilia colligat*; id est, venit in cor meum velut in hortum suum, recreari desiderans in fragrantiâ castarum cogitationum; ideò addit. *Dilectus meus mihi, qui pascitur inter lilia*; eò quod, nimirum, plurimum delectetur in puris affectionibus, in castis desiderijs, quæ velut totidem candidissima lilia germinant in corde virginali: talibus floribus postulat fulciri anima amorosa, quatenus sic semper gratiosa remaneat in oculis Dilecti.

Cant. 6. 1.

Sponsus pascitur inter lilia ista.

Num. 2.

Poma sponsæ sunt virtutes & bona opera.

Sponsa invitat sponsum.

Cant. 5.

Cant. 7. 13.

Poma, quæ desiderat, sunt solidæ virtutes, & bona opera, quæ jugiter Dilecto suo gaudet offerre, velut munus gratissimum; quæque illi proponit pro ferculo ad vescendum: ad hoc ferculum illum invitans ait, *veniat Dilectus meus in hortum, & comedat de fructu pomorum suorum*, quæ nempè pro ipso reservavit, iuxta quod alibi dicit, *omnia poma, nova & vetera servavi tibi Dilecte mi*: id est omnia mea bona opera à juventute mea usque modò, feci ad tuam gloriam & honorem, unicè desiderans, ut tibi sapiant, & sint accepta velut fructus suavissimi, quos mediante tuâ gratiâ, produxi; ac proinde tui sunt, quia tua gratia eos in me mecum produxit; *veniat*, ergò *Dilectus meus, comedat de fructu pomorum suorum*; at quâ intentione putatis Sponsam Dilecto suo præparare hoc pomorum ferculum? mihi videtur, quod invicem invitent & tractent per vices; ut sint convivia reciproca ad mutuum amorem fovendum ordinata.

CAPUT XXVI.

De convivio reciproco, quod anima præparat Sponso, dum cessat illam tractare in cella vinaria.

Quæ fercula Sponsus apponat sponsæ.

HActenus plura disserui de tractamento, quo Sponsus dignatur Sponsam, qualiter illam potare & spiritualiter inebriare gaudeat in cellarijs

riis suis; quomodò ipsi apponat mensam opiparam, donans illi proprium Corpus in cibum & Sanguinem in potum; nunc operæ prætium est videre, quomodò Sponsa reciprocè anhelet tractare Dilectum pro suo posse.

Imprimis invitat illum, modô suprà dictô ad ferculum pomorum, seu bonorum operum, quæ, quantum est de se, maximè cordi habet, dum Dilectus cesset ipsi propinare haustum inebriantis amoris, dum desinit illam prævenire in benedictionibus dulcedinis, dum secundùm sensibilitatem, illam relinquit in fame & siti, id est, in penuria sensibilis consolationis, aut intimi influxus & operationis divinæ gratiæ, dum experiri desiderat, quomodò anima victitabit proprijs expensis, & de proprio conatu illi serviet; dum vult probare, an, etiam ex parte sua, in statu derelictionis, aliquam diligentiam adhibebit, ut ipsi aliquod honorarium præsentet; tunc quippè tempus est, ut fidelitatem suam exhibeat, ut probet se non esse solummodò amicam mensæ, & ostendat quod Dilecto suo non serviat propter proprium interesse, propter tractamentum, propter suavissimos Sponsi amplexus & oscula, propter ejus munera, sed intentione purissimâ, ab omni propria quæstione defæcata, simplicissimè propter ipsum secundùm se; idque, etiamsi nulla sequeretur retributio ex parte Dilecti, utpotè propter se unicè & summè diligendi; quocircà fidelis anima in tali derelictione nec vel ad latum unguem deficit à solita & debita diligentia ac studio complacendi ipsi in omnibus; imò hoc tempus æstimat valdè opportunum, in quo suam probet fidelitatem; ac sibi persuadet, quod jam convenientissimè possit ac debeat Dilecto suo præparare cœnam reciprocam, ad quam proindè, ut diximus, illum ex sincerissimo amoris affectu, etsi fortè non sensibili, invitat:

Sponsa invitat sponsum ad ferculum pomorum.

Derelictio animæ est ejus probatio.

In derelictione qualis fidelitas Deo servanda sit.

Fidelitas animæ in derelictione.

Verumtamen Dilectus subindè aufugisse videtur, nec attendere ad vocem invitantis, absque eò, quod perceptibiliter sinat se inveniri, vel ad cœnam velit comparere: econtrà aliquandò venit non invitatus, & adfert secum suam portionem, sed non semper eamdem, nec semper aliquam cœnam ad gustum.

CAPUT XXVII.

Prosecutio Materiæ, & quomodò anima in derelictione Dilectum quærat, ac tandem inveniat per instructionem Superiorum.

DIlectus simulat se subindè non invenibilem, & à sponsâ procul aufugere videtur, dum anima à Deo probatur *in camino humiliationis*; *in fornace paupertatis*, dum secundùm potentias sensitivas est ita constituta, ut ne vel

Status derelictionis.

vel in minimo experiatur præsentiam Dilecti, aut ejus gratiam; sic ut ab eo repudiata videatur: verumtamen in tali occasione fidelis sponsa quærit omni modô redire in gratiam, casu quo in aliquo displicuerit, & talis derelictionis occasionem dederit; ubique inquirit, qualiter illi occurrere liceat, ac in aliquo placere; explorat quid ipse à se desideret, & an aliquid illi ad gustum coquere possit: sic faciebat sponsa in Canticis; nam imprimis, dum Sponsus abscurrisse videbatur, nec amplius amorosè cum ipsâ agere vel uniri, clamabat, *indica mihi, quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie*: ad quid quærit hoc? *ne*, inquit, *vagari incipiam post gregem sodalium suorum*; ubi insinuat, quam sit illi grave carere suavissimis amplexibus Dilecti; quem proindè volens blandiendo allicere, ait *Ecce tu pulcher es Dilecte mi, & decorus; lectulus noster floridus*; id est, cor meum instar thalami ornatum est floribus desideriorum & affectuum amoris, præparatum est ut te hospitio excipiat, ac mysticæ inter nos unioni idoneum: hic audimus sponsam blandiri, & Dilectum procari, ut dignetur ad se redire, ac osculari se osculo oris sui; at sæpius videtur frustrà clamare, & surdo narrare fabulas; id quod indicat his verbis, *surgam & circuibo civitatem, per vicos, & plateas quæram, quem diligit anima mea; quæsivi illum & non inveni*; ecce anhelat ad Dilectum, nec parcit labori in quærendo, nec tamen eum assequi valet.

[Margin: Anima derelicta quomodò quærat Deum. — Cant. 1. 6. — Ibidem. — Eum blandè invitat. — Ibid. n. 15. — Lectulus floridus est cor &c. — Cant. 3. — Quærit dilectum.]

Talis est constitutio amantis animæ, cujus amor probatur in absentiâ Dilecti; dum enim non amplius invenit quem tenerrimè diligit; dum inquam, fides ejus obtenebratur; ità ut destitui videatur intuitu & præsentiâ Dei quem antea vivâ fide in omnibus creaturis clarè solebat videre; & dum hinc impetuosus illius amor videtur decrescere; tùm nescit, quo se vertere, ut possit recuperare lumen vivæ fidei, ac pristinum in se Charitatis fervorem experiri; angustiatur, verita ne fortè illa obscura nox diu duret, & ipsa radijs internæ illuminationis destituta manere debeat; metuit, ne per diuturnam ferventis amoris carentiam paulatìm tepescat & refrigescat; ac proinde continuò orat cum Psalmistâ, sit obsecro, *lucerna pedibus meis Verbum tuum Domine, & lumen semitis meis*, ut in hac obscura nocte deducat per vias rectas; *illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte*; gemit instar turturis, amisso compare; lamentatur, & in lacrymas resolvitur, nec cessat inquirere de Dilecto, ubicumque potest; audite illam, *adjuro vos*, inquit, *filiæ Ierusalem, si inveneritis Dilectum, ut nuncietis ei, quia amore langueo.*

[Margin: Derelictio animæ. — Angustia animæ in derelictione. — Psalm. 118. — Petit lumen. — Psalm. 17. — Est instar turturis. — Cant. 3. 8.]

Hoc est ejus alloquium ad alias animas pariformiter cum illâ Deum amantes; verùm magis confidens quod per adjutorium superiorum & Patrum Spiritualium faciliùs Dilectum inveniet, ad eos pergit; undè subdit, *invenerunt me vigiles, qui custodiunt civitatem*, & dixi illis, *nùm quem diligit anima mea, vidistis?* hi possent illi respondere, an nescis, quia fides docet, quod Dile-

[Margin: Consulit Patres Spirituales. — Cant. 3. 3.]

Dilectus tuus sit ubique locorum? nescis, quod sit in corde tuo? illa replicaret, quin imò, Patres mei, id novi; sed fides in me adeò est obscurata, ut in mentem incidere videatur, quasi procul abesset à me; quid ita? quia *quæsivi illum & non inveni*, per aliquod perceptibile vel sensibile signum; *vocavi, & non respondit mihi*, per suavem aliquam inspirationem, pro ut solebat; videtur procul aufugisse. Cant. 5.

Hic advertere licet, quanto desiderio Sponsa anhelet ad Sponsum; atque hoc est signum tenerrimi ad illum amoris; illum autem subindè invenit sequendo directionem Patrum Spiritualium; undè ait: *Paululùm cum pertransissem eos*, puta Vigiles, *inveni, quem diligit anima mea*; undè quæso contigit, ut tam citò inveniret? Vigiles, id est, Superiores, quorum est custodire civitatem, seu communitatem sibi commissam, monstraverant ei viam compendiosam ad eum inveniendum; ut clarè innotescat, nihil esse, quod rectius, securius & compendiosius ad Deum deducat, quàm directio & obedientia Superiorum; quippè qui hos sequitur, ne vel passum ponit in vanum, utpotè cum per eos audiat Deum loquentem, quem *qui sequitur, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ*, ac deducetur per vias rectas: nam *Iustum deduxit Dominus per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei.*

Sequendo consilium superiorum invenit dilectum.

Superiores sunt vigiles communitatis.

CAPUT XXVIII.

Anima inventum sponsum tenet, nec dimittit; eumque invitat ad convivium reciprocum; at ipse subinde confert amaram portionem, quâ tamen ipsa benè contentatur.

DUm sponsa sic invenit Dilectum, conatur eum fortiter tenere, nec amplius intendit illum dimittere; unde ait, *tenui eum, nec dimittam*; at ille vix videtur velle manere; atque ideò ut eum facilius ad manendum inducat, invitat illum, ut dignetur recreationis causâ venire ad hortum suum, & de fructibus illius gustare; ait itaque, ne quæso discedat, sed *veniat Dilectus meus in hortum suum*, id est, in cor meum, quod ipsi totum consignavi, ac proinde suum est; *&* ibi *comedat fructum pomorum suorum*, id est recreationem suam sumat in fructibus bonorum operum, quæ cum gratiâ ipsius exercui.

Anima invenit sponsum & sollicite tenet.

Cant. 3. 4.

Cant. 5. 4.

Invitat ad hortum cordis sui pro recreatione.

Ad hanc sponsæ invitantis vocem videtur sponsus se nonnihil velle accommodare: verum quia jam est tempus eam probandi, non intendit cum eâ deliciari, aut recreari, aut lautè epulari; nam & ipse illam invitat ad portionem amarissimæ myrrhæ, *veni*, inquit, *in hortum meum Soror mea sponsa; messui myrrham meam cum aromatibus meis*; indubiè ut pariter de illis comedant: quid enim vult sponsus per hoc insinuare? nihil aliud, qàum quod

Sponsus acceptat invitationem.

Ibid. n. 1.

Invitat sponsam ad por-

tionem myrrhæ. quod sit sua intentio & beneplacitum, ut adhuc maneat in degustatione myrrhæ, id est, in amaritudine mortificationum, in amarâ carentiâ omnis sensibilis consolationis humanæ & divinæ; itâ tamen ut myrrha ista nonnihil hìnc indè misceatur cum aromatibus, id est, ut subindè una scintilla divinæ illustrationis, & guttula internæ consolationis intercurrat, præsertim autem, ut nunquam desint aromata si non dulcia, saltem fortificantia, id est, gratiæ etiam imperceptibiliter spiritum roborantes.

Ad statum derelictionis.

Miscet aromata consolationis.

Et verò hoc potest docere experientia nempè, quod anima, alioqui secundùm apparentiam & sensum planè derelicta, obtenebrata, desolata, sic ut depascere debeat collem myrrhæ, in summâ amaritudine animi constituta, subindè tamen, etsi solummodò ad momentum temporis, aliquod sublevamen sentiat, illucescente in se, per modum fulguris corruscantis, aliquo radio divinæ illustrationis, ac Deo instillante unam guttulam consolationis; sicque anima à Dilecto planè subitò & transeunter visitatur; non sine desiderabili successu; hæc enim quantumvis subitanea visitatio custodit, & roborat spiritum ejus; ne fiat pusillanimis; ut recordetur se à Dilecto non deseri, sed probari; indè etiam fit, quod anima talem induat fortitudinem, ut planè sit resignata, & parata, in omnimodâ derelictione ac desolatione consumere omnes dies vitæ suæ; imò advertens Deum sibi in hoc complacere, nec non reflectens sese sic optimè posse exercere & ostendere suam ergà Deum fidelitatem, incipit anhelare ad sic manendum, vel alia pro amore Dilecti usque ad extremum vitæ halitum toleranda; tali resignatione confortata Seraphica Mater Theresia, sæpiùs clamabat, *aut pati, aut mori*; sed & Sancta nostra Magdalena de Pazzi, in hoc spiritu fortitudinis, in hoc pro Deo patiendi desiderio plus ultrà progressa dicebat, *non mori, sed pati*, quasi voluisset diutiùs vivere, & æternæ beatitudinis fruitionem differre, ut ampliùs pati posset, quasi noluisset mori & ire ad cælum, quia ibi non datur occasio aliquid pro amore Dei patiendi.

In derelictione anima sentit subindè scintillam luminis & guttam consolationis.

A Deo confortatur ad multa pro ipso facienda & toleranda.

S. Theresia optat pati. S M. de Pazzi adhuc magis.

Porrò dum anima huc perfectionis pervenit, tunc omnis passio est illi recreatio, & tota ejus delectatio est in passione, omnis ejus consolatio in desolatione atque ideò cupit à Dilecto osculari, *osculetur me*, inquit, *osculo oris sui*; verum scitne anima, quod ex *ore ejus procedat gladius ab utraque parte acutus*? videtur respondere, quod itâ; quodque ideò desideret osculari osculo oris illius, eò quod toto cordis affectu multa pro ipso pati desideret, non verò, durante hâc vitâ, suaviter ab illo tractari.

Animæ perfectæ omnis passio est recreatio.

Cant. 1.

CA-

CAPUT XXIX.

De bono convivio, quod sponsa proponit sponso.

IN jam explicato statu anima est valdè perfecta, & omninò idonea, quæ Dilecto præparet gratissimum convivium, eumque excessivo ergà se amore quasi inebriet; audite illam loquentem ad Sponsum, *apprehendam te*, Dilecte mi, *& ducam in domum Matris meæ*; in quem finem? addit, *ibi me docebis*, nimirùm, *facere voluntatem tuam*: at quid, ô anima amorosa, dabis Dilecto tuo in signum grati animi, quod te doceat & ità minutim instruat de voluntate suâ? conversa ad Dilectum respondet *& dabo tibi poculum ex vino condito*, *&* potandum offeram *mustum malorum granatorum meorum*: vultis scire, quandonam hoc contingat? dum anima benè reflectens ad intimas Dei in se locutiones, inspirationes, instructiones, in omnibus etiam minimis, ejus beneplacitum perfectissimè studet exequi, idque æquanimiter, stabiliter & constanter, sive sit in dulcedine, sive in amaritudine; sive consolatoriè à Deo visitetur, ejusque suavissimos complexus experiatur, sive in tædio, desolatione, & afflictione, relinquatur, siquidem Deus per tam plenariam resignationem, per tam perfectam ad omne Dei beneplacitum indifferentiam, per tam constantem & punctualem ejusdem beneplaciti adimpletionem, adeò delectatur & exhilaratur, ut à fidelissimâ Sponsâ suâ, liberali haustu vini conditi potatus, & ardentissimo ergà ipsam amore captus videatur; ad quem excessum amoris non parum juvat mustum malorum granatorum à Sponsâ ipsi propinatum, quodnam est illud mustum malorum granatorum? mala granata Sponsæ sunt strenua illius & in Spiritu Dei facta virtutum opera, quæ ipsa exercet in Charitate, sinè Charitate, id est sinè perceptibili aut sensibili influxu Charitatis; hæc enim instar dulcissimi musti lætificant Deum; de hoc potest intelligi, quod sit *vinum, quod lætificat Deum & homines.*

Anima perfecta ducit sponsum in domum Matris. *Cant. 8.* *Ab ipso docetur.* *Offert ipsi vinum conditum* *Quomodò Sponsum ejus beneplacitum in omnibus faciendo etiam in derelictione, inebriet.* *Sponsus exhilaratur fidelitate animæ, ac ejus amore inebriatur.* *Mala granata sunt bona opera.* *Iudic. 9. 13.*

Hæc strenua virtutum opera meritò vocantur mala granata; nam habent plurima semina apta per bona exempla, proferre fructum centuplum similium operum in multis animabus, quibuscum anima spiritualis conversatur: & verò actus fraternæ Charitatis, mansuetudinis, & humilitatis, quibus ejus cum alijs convictus ornatus est, ejus circumspectio & prudentia in omni ejus conversatione, prompta ejus obedientia, zelus Regularitatis, ejus in oratione fervor, ejus cum alijs pia colloquia, & aliarum, quibus emicat, virtutum opera, verè sunt mystica talis animæ mala granata, quorum suavis fragrantia latè diffunditur, quorum semina in cordibus aliorum plantari

Quarè vocantur mala granata. *Semina bonorum operum*

rum in aliis fructificant.

tari videntur, cùm talis anima alios, suo exemplo, ad istarum virtutum exercitia provocat; proferunt autem fructum dum alij istius animæ exemplis exstimulati, eadem actualiter imitantur.

Patientia S. Iob est malum granatum fructiferum

Sanè optimum malum granatum fuit patientia Sancti Job, cuius semina ad hæc usque tempora fructus producunt in millenis desolatis animis, qui, ejus exemplo, in suis adversitatibus & afflictionibus patientes manserunt, cum ipso sæpè repetentes, *Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum.* Hoc modo etiam virtutes Christi & Sanctissimæ ejus Matris, fructus producunt in animabus, quæ eorum virtutes, & mala granata bonorum operum comedunt, id est, meditando degustant, imitando masticant, & habitum acquirendo digerunt ac in alteram naturam convertunt; quomodò autem id fiat, quisque facilè colliget, & experientiâ discet.

Etiam Christi Virtutes.

Mustum malorum granatorum spiritualium est amor & gratia Dei.

Ex his malis granatis bonorum & salutarium operum exprimitur dulcissimum mustum Charitatis & amplioris gratiæ, quo Deus ex parte animæ summè exhilaratur; dum enim anima se stabiliter exercet in ijs producendis, indies magis & magis meretur gratiam Dilecti; in ejus amore continuò crescit; atque per hunc amorem veluti per mustum deliciosissimum lucratur cor illius, eumque reciproco ergà se amore quasi inebriat; tuncque Dilectus sic exhilaratus, sua omnia, seque totum largissimè profundit; imò præ nimiô ergà dilectam animam amore velut suæ majestatis oblitus cum ipsâ familiarissimè, ac instar amorosissimi Sponsi, amorosissimè agit: Sic Sanctissima Virgo Virginum MARIA inebriaverat Dei Verbum, dum ejus amore captum, suæ Majestatis adeò fuit oblitum, ut infans fieri, de ejus purissimâ substantiâ incarnari, novem mensibus in virginali ejus Utero quiescere, ex eâ nasci, ejus uberibus lactari, & instar aliorum infantum, maternis ejus obsequijs foveri, & educari voluerit. Sic Sancta Mater Theresia sui amore fauciaverat cor Dilecti, dum in quodam mentis excessu ab eo assumebatur in Sponsam, & in arrham ejus ergà se amoris, audiebat, quod si cælum & terram necdum creasset, illius solius amore creare vellet: Sic Sancta Magdalena de Pazzi, illum potaverat musto suorum malorum granatorum, dum ipse ejus amore totaliter captus tam familiariter cum illâ agebat, ut ipsa eum sæpè admoneret, quatenus suo excessivo amori modum poneret, ac suæ Majestatis memoriam refricaret: at quid mirum? nimis benè ipsum tractaverat in spirituali suo, quod illi parârat, convivio, de quo jam egimus.

Quô modô anima succo bonorum operum inebriet Dilectum.

Amoris excessus in Dilecto.

Filius Dei amore Virginis inebriatus infans hic factus est.

A S. Theresia inebriatus, ob eam voluisset creare universum.

Item à S. M. de Pazzi.

CA-

CAPUT XXX.

Sponsus subindè non invitatus, in nocte derelictionis, venit ad Sponsam, cum eâ cœnaturus.

ALiquandò Sponsus non invitatus, ex improviso accedit, ut comedat cum sua Dilecta; idque de nocte, id est, dum anima videtur versari in summis tenebris mentis, sic ut percipere nequeat ea quæ sunt Dei, & salutis æternæ; ac oblivisci videatur omnium, quæ illam solebant movere ad devotionem & Spiritûs fervorem; non videt, quo pergere debeat, spirituales instructiones in ea locum non capiunt; imò non videtur illi liberum aliquem ergà Deum amoris actum elicere, nec amorosas illi de ejus absentiâ querelas deponere; non videtur etiam illi posse offerre vel minimam cœnulam malorum granatorum; siquidem sibi persuadet sese nunquam aliquid boni præstitisse, vel etiamnum præstare posse, quod Dei oculis placeat; quin imò sibi persuasum habet, quod sua vita sit continua Dei offensa. In tali statu sese persæpè inveniebat nostra Sancta Magdalena de Pazzi: cum anima nihil aliud novit facere, quàm se in profundo sui nihili immergere, ibique se continere, absque eo quod audeat cum Dilecto miscere sermonem; procul abest, quod præsumeret eum invitare: sed undè oritur talis animæ constitutio? ex eo quod radij divini luminis, quoad sensibilitatem & perceptibilitatem illi ex speciali Dei dispositione sint subtracti, & sic anima versetur in obscurâ nocte.

Status internæ derelictionis.

Quomodò in eo anima se debeat gerere, etiam ergà Deum,

Verùm tamen in hâc caliginosâ nocte nonnumquàm desiderat cum Dilectâ suâ cœnare, in quem finem non invitatus accedit; cujus meminit sponsa, dum ait, audite; *vox Dilecti mei pulsantis*: quid dicit? *aperi mihi soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea*: profectò blandissima sunt hæc verba, quibus utitur Sponsus, ut intromittatur: at quandonam pulsat? de nocte, pro ut sequentia Sponsi verba indicant; *caput meum*, inquit, *plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium*; ros descendit de nocte, ideò noctu venit collaturus rorem divinæ gratiæ: quâ intentione pulsat? ut intromissus Cœnam cum Dilectâ suâ sumat; id quod clarè innotescit ex ejus verbis alio loco prolatis; *ecce ego sto ad ostium & pulso, si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi Ianuam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum*; Ecce Sponsus venit non invitatus, cupitque se recreare cum suâ Dilectâ, dum ipsa minùs cogitat; at secum affert portionem suam, & apponit cum alijs; vel potiùs sua uterque confert in commune, & invicem ambo communicant; dicit enim *cœnabo cum ipso*, scilicet, de portione, quæ mihi

Sponsus visitat animam in nocte derelictionis.

Cant 15.

Pulsat ad ostium cordis.

Vt cœnet cum animâ.

Apoc. 3. *d.*

Confert suam portionem & gustat

etiam de ferculo animæ.

hi apponetur; *& ipse mecum*, nempè de portione quam ego apponam: ô felix anima, ad quam divertit cœlestis ille hospes & Sponsus, qui jura hospitij tam liberaliter potest & vult solvere! portio autem, quam ipse adfert est sacratissimum ejus Corpus & Sanguis in Sacramento Eucharistiæ; vel favus mellis gratiæ supernaturalis, quâ satiat & recreat animam in hâc lautissimâ Cœnâ. Verùm de his diximus plura aliàs.

Portio Sponsi S. Eucharistia vel favus gratiæ.

CAPUT XXXI.

Sponsus dùm non invitatus venit, reperit ostium clausum, quia est nox in quâ est periculum maligni aëris &c.

Sponsus invenit omnia clausa, quia nox est.

VLteriùs considerandum est, quod Sponsus debebat pulsare; quod non est mirum, quia nox erat, & ideò omnes portæ & fenestræ erant clausæ: uti enim moris est de nocte omnia ostia & fenestras obserare, ut sic domus asscuretur & præservetur à furibus, ac excludatur venenosus seu noxius aër; ità etiam in obscura nocte animæ, in tenebris internis, in statu & tempore derelictionis, omnes januæ & fenestræ solito sollicitius obturandæ sunt; apponendum est ostium circumspectionis labijs nostris; pro quo Regius Propheta orans dicebat, *pone Domine ostium circumstantiæ labijs meis, & frænos rectos ori meo*; ad quid hoc? nè fortè os nostrum contrà aperiamus diabolo murmurationis contrà Deum; tunc etiam omni diligentiâ custodire oportet sensus nostros, eosque claudere omni sensualitati, & curiositati; *nè* fortè *mors* peccati *intret per fenestras* istas in animam nostram; velut fur in nocte deprædatura thesaurum gratiarum ac meritorum; equidem certum est, quod, dum anima in hâc obscurâ nocte derelictionis & ignorantiæ est constituta, tùm maligni spiritus majori utantur astutiâ, ad castrum animæ ex improviso intercipiendum, & spoliandum, quàm in die internæ illustrationis & gratiosæ visitationis; attendunt ad phantasiam, ut eam multiplicibus cogitationum fluctibus perturbent, ac in cæteris potentijs excitent tumultum, quatenus sic intereà rationem & voluntatem fortibus ac vehementibus aliquibus tentationibus adoriri, & per consensum in peccatum captivare ac sibi mancipare queant.

In derelictione debet anima se & sensus melius custodire.

Psalm. 140.

Ierem. 9.

Diabolus durante nocte animæ illi insidiatur.

Per tentationes.

Facit aërem pestilentem.

In illâ tristi nocte serpens infernalis venenato suo halitu aërem inficere conatur, ut animæ pestem infligat; id est, diabolus pravis suggestionibus carnem commovet, & per rimam aliquam, seu apertam fenestram alicujus sensûs corporei, v. g. per visum, per auditum, per tactum incustoditum, inspirare satagit virulentum aërem impudicarum specierum, inhonestorum objectorum, pusillanimium cogitationum, inordinatæ tristitiæ

Quomodò?

ſtitiæ &c. quò ſic animam inficiat, & per peſtilentialem infirmitatem conſensûs in peccatum, enecet, & occidat.

De nocte regnant ignes fatui, qui homines ſe ſequentes alicubi ad ſoveam ducunt, & occaſionem miſeri casûs aut ſubmerſionis præbent; ità etiam in obſcurâ nocte animæ ſæpè dominantur ignes fatui ſeu ſtellæ errantes loco luminis gratiæ, quarum erroneo ductu anima facilè in peccatorum foveam caderet, niſi à Deo præſervaretur; tales ignes fatui ſunt falſæ revelationes, & ementitæ illuminationes, quas Satan ſeſe transfigurans in Angelum lucis in anima facit coruſcare; quibus dum ipſa in ſe locum aut adhæſivam reflectionem præbet, facillimè decipitur, ac accipiendo falſitatem pro veritate, malum pro bono, etſi ſub ſpecie boni, inducitur in errorem, in foveam peccatorum & perditionis: fatuus etiam ignis ſeu ſtella errans in hâc obſcura nocte eſt proprium judicium ſibi nimiùm fidens, ac propriæ prudentiæ & induſtriæ nimiùm innitens; quod judicium anima tenaciter ſequens facilè aberrat à viâ rectâ, & loco divinæ voluntatis ſeducitur in multis à propriâ, cujus ductu in multas labitur infirmitates, præſumptuosè agendo, ſibi magna arrogando, aliorum vivendi modum ſpernendo, ſe alijs præferendo; ſicque nonnunquam caſus ejus fit inſanabilis ad mortem: quæ pericula in ſtatu derelictionis obvia, quas antiqui ſerpentis inſidias, quos ignes fatuos, quem malignum aërem prudens anima volens ſubterfugere, meritò ſe ipſam circumſpectius cuſtodit, omnes ſenſus & vires ſenſitivas ſollicitius occludit: quâ occaſione etiam Sponſus ex improviſo adveniens, ſtare debet ad oſtium cordis, & ſpeciali gratiâ excitante pulſare, ut intromittatur; tuncque Dilectam ſuam rore capitis ſui, ſeu deſiderabili ſuæ viſitationis refrigerio alleviat, conſolatur, illuminat; & nè in iſtis tenebris ceſpitet; ut videat, quid agere, vel omittere debeat, *dat illi in omnibus intellectum.*

Ignes fatui de nocte.

Etiam in nocte animæ.

Falſæ revelationes &c. ſunt ignes fatui.

Inducunt ad peccata ſub ſpecie boni.

Stella errans proprium judicium obnoxium erroribus.

Sponſus in nocte derelictionis animam viſitat, ut eam à periculis eruat.

CAPUT XXXII.

Vlterior ratio cur bonum ſit oſtia & feneſtras animæ occludere, eaſque non facilè aperire in nocte derelictionis.

AD vitanda omnia pericula obſcuræ noctis, de qua hic agimus, debet anima advigilare, ac januis & feneſtris clauſis, manere introverſa ad Deum, jactando ſuper Dominum omnem ſollicitudinem, & cogitatum cum ſummâ fiduciâ; quarè imprimis debet attendere, nè ſenſus aperiat ad aliquod in creaturis captandum ſolatium; neceſſe eſt, ut occludat oculos, & obturet aures, nè aliquid videat vel audiat, quod hominem internum

In derelictione anima debet omnia oſtia & feneſtras claudere.

Quo ſenſu?

Quarè? posset conturbare; cum enim anima pro illo tempore nullam aut exiguam de Deo habeat notitiam; adeoque non sit idonea, ad se multum in spiritu introvertendum, facilè seducitur per factionem partis sensitivæ, ac facillimè trahitur ad inordinatam adhæsionem, & adhæsivam reflexionem ad res illicitas, sicque ex improvisò labitur, ubi minimè cogitabat.

In derelictione duplici custodia sensuum opus est. Sponsa in Canticis hæc probè sciens sedebat domi suæ, januis clausis, imò omnes portæ videbantur obseratæ serâ nocturnâ, seu duplici specialis circumspectionis; alioqui præsumendum est, quod Sponsus haberet clavem communem domus Dilectæ suæ, ut posset intrare & exire pro suo beneplacito; quam clavem communem Sponsa frequenter præsentaverat Dilecto suo per totalem sui in ejus manibus resignationem; hoc sensu Sancta Catharina Senensis dabat clavem cordis suo Christo sibi apparenti, dum sese totam illi ad omne ejus beneplacitum resignabat; hoc sensu consignamus Deo clavem cordis nostri, quoties nos in eius voluntate resignamus: verùm tamen Sponsa videbatur aliâ insuper clavi, id est, duplici custodiâ domum suam assecurasse, eò quod tenebræ ingruissent; quia enim nox erat, atque ideò timendum, ne fures venirent, vel ne lascivi aliqui proci noctis tentarent intrare, qui sub larva veri & sinceri Amatoris eam vellent seducere; ideò duplici clavi, seu duplici custodiâ servabat, & muniebat cor suum; imò nec in adventu Sponsi carebat metu deceptionis, non ignorans quod noctu multa soleant grassari mala, Angeloque satanæ se transfigurante in Angelum lucis plures deceptorias illuminationes, coruscationes, apparitiones, visiones, & in speciem bonas affectiones intermisceri, sic ut nisi anima sit valdè prudens & discreta facilè auditum & accessum præberet diabolo sub specie ementita Sponsi cælestis.

Resignatio est traditio clavis cordis Deo.

Nocte duplici clavi utimur.

Ob noctis pericula.

Periculum falsæ illuminationis in nocte animæ.

Nocte petitur quis pulset. De nocte non solet aperiri porta, nisi priùs petatur, quis ibi pulset; sic etiam faciebat Sponsa; etsi enim Dilectus pulsaret ad ostium, non tamen continuò aperiebat, antequam esset essecurata de persona pulsantis; dum autem esset certificata, tum reserabat seram nocturnam, pro ut ipsamet videtur insinuare his verbis, *pessulum ostij mei aperui dilecto meo*; ecce quàm benè erat conclusa, ne quis deforis posset intrare, & ipsam proditoriè aggredi.

Non statim credendum omni pulsanti.

Cant. 5. 6.

CAPUT XXXIII.

Sponsus summè gaudet, eo quod advertat omnia esse tam benè custodita, & inveniat portas Dilectæ tam benè clausas.

Sponsus gaudet dum videt animam

SPonsus inveniens animam fidelem tam benè conclusam, id est, ità mortificatam in sensibus, ità alienam ab omni externo hominum solatio,

latio, ita custoditam & circumspectam in verbis; & pariter probè sciens in corde ipsius pullulare pulcherrimos flores variarum virtutum, & reperiri plurimos maturos fructus bonorum operum, cum magna animi satisfactione & gaudio dicebat, *hortus conclusus soror mea, sponsa, hortus conclusus, fons signatus.*

in derelictione circumspectam.

Anima mortificata hortus conclusus.

Cant. 4.

Dum Princeps aliquis vel Gubernator alicujus civitatis obsessæ de nocte mænia circuit, visurus an excubitores fungantur suo Officio, lætatur, si audiat primum vigilem ad se clamare, *qui va la?* quis est ibi? nec offenditur, si dum tardat dicere verbum militare, vigil minetur in illum jaculari, tunc enim advertit talem benè fungi suo munere, quodque civitas non facilè proditoriè intercipietur, habens tam fideles excubias.

Gubernator civitatis obsessæ gaudet habere bonos vigiles.

Anima devota volens piè vivere in Christo, est velut civitas obsessa & cincta ab inimicis invisibilibus vel visibilibus, à quibus persecutionem patitur; quapropter debet ponere fideles excubias ad portas, & vigiles in mænibus suarum potentiarum; quod si, durante hâc obsidione, interveniat tædiosa & caliginosa nox internæ derelictionis, & condensari incipiat tenebrosa nebula pravarum inclinationum & indomitarum passionum, multò sollicitius attendere debet, quidnam per portas & fenestras sensuum suorum intromittat, vel ad mænia aliarum potentiarum admittat; etiamsi ipsemet Dilectus tunc veniat, pulset, & intromitti postulet, recreationem percipiet, si ab anima devota quasi suspectus habeatur, & interrogetur veluti ab excubitore vigilantissimo, *tu quis es?* gaudebit enim videre arcem Dilectæ suæ tam benè custoditam; nam sic optimè perspectam habebit ejus fidelitatem.

Anima devota est civitas obsessa.

Excubiæ ponendæ.

Nulli facilè dandus aditus.

Zelotipus quispiam amator gaudet, dum advertit Dilectam suam verecundam, & ad omnem viri ingressum pavidam, sic ut renuat cum alio loqui, vel aliquem amicabili oculo respicere; quod si ipsemet fortè ex improviso superveniat in tenebris, & ipsa de ejus adventu nihil suspicans, putansque esse alium, ostium, & fenestras claudat, seque in cubiculum suum recipiat, verita aliquod periculum fallendi fidem; ipse magnam sentit satisfactionem, ac deinceps de fidelitate sponsæ suæ manet securus.

Sponsus gaudet videre Sponsam verecundam.

Eodem modo Sponsus cælestis, utpotè valdè Zelotipus, nam *Dominus Zelotes nomen ejus*, gaudet videre, quod anima devota sit timida, verecunda & sibi ipsi inter homines non multum fidat, nec internis suis illustrationibus nimium innitatur, &c. ità ut non nisi invita, & necessitate compulsa sese ad creaturas extrovertat; nec eis cum aliquo affectu adhæsivo utatur; si Dilectus, tempore internæ caliginis, eam accedat, & illa timens decipi, eum audire renuat, ejusque alloquium & blanda verba primâ fronte suspecta habeat, id ipse non malè capit, sed lætatur in Dilecta sua tantam reperire circumspectionem; sic jucundabatur Christus Salvator noster, dum frequen-

Deus Sponsus zelotipus gaudet, dum etiam ejus accessum anima suspectat.

Quarè? posset conturbare; cum enim anima pro illo tempore nullam aut exiguam de Deo habeat notitiam; adeoque non sit idonea, ad se multum in spiritu introvertendum, facilè seducitur per factionem partis sensitivæ, ac facillimè trahitur ad inordinatam adhæsionem, & adhæsivam reflexionem ad res illicitas, sicque ex improvisò labitur, ubi minimè cogitabat.

In derelictione duplici custodia sensuum opus est.

Sponsa in Canticis hæc probè sciens sedebat domi suæ, januis clausis, imò omnes portæ videbantur obseratæ serâ nocturnâ, seu duplici specialis circumspectionis; alioqui præsumendum est, quod Sponsus haberet clavem communem domus Dilectæ suæ, ut posset intrare & exire pro suo beneplacito; quam clavem communem Sponsa frequenter præsentaverat Dilecto suo per totalem sui in ejus manibus resignationem; hoc sensu Sancta Catharina Senensis dabat clavem cordis suo Christo sibi apparenti, dum sese totam illi ad omne ejus beneplacitum resignabat; hoc sensu consignamus Deo clavem cordis nostri, quoties nos in eius voluntate resignamus: verùm tamen Sponsa videbatur aliâ insuper clavi, id est, duplici custodiâ domum suam assecurasse, eò quod tenebræ ingruissent; quia enim nox erat, atque ideò timendum, ne fures venirent, vel ne lascivi aliqui proci noctis tentarent intrare, qui sub larva veri & sinceri Amatoris eam vellent seducere; ideò duplici clavi, seu duplici custodiâ servabat, & muniebat cor suum; imò nec in adventu Sponsi carebat metu deceptionis, non ignorans quod noctu multa soleant grassari mala, Angeloque satanæ se transfigurante in Angelum lucis plures deceptorias illuminationes, coruscationes, apparitiones, visiones, & in speciem bonas affectiones intermisceri, sic ut nisi anima sit valdè prudens & discreta facilè auditum & accessum præberet diabolo sub specie ementita Sponsi cælestis.

Resignatio est traditio clavis cordis Deo.

Nocte duplici clavi utimur.

Ob noctis pericula.

Periculum falsæ illuminationis in nocte animæ.

De nocte non solet aperiri porta, nisi priùs petatur, quis ibi pulset; sic etiam faciebat Sponsa; etsi enim Dilectus pulsaret ad ostium, non tamen continuò aperiebat, antequam esset essecurata de persona pulsantis; dum autem esset certificata, tum reserabat seram nocturnam, pro ut ipsamet videtur insinuare his verbis, *pessulum ostij mei aperui dilecto meo*; ecce quàm benè erat conclusa, ne quis deforis posset intrare, & ipsam proditoriè aggredi.

Nocte petitur quis pulset.

Non statim credendum omni pulsanti.

Cant. 5. 6.

CAPUT XXXIII.

Sponsus summè gaudet, eo quod advertat omnia esse tam benè custodita, & inveniat portas Dilectæ tam benè clausas.

Sponsus gaudet dum videt animam

SPonsus inveniens animam fidelem tam benè conclusam, id est, ità mortificatam in sensibus, ità alienam ab omni externo hominum solatio,

latio, ita custoditam & circumspectam in verbis; & pariter probè sciens in corde ipsius pullulare pulcherrimos flores variarum virtutum, & reperiri plurimos maturos fructus bonorum operum, cum magna animi satisfactione & gaudio dicebat, *hortus conclusus soror mea, sponsa, hortus conclusus, fons signatus.*

In dereli-ctione cir-cumspectam.

Anima mortificata hortus conclusus. Cant. 4.

Dum Princeps aliquis vel Gubernator alicujus civitatis obsessæ de nocte mænia circuit, visurus an excubitores fungantur suo Officio, lætatur, si audiat primum vigilem ad se clamare, *qui va la?* quis est ibi? nec offenditur, si dum tardat dicere verbum militare, vigil minetur in illum jaculari, tunc enim advertit talem benè fungi suo munere, quodque civitas non facilè proditoriè intercipietur, habens tam fideles excubias.

Gubernator civitatis obsessæ gaudet habere bonos vigiles.

Anima devota volens piè vivere in Christo, est velut civitas obsessa & cincta ab inimicis invisibilibus vel visibilibus, à quibus persecutionem patitur; quapropter debet ponere fideles excubias ad portas, & vigiles in mænibus suarum potentiarum; quod si, durante hâc obsidione, interveniat tædiosa & caliginosa nox internæ derelictionis, & condensari incipiat tenebrosa nebula pravarum inclinationum & indomitarum passionum, multò sollicitius attendere debet, quidnam per portas & fenestras sensuum suorum intromittat, vel ad mænia aliarum potentiarum admittat; etiamsi ipsemet Dilectus tunc veniat, pulset, & intromitti postulet, recreationem percipiet, si ab anima devota quasi suspectus habeatur, & interrogetur veluti ab excubitore vigilantissimo, *tu quis es?* gaudebit enim videre arcem Dilectæ suæ tam benè custoditam; nam sic optimè perspectam habebit ejus fidelitatem.

Anima devota est civitas obsessa.

Excubiæ ponendæ.

Nulli facilè dandus aditus.

Zelotipus quispiam amator gaudet, dum advertit Dilectam suam verecundam, & ad omnem viri ingressum pavidam, sic ut renuat cum alio loqui, vel aliquem amicabili oculo respicere; quod si ipsemet fortè ex improviso superveniat in tenebris, & ipsa de ejus adventu nihil suspicans, putansque esse alium, ostium, & fenestras claudat, seque in cubiculum suum recipiat, verita aliquod periculum fallendi fidem; ipse magnam sentit satisfactionem, ac deinceps de fidelitate sponsæ suæ manet securus.

Sponsus gaudet videre Sponsam verecundam.

Eodem modo Sponsus cælestis, utpotè valdè Zelotipus, nam *Dominus Zelotes nomen ejus*, gaudet videre, quod anima devota sit timida, verecunda & sibi ipsi inter homines non multum fidat, nec internis suis illustrationibus nimium innitatur, &c. ità ut non nisi invita, & necessitate compulsa sese ad creaturas extrovertat; nec eis cum aliquo affectu adhæsivo utatur; si Dilectus, tempore internæ caliginis, eam accedat, & illa timens decipi, eum audire renuat, ejusque alloquium & blanda verba primâ fronte suspecta habeat, id ipse non malè capit, sed lætatur in Dilecta sua tantam reperire circumspectionem; sic jucundabatur Christus Salvator noster, dum frequen-

Deus Sponsus zelotipus gaudet, dum etiam ejus accessum anima suspectat.

> S. Theresia magis fidit obedientiæ, quàm Christi apparitioni. Spuit in illum ex obedientia.

quenter apparere solitus Sanctæ Theresiæ, ab eâdem repellebatur aliquandò & conspuebatur, de mandato Confessarij ipsius, qui apparitiones istas suspectas habebat; siquidem Christus eam laudabat; eò quod tutius & securius æstimaret, Confessarij obedientiam in hoc sequi, quàm manere sinè timore deceptionis in his divinis visitationibus & visionibus; simili modô nostra Sancta Magdalena Pazziana sæpè metuebat decipi in plurimis, iisque singularibus, quibus à Deo præveniebatur, prærogativis gratiarum, raptibus, extasibus &c. ideoque non semper sequebatur internum tractum, neque etiam expressiora quædam sibi à Christo facta mandata, quandò obedientia superiorum vel in minimo erat contraria; nam sæpè erat in caligine mentis, & ariditate spiritûs à Deo relicta; atque ideò opus habebat adminiculo seu baculo obedientiæ, ne cespitaret, vel erraret in aperiendo cordis sui ostio tempore inopportuno, alteri quàm Dilecto; ideò dicere solebat, se plus æstimare guttulam obedientiæ, quàm integrum mare contemplationum sinè securitate obedientiæ.

> S. M. de Pazzi timebat decipi in raptibus &c. nisi obedientia approbaret.

> Certitudo obedientiæ.

CAPUT XXXIV.

Qualibus excubijs, & quarè thalamus Sponsi tàm benè debeat custodiri?

> In derelictionis nocte multa timenda.

NOn sinè ratione Animæ Deum amantes adeò sollicitè sibi advigilant in statu internæ derelictionis; magni enim sunt timores nocturni, ratione tenebrarum, & aliorum infortuniorum, quæ tùm solent intervenire, & totum hominem inquietare: propter hos timores lectulus Salomonis custoditur à militibus benè munitis: audite Sponsam loquentem; *En*, inquit, *lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israël, omnes tenentes gladium, & ad bella doctissimi; uniuscujusque ensis super femur suum, propter timores nocturnos*: quis, quæso, est iste lectulus Salomonis? indubiè anima amorosa, utpotè in quâ velut in thalamo suo libentissimè requiescit Rex pacificus, Spiritus sanctus: hic lectulus, hæc anima ex singulari favore, & in signum tenerrimi amoris Dei ergà illam, custoditur à sexaginta Viris, fortissimis Israël, id est, à multitudine cælestium Spirituum, qui verè sunt ex fortissimis Israël, seu Civium supernorum, qui fruuntur clarâ & intuitivâ visione Dei; hi cingunt animam, armati *gladio Spiritûs (quod est Verbum Dei)* quo eam defendant contrà leonem rugientem, qui circuit, quærens ut eam devoret; hi fortissimi Israël sunt etiam ad bella doctissimi; à principio enim mundi cum Principe cælestis exercitûs, Archangelo Michaële pugnaverunt cum dracone & angelis ejus usque modo, ac totidem

> Custodia lectuli Salomonis.

> *Cant. 3.7.*

> Anima devota est lectulus Salomonis.

> Fortissimi Israël sunt Angeli boni qui ab initio cum dæmone pugnant. Sunt parati animam defendere.

dem victorias reportarunt, quot animæ electæ, eorum adminiculo dæmonem superarunt: *Vniuscujusque ensis* etiam *super femur suum*, in signum, quod omni horâ ambabus (sic dicam) manibus in casu specialis dæmonum assultûs pugnare sint parati; at quarè tot Viri fortissimi? nónne unus Angelus tutelaris sufficit? solent Angeli, sacrâ Scripturâ referente; invicem in adjutorium vocare (uti existimo) dum draco infernalis advertens animam extraordinarijs gratiarum prærogativis à Deo decorari, & amorosissimè à cælesti Sponso tractari, tantæ ejus fœlicitati invidet, ideòque omnibus viribus illi insidiari, insultare, ac totalem ruinam moliri statuit; idque præsertim dum anima in obscurâ nocte versatur; undè & additur, *propter timores nocturnos*, propter pericula, quibus anima, durantibus interioribus tenebris, tentationibus, desolationibus, & alijs afflictionibus exposita est: ex quibus omnibus clarè patet, quarè etiam anima ex sua parte debeat, duplici tunc custodiâ, servare cor suum, omnes sensus & potentias sollicitâ mortificatione occludendo; ac proindè non est mirum, quod etiam Sponsus per transennam tum volens Dilectam suam visitare, stare debeat ad ostium & pulsare, ut intromittatur.

Angeli tutelares invicem juvant.

Diabolus invidet animæ perfectæ, ideò insidiatur.

CAPUT XXXV.

Epilogus totius libri.

EX his videmus, quomodò Sponsus animæ non invitatus noctu veniat, ut cœnet cum Dilectâ suâ, ejus portione contentus, ac suam conferens. Item quomodò anima devota suum Dilectum invitet, & reciprocô conviviô honoret, quidque illi pro cibo & potu proponat. Item quantam anima debeat adhibere diligentiam, ut quærat & inveniat Dilectum suum, qui tamen illam subindè in tenebris & ariditate relinquit, nec se pro voto inveniri sinit. Item quomodò illum inveniat per directionem Superiorum, & inventum invitet; at ipse secum affert ferculum myrrhæ, sicque ejus Cœna de dulcedine & amaritudine provisa est; in quâ tamen, Sponsa etiam delectatur, & Dilecto suo parat convivium proprijs expensis: Egimus etiam de varijs laudabilibus Spiritûs ebrietatibus, quibus fit, ut subindè anima sit impos sui; & amore langueat; tumque anima vinô Charitatis exhilarata, ac ad exercitia vitæ activæ à Deo vocata magnum fructum affert, indiesque crescit in amore Dei, quasi per *antiperistasim spiritualem*, ut alibi dictum est; subindè anima fit ebria, & tunc animosa ad plurima pro amore Dei facienda & patienda: Item, quomodò animæ idoneæ sint, quæ vinô amoris inebrientur: Diximus etiam, quomodò Sponsus

cælestis

cœlestis invitet animam perfectam ad Calicem inebriantem prætiosissimi sui Sanguinis, cum intentione eam recreandi, & suo amore inebriandi; atque hæc omnia attulimus ad instructionem & consolationem eorum, qui piè & perfectè volunt vivere in Christo; porrò pro perficientibus in pia vita in Christo, adduximus optimam praxim, & ostendimus, quomodò jugiter debeant sursum volare in Christo, sicut aves in aëre: Item pro incipientibus descripsimus, quomodò, instar bonorum piscium, semper contrà fluxum corruptæ naturæ, in Christo spiritualiter natare debeant; Deniquè plura, quæ veram pietatem conciliare, conservare & augere possent, latiùs à principio deduximus.

Verùm ad quid hæc omnia? non aliâ intentione, quàm ut *omnes, qui piè volunt vivere in Christo*, sivè sint de numero incipientium, sivè de numero proficientium, sivè de pusillo grege perfectorum, hìc compendio discant, quô modô piè in Christô vivere debeant; attamen paulò latiùs egimus de transformatione animæ in Deum; de suavissimo somno quietis in ipso; de spirituali ebrietate, ejusque signis & effectibus; ut ex his clarius innotesceret perfectissimus modus, quo omnes internæ vitæ amatores piè in Christo vivere possunt.

2. Tim. 3. Hæc autem dicta sufficiant in præsenti pro explicatione horum verborum Apostoli, *omnes, qui piè volunt vivere in Christo*; nunc incipiemus in sequenti libro progredi, & breviter aliqua differere circà sequentia ejusdem Apostoli, *persecutionem patientur*, cum Dei adjutorio ostensuri, quales sint hæ persecutiones; & qualiter diversimodè diversis animabus accidere soleant, scilicet, incipientibus, proficientibus, & perfectis; unà apportaturi & suggesturi remedia convenientia & modos, quibus unusquisque suam persecutionem utiliter & salubriter possit sustinere & vincere.

Finis libri primi piæ vitæ in Christo.



IN-

INSTRUCTIONUM MYSTICARUM
LIBER SECUNDUS
DE TENTATIONIBUS
PIÈ IN CHRISTO VIVERE VOLENTIUM
ET DE
REMEDIIS EARUM

In quatuor tractatus distinctus & compositus

OPERA

Rdi. Adm Patris MICHAELIS à S. AUGUSTINO Exprovincialis
Fratrum Bmæ V. MARIÆ de Monte Carmelo,
Provinciæ Flandro-Belgicæ.

Omnes, qui piè volunt vivere in Christo, persecutionem patientur. 2. Tim. 3. 12.



ANTUERPIÆ,
Typis MARCELLI PARYS, sub Turri Divæ Virginis, in aurea Clavi.

PROLOGUS.

NOn sufficiebat olìm, Filijs Israël (*dum adhùc sub iugo & servitute Ægyptiorum gemebant*) declarare fœcunditatem & ubertatem terræ promissionis, & ex parte Dei eos instruere de modis ibidem fœliciter vivendi, ac Deo vivo & vero fideliter serviendi; sed prætereà necesse erat, eis animos & calcar addere ad iter arripiendum; ac paulatìm detegere difficultates, oppositiones, & labores, quos apparenter deberent sustinere in transitu maris rubri, & vastæ solitudinis, nec non variarum Regionum; antequam terram istam lacte & melle manantem obtinere, ac pacificâ ejusdem possessione frui possent; ità tamen ut ideò non despon-derent animis, aut ab itinere arripiendo deterrerentur; sed pariter de Dei adjutorio (*quod ipsis omni loco & tempore, modò tantummodò in ipso fiduciam haberent, paratum erat*) ritè instruerentur, uti & consequenter de medijs & modis, quibus omnes difficultates, ac omnes aut fortes, aut fraudulentas hostium impugnationes, possent detegere, strenuè superare, vel prudenter declinare.

Difficultates in itinere ad illam.

Promissio adjutorij Dei.

Eodem etiam modo, non sufficit, in præcedenti libro omnibus hominibus (*quorum fortè major pars ad huc premitur & gemit sub lamentabili servitute naturæ corruptæ*) demonstrasse & pro modulo nostro commendâsse piam vitam in Christo, tanquam vitam affluentem spirituali melle & lacte; quæ proindè planè salutaris, & ab omnibus est summè desiderabilis, sed insuper necessarium est, ut omnes ad hanc vitam

aspirantes, qui inquam, corde sincero piè in Christo vivere concupiscunt, instruantur de mari rubro persecutionum & tentationum, quod ipsis est transeundum; ac de occursibus malis, & difficultatibus, ipsis in solitario, & horrido internæ derelictionis, caliginis & ariditatis deserto futuris obvijs: non quod intendamus eos deterrere, & animos diminuere, sed cum intentione eos edocendi media & modos, quibus commodè & efficaciter queant omnes tentationes superare, omnes difficultates perfringere, ac omnes mundi, carnis & dæmonis insidias fæliciter effugere; ideò hunc secundum librum intitulare visum fuit, de tentationibus eorum, qui piè volunt vivere in Christo, cum remedijs earum.

Iam significantur difficultates obviæ pijs, & modi illas superandi.

Divisio materiæ.

Porrò ut distinctiùs procedamus, & omnis generis hominibus piè in Christo viventibus opportuniùs opem feramus, ad optatum uniuscujusque solatium & profectum; imprimis & antè omnia, aliqua dicemus de tentationibus in communi: Deinde incipientibus aliquo usque conabimur depingere tentationes & assultus, talibus evenire solitos, ac unà suggerere remedia, quibus in omnibus victores evadant: Prætereà proficientibus studebimus detegere astutias & fallacias (quibus similes solent circumveniri) ac docere, quomodò eas debeant & possint evitare: Denique adnitemur perfectis demonstrare, qualiter durante hâc vitâ nunquam debeant se existimare omninò liberandos ab insidijs diaboli, subtilibus proprij amoris collusionibus, ac pariter eos instruemus de medijs quibus sese paulatim ab omnibus magis & magis expedire, & veram Spiritûs libertatem assequi valeant; quò sic absque periculo deceptionis, à divino Spiritu in omnibus dirigan-

gantur & sinè impedimento vel pravæ naturæ collusione tandem agantur : uno verbo intendimus in hoc libro ostendere verum esse dictum Apostoli, omnes qui piè volunt vivere 2. Tim. 3.
in Christo, persecutionem patientur; *ità tamen, ut simul innotescat, quomodò in omnibus possint cum gratia Dei reportare victoriam; quam nobis largiri dignetur Pater & Filius & Spiritus Sanctus per intercessionem Matris amabilis. Amen.*

LIBER SECVNDVS DE TENTATIONIBVS

PIÈ IN CHRISTO VIVERE VOLENTIUM.

TRACTATVS I.

De Tentationibus in communi.

CAPUT I.

Variis tentationibus homines sunt obnoxij. Quarè Deus homines tentari sinat.

PATIENTISSIMUS Propheta Job, vir summæ experientiæ tàm in prosperis, quàm in adversis, postquàm probasset omnia, volebat suam proferre sententiam, & indicare, quid sibi videretur de vitâ hominis in hoc mundo, dicens, *tentatio est*
Iob. 7. Vita hominis est tentatio. *vita hominis super terram*; qualis tentatio? tentatio, quæ vocari potest, illecebra ad peccatum, inductio in malum, quâ probantur Spiritus, si Deo sint fideles, per quam velut aurum per ignem, animæ probantur, an sint aurum electum, quod per eam depuratur, ut fiat vas in honorem, vas solidum aptum ornari omni lapide pretioso variarum virtutum & gratiarum; an verò lignum & stipula, quæ per eam comburitur per liberum in malum consensum.

Tentatio probat hominem ut ignis aurum.

1. Cor. 10.13. Porrò tentatio à Deo permittitur, non ex proposito sinendi *nos tentari suprà id quod possumus, sed ut faciat cum tentatione proventum*, eam dirigendo ad nostrum bonum, ad exercitium virtutum, ad nostram salutem: de eâ aiebat Regius Propheta ad Dominum, supplicandô, *proba me Domine, & tenta me*, id est, permitte me tentari & probari; *& vide; si via iniquitatis in me est*, quasi vellet dicere, tentationem esse quasi lydium lapidem, ad probandum, an homo sit bonus vel malus, probus vel improbus: de hâc etiam probatione Archangelus Raphaël loquebatur seniori Tobiæ, dùm dicebat

Permittitur à Deo in bonum nostrum.

Psalm. 25. David petit tentari.

Tob. 12.

dicebat *quia acceptus eras Deo necesse fuit, ut tentatio probaret te:* & reverà tentatio est omninò necessaria ad acquirendam perfectionem virtutum; nam virtus est habitus, seu qualitas permanens, strenuâ actuum frequentatione acquisita, quæ actuum exercitatio sinè tentatione benè fieri nequit; ac proindè tentatio jure merito appellatur cos virtutum. Tentationis necessitas.

CAPUT II.

Vnde tentationes proveniant.

VUltis discere, undè tentationes oriantur? non à Deo; nam uti Apostolus Jacobus in suâ Canonicâ. *Deus intentator malorum est; ipse autem neminem tentat*; neque etiam, saltem immediatè, & ordinariè, à diabolo; nam juxtà, quod ait Divus Augustinus, diabolus, post adventum filij Dei in mundum; est instar canis ligati, qui quidem latrare potest, sed mordere non potest, nisi qui suâ sponte ipsi appropinquant; neque verò ipse de se habet noxia arma, quibus nos nolentes lædat; nam Christus in suâ Passione omnia ejus arma abstulit & confregit: quod paulò anteà prædicens, *nunc*, inquit, *judicium est mundi, nunc princeps huius mundi ejicietur foras*: & verò licet satan antè Christi adventum tyrannicè occuparet principatum hujus mundi, & velut *fortis armatus custodiret atrium suum*, nec esset, qui eum indè deturbaret; tamen Salvator infinities *fortior superveniens vicit, & ejecit eum: ac universa arma ejus abstulit, in quibus confidebat*; undè diabolus jam non habet arma, nisi à nobis accipiat; undè nec ab ipso nobis timendæ sunt horribiles tentationes. Tentatio non est à Deo. Iac. 1. Nec à diabolo. Ioan. 12. Christus abstulit diabolo arma sua. Luc. 11. &.

Undè ergò? Apostolus Jacobus unô verbô rem tangens, *unusquisque* inquit, *tentatur à propria concupiscentia abstractus & illectus*; igitur fomitem omnis tentationis in nobis habemus, scilicet concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum, & superbiam vitæ, undè tentamur ab hoste domestico; ut verificetur illud Salvatoris, *& inimici hominis domestici ejus*, utique propria caro, amor proprius, unô verbô, fomes malæ concupiscentiæ; hi hostes tentatores habitant in nobis, veluti totidem proditores, & quidem plerumque latitant sub pallio alicujus boni & necessarij amici, sub specie, inquam, boni & necessitatis, sæpè etiam sub specie alicujus melioris, arcem animæ nostræ ab intus produnt, ac proindè hi hostes domestici multò magis metuendi sunt, quàm ipsemet diabolus, cui etiam isti non cessant porrigere manus auxiliatrices, aditum ad animam nostram aperire, ac contrà nos subministrare arma & quidquid ad nostram internecionem illi servire potest, qui alioquin omninò imbecillis foret & impotens, nec in aliquo nobis nocere posset. Tentatio causatur à pravâ concupiscentiâ. Hostes domestici hominis caro, amor proprius &c. Porrigunt manum diabolo.

Atque

Diabolus etsi victus non cessat, quia juvatur à carne.

Atque hæc est ratio, quod diabolus etsi sæpè victus, non tamen facilè despondeat animo, sciens se in nobis ipsis habere fautores, quarè statim ac advertit, nos non benè vigilare, & sensualitati aliquid indulgere; adducit secum septem alios spiritus, nequiores se, & studet aliquem intrandi aditum ad animas nostras invenire, ut ingressus de novo habitet ibi; idcircò nostrum est, infirmioribus animæ nostræ viribus antè omnia providere; nam hostis explorat semper loca infirmiora, ut per ea animam aggrediatur, & vincat: undè cùm caro nostra sit infirma, *eam crucifigere oportet cum vitijs, & concupiscentijs, mortificationem Christi in corporibus nostris circumferentes*; debemus cum Christo *configi Cruci*, cum ipso naturæ corruptæ mori, ac cum ipso sepeliri in Deo, ut concupiscentiâ nostrâ planè mortificatâ, non sit, quod timeamus ab ea tentari, abstrahi & allici, sed faciamus cum omni undecumque proveniente, tentatione proventum.

Infirmior pars munienda

Quomodò?

CAPUT III.

Quo sensu vita hominis sit tentatio.

Vita hominis est tentatio.

Quo sensu?

EX jam dictis colligere licet, cur tentatio sit vita hominis super terram; cum enim Philosophi mentionem faciant duplicis vitæ, quarum una ab illis vocatur *vita prima*, altera *vita secunda*, seu anima, & vitales ejus operationes; clarum est, quod dum dicitur vita hominis tentatio, id debeat intelligi de *vita secunda*, seu de actibus vitalibus, non verò de *vita prima*, seu anima; hæc enim formaliter loquendô non est tentatio; at benè vitales ejus concupiscentiæ & aliæ operationes, pro ut idem facilè experiri licet; nónne operationes sensuum nostrorum externorum, visûs, auditûs, tactûs, olfactûs & gustûs nobis sæpè sæpiùs sunt tentationes, & illecebræ ad malum? ô quoties visus noster non causat nobis illicitas repræsentationes, phantasmata turpia, & utinam non subindè fateri debeamus, *oculus meus deprædatus est animam meam*! utique illicita proponendô, & ad illicita, lubrica, aliena, carnalia, terrena, forti tentatione voluntatem inducendô: ô quàm sæpè nos decipit gustus, alliciens ad gulam sub specie necessitatis, quàm sæpè nos seducit auditus per curiositatem, quàm sæpè nobis insidiatur, & ferè insuperabilem tentationem causat tactus! &c.

Vitales operationes sunt vita 2. & hæc est tentatio.

Tren. 3. 15.

Quinque sensus nos tentant.

Prætereà, vitales operationes interiorum nostrarum potentiarum nónne nobis sæpè sunt petra scandali? profectò phantasia nostra ludit semper, sed rarò in bono, nam *terrena inhabitatio deprimit sensum*, seu potentiam imaginativam, *multa cogitantem*; & *proni sunt sensus hominis in malum ab adolescentia*

Operationes internæ nos tentant.

Sap. 9.

Gen. 8.

lascentia sua; quid volo amplius dicere? sanè potentiæ omnes sensitivæ sunt instar horologij, quod nisi continuò erigatur, suo pondere ad ima tendit; illi nos assiduè inclinant, & quasi conantur præcipitare in ruinam spiritualem; inconstantia nostrarum cogitationum, mutabilitas interiorum nostrarum affectionum, vicissitudo bonorum & malorum propositorum, satis insinuant, quod phantasia deprimat & obfuscet intellectum, ne cælestia & divina contempletur; similiter appetitus sensituvus quasi vi, vel sensibili suâ vivacitate, deprimit voluntatem rationalem ad terrena, ad sensualia, ad carnalia; atque ità patet clarè, quin imò quotidiana experientia abundè docet, quia *tentatio est vita hominis super terram.*

Phantasia & appetitus tentant animam.

CAPUT IV.

Quàm sit malum signum & periculosum non sentire tentationes.

FOrtè dicet aliquis, nescio quidquam dicere de tentationibus: verùm, tu quis es, qui non sentis tentationes? an fortè pacem habes cum hoste tuo domestico? vide, ne te ipsum decipias, dicendo, *pax*, *pax*, cùm tamen non sit pax, sed bellum atrox: *non est pax impijs dicit Dominus*; sed potiùs servitus, nam *qui facit peccatum, servus est peccati.* Dicebat olìm Sapiens, *vidi servos in equis, & principes ambulantes super terram, quasi servos*; id est, vidi mundum inversum, nempè, quod in multis hominibus, prava concupiscentia dominetur, ubi deberet rectæ rationi ancillari; & econtrà, quod potentiæ rationales, puta, memoria, intellectus, voluntas, sint quasi mancipia & ancillæ partis sensitivæ, ubi deberent illis dominari & imperare.

Isa. 48. *Ioan. 8.* *Eccl. 10.*

Vide, ne fortè sis de numero illorum, nam etsi tales in quibus dictô modô, omnia sunt inversa, videantur habere pacem, non tamen reipsa habent, sed vilissimam servitutem; jacent enim dejecti, victi, & sub jugum corruptæ naturæ redacti, quam in omnibus sequuntur, & dant, quidquid illa desiderat; tales nesciunt, quid sit tentatio; nam in omnibus succumbunt, & ducuntur velut bruta animalia post desideria sua, suis concupiscentijs habenas laxantes sinè ulla apprehensione mali, utpotè habituati & inveterati in illo, sicque in illo *volutati, sicut sus in volutabro luti*, quæ in illo recreatur sinè reflectione ad sordes.

Impij nullam habent pacem sed sunt mancipia. **Non sentiunt tentationem.** **Quarè non?**

Aut tu fortassis, qui non deprehendis in te tentationes, es unus de illis, qui fecerant pactum cum morte; sed putantes sese ratione concordati, ab ejus manibus forè immunes, ab eadem, ejusque ministris ex improvisò proditoriè opprimebantur, & necabantur? quid quæso aliud est cùm

Aliqui habentes pactum cum morte decipiuntur.

morte pacisci, aut potiùs sub ejus jacere servitute, quàm subjici ejus prodromis? passiones indomitæ, inordinatæ affectiones, voluntas, seu consensus in malum sunt prodromi mortis, seu ministri ejus, ministrantes dispositiones ad eam, quibuscum dum aliquis paciscitur, id est, dum quis eorum desideria, impetum, & propositiones sequitur, idem facit, ac si cum morte animæ pactum juret, ac proindè quasi eam non timens vivit incurius, sinè solicitudine perversas naturæ suæ inclinationes refrænandi, passiones domandi, carnis desiderijs contrariandi; sicque paulatìm *venit ad cor durum* * *in sensum reprobum* * *cauteriatam habens conscientiam* sine ullo remorsu; perindè ac si cum morte corporis & animæ pacem haberet, & promissum, quod illi parcet, nec unquam suum in ipsum arcum tendet; ex talis quippè pacti & promissi inani fiduciâ videtur liberius peccare, aut certè dispositiones ad peccatum tolerare, seu pravos concupiscentiæ motus, ac carnis desideria liberius sequi: qui autem ejusmodi est, nescit loqui de tentationibus, nec videtur attendere ad continuum in eas, sinè ullâ resistentiâ, consensum; equidem licet vita ipsius reipsa sit continua tentatio, & consensus in eamdem, eam tamen non sentit, nec advertit, ratione cordis duri, quo laborat, & inveteratæ in malo consuetudinis, quæ in ipso facta est altera natura.

Impij pacem habere putant cum morte.

Quo sensu?

Eccl. 3. 27. Rom. 1. 28. 1. Tim. 4. 2.

Non habent conscientiæ remorsum.

Attende igitur, Charissime, qui dicis te nescire tentationes; an non sis de numero eorum; tales enim sensìm à Deo deferuntur, sinè ullâ sincerâ cordis compunctione, aut de peccatis contritione; cave decipi in falsâ quiete, & recordare, quod hæc vita non sit tempus quietis aut somni, sed vigiliæ & laboris, non fictæ pacis, sed belli veri & periculosi. Nonnulli dormiunt somnum valdè perniciosum; laborant lethargiâ, ad negotium salutis nihil vel parum attendentes; sopiuntur sopore mortis, & nesciunt, quàm malè dormiant: vis videre finem istius gravis soporis? finis est inanitas bonorum operum; audi loquentem Regium Prophetam, *dormierunt somnum suum & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis*; inutilis sanè somnus, mala requies, quâ viri divitiarum, id est, homines in proprijs sensualitatibus affluentes, mundi voluptatibus & corporis delicijs abundè fruentes, qui in hoc mundo videntur aliquid, imò Dij terrestres esse, modico tempore potiuntur; utpotè cum, hoc somno transacto, inveniant manus bonis operibus vacuas, mansuri in summâ pauperie & egestate per totam æternitatem.

Somnus malus impiorum.

Psalm. 75. 6.

Inutilis ad salutem.

At quomodò nihil inveniunt in manibus suis? Nónne opera eorum sequuntur illos? imò; non sicut opera sequuntur eos, qui in Domino moriuntur (juxta testimonium Sancti Joannis in Apocalypsi) scilicet ad perpetuam eorum consolationem & lætitiam; sed sequuntur illos ad eorum desolationem, tristitiam, & confusionem æternam; atque hoc sensu verè nihil

Opera bona sequuntur justos ad vitam.

Malo impios ad mortem.

nihil inveniunt in manibus suis, quod illis servire posset ad salutem; quippè sicut qui ventum congregat, qui vult flammam apprehendere, vel aërem manu concludere, nihil planè manibus retinet; ità etiam qui rerum terrenarum cupiditate fervet, & sensualitatem sequitur, post mortem coram Deo invenietur habere manus meritis vacuas; cum tamen scriptum sit, *non apparebis coram Deo vacuus.* Verùm de hoc pessimo somno & vacuitate meritorum, alibi latiùs. Nunc ut progrediamur.

Impij vacui coram Deo.

Exod. 23. 15.

CAPUT V.

Quinam tentationibus sint magis obnoxij, ac de falsa pace impiorum.

NOtandum est, quod non dicatur, vita cujusque hominis est tentatio, sed, *vita hominis super terram*, id est hominis, qui est *super*, seu suprà *terram*; volo dicere, hominis, qui terrena omnia contemnere, & hoc sensu pedibus calcare incipit: hujus enim vita specialiter & sensibiliter est continua tentatio; hic in se incipit experiri contradictionem pravæ concupiscentiæ; hic sentit in se legem contrariantem legi mentis suæ; hic experientiâ discit, quod non faciat bonum, quod vult, sed quod faciat malum, quod non vult, pro ut Apostolus Paulus testatur secum fuisse factum; cujus ratio est, quia vita ejus est assidua tentatio, seu inclinatio ad malum.

Homo super terram, est qui terrena contemnit.

Ejus vita est continua tentatio.

Ideò non est scriptum, *tentatio est vita hominis in terra*, sed *super terram*; qui enim vivunt in terra, sunt terræ filij, eorum cogitationes sunt de terrenis, ac transitorijs, de terra loquuntur, terram sapiunt, in terrenis velut talpæ oculis superni luminis capti, operantur & vivunt; atque hi non sentiunt suam vitam esse jugem tentationem; id quod non est mirum; jacent enim sub pedibus, sub servitute carnis, mundi & diaboli; ac proindè ut devicti, & subjugati, relinquuntur à diabolo quasi in pace, sinè speciali oppugnatione; & quia carnis desideria perficiunt, ac leges mundi sequuntur; ideò nec carnis, nec mundi assultus sentiunt. Leo rugit, famelicus ad devorandum, sed si quis se ad ejus pedes pronum in terram abjicit, quasi se victum subjiciens, à leone intactus relinquitur; quia illâ subjectione quasi placatus, pro tempore cum illo dissimulat, eique parcere videtur; ità ut homo iste à leone videatur relinqui in pace; sed eheu! jacet sub ejus unguibus & nutu; si leoni major fames, vel aliqua furia superveniat, statim illum devorat sinè misericordia; deindè si iste homo cogitet se erigere, & leonis ungues subterfugere, versatur in mille periculis, & leonem in

Homines mundani vivunt in terra.

Non sentiunt tentationes.

Quia victi.

Leo parcit homini se prosternenti.

invenit adversarium, à quo anteà relinquebatur in pace: simili modo satan infernalis, sicut *leo rugiens circuit, quærens, quem devoret*; at si quis illi succumbat, non ausus ei resistere, ejusque suggestiones sequatur; ab ipso non molestatur, & videtur relinqui in pace; nec mirum, facit enim ejus voluntatem; ac proindè non est, quod diabolus, ab isto homine ampliùs prætendat, quia ultrò facit, quod desiderat: at eheu! quàm diu hoc durabit? donec infernus famelicus pabulum ignis appetat, & os aperiens, illum, dum minus cogitabit, deglutiat; quod si homo iste, cum tempore, per pœnitentiam se faucibus & unguibus istius leonis subtrahere putet, mille periculis se exponit; cùm qui verè pœnitentibus veniam promisit, diem crastinum ad pœnitendum non promiserit; præterquàm quod leo iste non facilè sit dimissurus, quem diu captivum duxit, & ad nutum suum tenuit subjugatum; siquidem pro ejus possessione semper tenenda quasi jure præscriptionis fortissimè agit, nec ab eâ facilè se sinit exturbari: sic experientia docet habitualiter perversos difficilè converti, ac eos, quorum corpus & animam diabolus aliquandò possedit, etsi postmodùm speciali Dei gratia liberentur & conterantur, horribiles à dæmonibus sustinere tentationes; quâ de causâ etiam venefici rarissimè convertuntur, & licet subindè ad horam contriti appareant, illicò tamen præ vehementia persecutionum & tentationum diabolicarum pervertuntur; quarè hoc? quia qui ad nutum, infernali leoni anteà subjugati jacebant, dum volunt resurgere, eum summè adversarium sentiunt, nec ejus furiam facilè possunt evadere, quìn tandem dilanientur & pereant; ex quibus patet, quàm damnabilis & deplorabilis sit illa prætensa pax impiorum, cum carne, mundo & diabolo, utpotè cum talem pacem habere nihil sit aliud, quàm carnis, mundi & Diaboli miserrimâ servitute premi, ac eorum infœlicissima esse mancipia, ferè absque spe consequendæ Spiritûs libertatis, præsertìm pro illis, qui sunt inveterati dierum in malo.

Diabolus relinquit in pace qui illi obediunt.

Sed illa pax non durat.

Non facilè dimittit à se possessos.

Venefici difficilè convertuntur.

Quare?

Pax cum diabolo est servitus.

CAPUT VI.

Prosecutio de falsa pace peccatorum; non tamen ideò dejiciendus animus.

PRopheta David adverterat ad hanc pacem in peccatoribus, quandò dicebat, *ego zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns*; quàm diu putatis durasse hunc zelum, seu æmulationem? *donec*, inquit, *intrem in sanctuarium Dei, & intelligam in novissimis eorum*; quasi vellet dicere, quod pax impiorum modicæ erat durationis, & pro modicissimo tempore; siquidem

Psalm. 72. 3.

Ibid. n. 17.

Pax impiorum misera & amara.

dem prostrati jacent sub unguibus diaboli; ac si consideremus novissima eorum, si penetremus Sanctuarium providentiæ divinæ, si intelligamus, quomodò similes soleant finire vitam, clarè perspiciemus, quia non est vera pax impijs, sed in illa falsa pace amaritudo eorum est amarissima, præsertim dum mors eos præoccupat, dum rigidissimum Dei judicium eis imminet, dum infernus ad eos tandem glutiendos os suum aperit; tunc enim manifestum est, quia numquam fuit vera pax impijs.

In morte.

Dum viget pax inter duos hujus mundi principes nullus percipitur bellici furoris tumultus; nulla apparent inimicitiæ signa, quamdiu bellum non declaratur ab unâ aut alterâ parte; sed dum unus frangit pacem, statim utrìmque bellum indicitur; fiunt præparationes ad militiam, parantur arma defensiva & offensiva; & tàm unus, quàm alter princeps rem suam optimè facere existimat, si sivè dolo, sivè vi armorum alterum possit opprimere & superare: eôdem modô quamdiu sunt induciæ inter hominem & diabolum vel etiam carnem; omnia videntur esse in pace quantumvis fallaci & dolosa; scilicet, quamdiu homo adhuc ambulat secundùm carnem, quamdiu excœcatus instar talpæ, adhuc moratur in terra, vel instar suis volutatur in luto bonorum temporalium vel voluptatum carnalium, *statuens oculos declinare in terram*, nec eos ad cœlestia conans elevare; tam diu nescit loqui de bello spirituali, nulla apprehendit hostilitatis indicia; sed dum homo incipit vivere super terram, volens deinceps ambulare secundùm spiritum; dum terrena omnia incipit contemnere, & spiritu pœnitentiæ mortificare opera carnis, atque hôc modô declarare bellum contrà diabolum, contrà carnem & mundum; tunc offendit adversarios; tunc incipit deprehendere dolosas dæmonis tegnas, carnis illecebras, mundi fallacias; tunc optimè discernit, & novit, quid sit tentatio; nec mirum; nam diabolus declarat & intentat illi bellum, eum aggreditur ab omni parte; & ut fortius premat, à mundo & carne subsidium contrà eum petit, & impetrat; causa autem hujus in ejus perniciem conspirationis est, quia deinceps vult piè vivere in Christo, ut verificetur, quod *omnes, qui piè volunt vivere in Christo, persecutionem patientur*.

Homo sensualis non habet bellum cum dæmone.

Incipiens benè vivere incipit à diabolo tentari.

Diabolus declarat bellum contrà pios, assumit secum carnem & mundum.

Verùm non ideò despondeamus animum; nam etsi undiquè videamur hostibus cincti: firmiter confidamus, quod plures nobiscum sint, quàm contra nos; & verò *si Deus pro nobis, quis contra nos?* Deindè Regula nostra capite decimo quarto nos munit optimis armis, quibus induti sine timore possimus in arenam descendere, & præliari prælia Domini cum lætitiâ, & certa spe victoriæ; equidem, dummodò tantum diabolo nos apponamus, illicò ipse cedit; prout nobis indicant verba summè consolatoria Sancti Jacobi Apostoli, dum ait, *resistite diabolo, & fugiet à vobis*: cujus ratio est, quia statim ac homo ponit manum ad gladium, aut aliqua alia arma spiri-

Sperandum in Deo tempore tentationis.

Iac. 4. 7. Resistens diabolo, illum fugat.

tualia arripit ad pugnandum, ei in adjutorium veniunt Angeli Dei, quin & ipse Dominus est illi adjutor *tamquam Bellator fortis*.

Tentatio est ubi est pia vita, & non est, ubi illa non est.

Id autem, ad quod hìc attendere oportet, est, an hactenùs, nos gesserimus sicut decet strenuos pugiles Christi; an inceperimus piè vivere in Christo, an non; nam si inceperimus, vita nostra debet esse continua tentatio, continua lucta, continuum bellum; quod si bellum istud necdum perceperimus, sciamus nos necdum incepisse: cæterùm concipiamus animos & fiducialiter innitamur gratiæ Christi, cujus Crux nobis sit loco baculi; & *in baculo isto transeamus Iordanem* tentationum, id est, in virtute JESU Crucifixi, ad quem dicamus singuli cum fiducia, *quoniam in te eripiar à tentatione, & in Deo meo transgrediar murum* cujuscumque difficultatis: proderit etiam sæpius cum Propheta psallere, ac dicere: *si consistant adversum me castra, non timebit cor meum; si exurgat adversum me prælium, in hoc ego sperabo; quoniam*, ô bone JESU, *tu mecum es*; & *in te sperans non infirmabor*.

Confidendum Cruci Christi. Gen 32.

Psalm. 17.

In Deo sperandum. Psalm. 26.

Psalm. 23.

CAPUT VII.

Non oportet terreri ob multitudinem tentationum; sunt enim signum justitiæ, nec deest adjutorium Dei.

ETiamsi, ut diximus, tota vita hominis nihil sit aliud, quàm continua tentatio, præsertim dum aliquis piè vult vivere in Christo; non tamen ideò contristemur, vel terreamur, cùm paratum sit nobis auxilium de Sancto; quin imò potius gaudeamus, juxtà quod monet sanctus Iacobus Apostolus, *omne gaudium existimate fratres cùm in tentationes varias incideritis*; at quare gaudendum? eò quod tentationis multiplicitas in anima Christiana sit signum justitiæ; id nobis insinuat Ecclesiasticus his verbis, *vasa figuli probat fornax, & homines iustos tentatio tribulationis*; quidem verum est quod ex testimonio Sapientis *creaturæ Dei factæ sunt in tentationem animis hominum, & in muscipulam pedibus insipientium*; ità ut omnia videantur creata ad tentandos homines saltem occasionaliter, in quantum sunt occasio, quod homines ex fragilitate naturæ corruptæ seducantur, & decipiantur, eis abutendo, nec utendo ad gloriam Conditoris; quocircà, durante hâc vitâ, non datur tempus quiescendi, utpotè cum totidem novas luctas, seu tentationes obvias habeamus, quot creaturis utimur; propter quod etiam fatetur Propheta, *multæ tribulationes*, seu tentationes *justorum*, eaque non parum timendæ, nam *sicut vasa figuli probat fornax*, & dum non sunt bona, facilè rumpuntur, *ita homines justos tentatio tribulationis*, & dum non sunt omninò fideles, & in virtute solidi, facilè franguntur per impatientiam, &

In tentatione gaudendum. Iac. 1. 2.

Tentatio est signum iustitiæ.

Ecclesi. 27. 6.

Omnes creaturæ serviunt ad tentationem. Sap. 14. 11.

Psalm. 33. 20.

Tentatio probat electos. Eccles. 27. 6.

& crepant per murmurationem contrà Deum, vel contrà eos, à quibus aliquid patiuntur: rursus, *tamquam in fornace probavit electos Dominus*, scilicet in fornace tentationum & tribulationum, ut videat, an erunt vasa in honorem in palatio Regis sæculorum, an econtrà vasa reproba & ignominiæ; & quidem, si vasa honoris, omnia benè, nam *in paucis vexati in multis benè disponentur, quoniam Deus tentavit eos, & invenit illos dignos se.* Sap. 3. 6. Quassat reprobos. Ibidem.

Quarè conemur patientiæ veritate ostendere, quod simus vasa electionis, & quamvis tentationes sint adeò multiplices, & fortè graves; quamvis *multa tribulationes Iustorum*, verbum tamen consolationis adjungit Propheta, dum ait, *de omnibus his liberabit eos Dominus*, & alibi promittitur, *timenti Dominum non occurrent mala, sed in tentatione Deus illum conservabit*: id benè sciens Regius Propheta, cum magna fiducia dicebat ad Dominum, scio Domine, *quoniam in te eripiar à tentatione*; vultis scire aliquod remedium generale ad superandas tentationes? Salvator consulit, *vigilate & orate, ut non intretis in tentationem*; per orationem enim vult nos Deus liberare ab omni malo, pro ut clarè insinuat per os Davidicum, *clamabit ad me, & ego exaudiam eum; cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum & glorificabo eum*; imò misericordissimus Deus gloriatur & gaudet nos juvare in tentationibus; undè ad animam tentatam ait, *invoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me*; ecce Deus reputat sibi honori, quod invocemus ejus in tentatione auxilium: ratio est, quia sic ostendimus nos omnem nostram in ipso ponere fiduciam: & consequenter ipsum honorificamus ut benignissimum patrem, & potentissimum Dominum, qui solus nos vult & potest juvare in omni necessitate nostra: atque ità videmus tentationes non esse nimium timendas, quoniam Deus in illis nobiscum est: & verò, *fidelis est Deus*, inquit Apostolus, *qui non patietur vos tentari suprà id, quod potestis, sed faciet cum tentatione proventum, ut possitis sustinere.*

Patientia in tentatione signum prædestinationis. Deus juvat tentatos. Eccl. 33. 1. Luc. 22. 1. In tentatione orandum. Psalm. 90. Psalm. 49. 15. Invocando Deum ipsum honoramus. Deus non sinit tentari ultra vires 1. Cor. 10. 13.

CAPUT VIII.

Gloriosum, utile & suave est multas tentationes superasse.

MAgna profectò utilitas advenit animæ ex tentationibus; nam imprimis indè acquirit experientiam in via perfectionis; efficitur idonea ad alios juvandos, & instruendos in praxi virtutum. Est honorificum, gloriosum & jucundum generoso belli duci, strenuè se gessisse in multis conflictibus, in multis obsidionibus & urbium invasionibus interfuisse, ac insigni stratagemate hostes ab arcibus, à civitatibus, ab exercitu repulisse, & cum manifesta victoria profligasse; ipsi volupe est & jucundum, enarrare sini-

Tentatio est utilis animæ. Gloriosum est, in bello strenuè se gessisse.

sinistros fortunæ eventus, quos terrâ, marique fortiter sustinuit & perfregit; gaudet cum alijs discurrere de fame, siti, calore, frigore, ac alijs incommodis à se in varijs occasionibus perpessis, de frequentibus vigilijs, de plurimis laboribus à se exantlatis, antequam potuerit obtinere præfecturam militiæ; undè & novit alios Tyrones animare, & edocere praxim militarem, quomodò in omnibus occursibus, & casibus sese prudenter & fortiter, non temerariè vel segniter, gerere debeant, ut per multa heroïca facta perveniant ad magnos honores, egregias victorias, & gloriosos triumphos.

Iucundum est strenua gesta referre.

Veteranus miles potest alios docere.

Præterea, qui multa sustinuit vulnera, qui multas pertulit infirmitates, qui multis cruciatibus, pœnis, tormentis, ac doloribus fuit angustiatus, postmodum aptior evadit ad alios curandos, ut fiat expertissimus chyrurgus, vel medicus, qui infirmos cum longanimi charitate, dexteritate, industria juvet & sublevet, quàm benè alij, qui nullam habent de his omnibus experientiam.

Qui passus est multos morbos & vulnera potest fieri bonus medicus.

Item, *dulce est meminisse laborum*, postquam transierunt; sic jucundatur Agricola, dum post multos labores in arando cum pluvia & vento, in seminando cum lacrymis, in cultivandis & conservandis agris, videt apparentiam copiosæ messis, dùm habet eam in horreis congregatam, fructus in granario assecuratos, ac familiæ usibus applicatos, dumque cum pace, & quiete illis frui licet.

Dulce agricolæ meminisse laborum.

Si cum gaudio novit multa narrare, & suis curiosis relationibus alios recreare, qui per vastas, peregrinas, & barbaras regiones proficiscens, postquàm plurima pericula, tempestates, aëris injurias, latrones, famem, sitim, calores, frigus &c. fœliciter evasit tandem ad proprios lares, ad patrium solum, ad consortium amicorum, ad desideratum portum sospes & incolumis appulit.

Qui multa vidit peregrinando potest multa narrare.

Hæc omnia similiter eveniunt animabus spiritualem vitam degentibus, quæ multis & gravibus tentationibus concutiuntur; dum enim hæ assequuntur perfectionem virtutum, tum ex abundantiâ cordis earum os loquitur, tum plenis buccis referunt victorias cum Dei gratia contra pravas concupiscentias, contra immoderatas passiones obtentas; tunc cum gaudio, & jucunditate cordis recordantur laboris à se insumpti in superandis tentationibus superbiæ, vanæ gloriæ, & propriæ complacentiæ; est ipsis suave in memoriam revocare, quali fervore gulam refrænaverint, carnem maceraverint, & in servitutem redegerint, mundoque renunciaverint; reminiscuntur cum magna consolatione quantâ solicitudine cor suum custodiverint, phantasiam compescuerint, appetitum sensitivum circumciderint, & sensus omnes externos refrænaverint: pleno ore & corde loquuntur de modis, de medijs & diligentijs, quibus se in virtute solidarunt; libenter dis-

Perfecti pleno ore loquuntur spirituales victorias.

Recordantur præteritorum certaminum & laborum cum gaudio.

discurrunt de grandi ariditate, & interna spiritûs derelictione, quam non sinè maximis angustijs persæpè passæ sunt: nec non de horribili nocte internæ caliginis transacta frequenter in siti & fame, id est, in subtractione omnis sensibilis & saporosæ gratiæ Dei; animo lubenti referunt labores, angustias, & pressuras, quas pertulerunt in lucta contra serpentem antiquum, leonem rugientem, cautissimam vulpem diabolum; & qualiter jam expeditæ ab omnibus istis angustijs, laboribus & periculis pervenerint ad veram pacem, ad tranquillum dominium in omnes suos inimicos; ita ut jam sinè difficultate contemnant mundum, & omnia quæ in mundo sunt, ita ut carnem spiritui facilè subiectam teneant, dæmones, more Sanctæ Theresiæ, velut muscas abigant, nec ullam rem deinceps videantur timere; eò quòd per multa certamina, per multas victorias jam sint consecutæ magnam experientiam, & animi fortitudinem; ita ut nulla re facilè terreantur, sed potiùs dæmones ipsas timeant.

Perfectorum dominium, & quies.

CAPUT IX.

Qui multas tentationes superarunt idonei sunt alios docere & bona consilia dare.

HI præ cæteris sunt idonei, in militia vitæ Christianæ esse ductores, directores, & instructores aliorum, atque instar strenuorum pugilum cæteros sua generositate & exemplo præire, exstimulare, & instruere de modo fœliciter ac fortiter certandi & gloriosos triumphos de carne, mundo, & dæmone reportandi.

Tentationes passi, sunt apti docere alios.

Præterea qui ardenti febri carnalis concupiscentiæ aliquando æstuavit, qui frigidissimo gelu odij & invidiæ aliquando riguit; qui aliàs micrania vanæ gloriæ, ambitionis, & ad terrena affectionis laboravit; qui stomachali malo gulæ diu fuit obnoxius; qui apoplexia acediæ decubuit; atque jam per gratiam cælestis Medici ab his omnibus animæ infirmitatibus, & periculosis vulneribus convaluit, & plenam in Deo sanitatem consecutus est, is posteà majorem cum aliorum infirmitatibus habet compassionem; is accenditur ferventiori zelo salutem aliorum procurandi; alios charitativè & benignè consolatur, juvat efficaciùs, eorum vulnera tractat & sanat suaviùs, alios tolerat longanimius, suggerit remedium certius, scit melius, quod unguentum, quale emplastrum, qualis potio, qualis purgatio sit convenientior, ad vulnera citius curanda, ad morbos animæ sanandos, ad internum apostema malæ conscientiæ aperiendum, ac totum hominem plenariæ animæ sanitati restituendum.

Infirmitates animæ passi, sunt apti esse superiores.

Prætereà, qui jam cum gaudio reminiſcitur laborum, quos exantlavit in quærendis & terendis ſemitis juſtitiæ, plurima ſcit referre de dolis, & tegnis, quas hinc indè ægrè detexit, de periculis amittendæ vitæ gratiæ inter occaſiones peccandi in quibus ex improviſo nonnumquam ſe invenit; ipſe novit ubi ſint pericula deviandi, ubi labyrinthi, ubi obices; ſicque tyrones bonæ voluntatis rectiſſimo & planiſſimo tramite deducere poteſt, oſtendendo, quæ conſortia fugienda, quæ occaſiones declinandæ, quæ pericula vitanda; quomodò etiam poſtquam dies ſuæ peregrinationis ferè complevit in vitâ religioſâ, nuſquam potuerit invenire requiem niſi in humilitate & ſimplici obedientia: talis meminit ſeſe frequenter ſecundùm ſenſibilitatem paſſum fuiſſe penuriam gratiarum, ſubſtractionem divini luminis, ſenſibilis devotionis, ſicque experientia didicit abundare, & penuriam pati, atque de his pleno, ſic dicam, ore loquitur; talis novit diſcernere, & alios admonere de vitando inſalubri aëre malarum inclinationum, quem non rarò reſpiravit vel invitus cum periculo infectionis, ratione perverſæ naturæ in malum inclinantis; recens ipſum tenet memoria magnorum incommodorum, quæ ſuſtinuit in tempeſtate & horribili nimbo variarum tentationum, item in arando agró ſuæ conſcientiæ per ſedulum examen omnium imperfectionum & vitiorum, nedum peccatorum, in eo purgando ab omni Zizania malarum & inveteratarum conſuetudinum, & in ſeminandô in illô, ac inſerendô bonum ſemen & plantas virtutum, bonarum cogitationum, ardentium deſideriorum, amoroſorum ad cæleſtia ſuſpiriorum &c. omnis labor in exercitio vitæ ſpiritualis, in paleſtrâ virtutum, in agone certaminum ſeu tentationum, multipliciter tranſactus, jam ipſi levis, & ſuavis videtur, cum de fructu manuum ſuarum, ſeu de dulcedine virtutum acquiſitarum, ac internæ conſolationis vivere ſe videat, ac præſertim optimæ ac copioſiſſimæ bonorum operum ac meritorum meſſis ipſi certa ſpes affulgeat, teſtimonium ipſi perhibente conſcientiâ, quòd vitam ſuo ſtatui conformem aliquò uſque duxerit, ità ut fructibus ſuorum laborum in cæleſti patriâ perfruendi non modica ſit apparentia; undè plenus gaudio in Spiritu Sancto, confidit ſeſe jam multam meſſem in horrea collegiſſe, ad æternaliter vivendum, abſque eo quod etiamnum ſuam quietem & internam pacem per aliquid poſſit amittere; illi videtur, quòd ſolummodò tranſeunda ſuperſit una portula deſideratæ mortis, ut intret in gaudium Domini ſui; atque de his omnibus, cum cor ejus abundet, infatigabiliter cum alijs, qui ſunt bonæ voluntatis, loquitur, & verba ædificationis, conſolationis; boni conſilij, exſtimulationis ad bona, ipſi numquam deficiunt; atque ut efficacius conſoletur, conſulat, à malo dehortetur, ad bonum exhortetur, & omnes, ſi poſſet, Deo lucretur, dicit

Virtuoſi ſunt idonei alios docere viam juſtitiæ.

In ſola humilitate & obedientia quies.

Virtuoſi delectantur memoria laborum, ariditatum, tentationum.

Labor in virtute impenſus videtur levis.

Intuitu meritorum.

Et ſperatæ gloriæ.

Ad mortem anhelans.

cit nonnumquam fiducialiter cum Ecclesiastico, *videte oculis vestris quia modicum laboravi, & multam inveni requiem.* *Eccl. 51. d.*

Caput X.

Exercitati in tentationibus libenter alios excitant ad virtutem; tentatio aperit intellectum; per eam venitur ad gloriam.

Dum quispiam, testimonium ei reddente conscientiâ, quòd per gratiam sit filius Dei, jam aliquam in se experitur certitudinem, seu firmam fiduciam & spem suæ instantis beatitudinis; ex animo desiderat multos, ad ejusdem secum participationem, habere sodales; in quem finem verbo & opere omnes passim conatur exstimulare, ut non tædeat ponere manum ad aratrum, ac interiorem animæ hortum diligenter excolere per exstirpationem vitiorum, & insertionem omnis generis virtutum, ac bonorum operum; studet illis inculcare, quòd jugum Christi sit suave, & onus ejus leve; docetque in viâ Dei semper pergendum, non attendendô ad quamcumque tempestatem tentationum, nec ad tribulationum procellas; loquitur ab experientiâ, ideoque novit sua dicere efficaciter, & omnia minutìm enucleare, utpotè quia omnia probavit, penetravit, & perambulavit; atque in ipso impletur illud veri proverbij, *vexatio*, seu tentatio, *dat intellectum*, ad percipiendum & comprehendendum, quidquid Spiritum ad Deum posset promovere.

Perfecti desiderant alios etiam esse perfectos. *Exstimulant alios ad bonum.* *Loquuntur ab experientia.* *Isa. 28.*

Econtrà, qui vix ullas tentationes pertulit, nil, vel parum scit, quomodò se in omnibus gerere debeat; undè benè ad rem petit Ecclesiasticus, *qui non est tentatus, quid scit?* quasi vellet dicere, nullum perfectum magisterij opus in schola perfectionis posse fieri; neminem assequi convenientem scientiam eorum, quæ pertinent ad salutem, nec expertum evadere in via virtutum, nisi prius per tentationem probetur: cum igitur tentationes tantam animæ adferant utilitatem, ac spirituale lucrum præter fructus vitæ æternæ, & stabilem pacem ac gaudium in Spiritu Sancto, non sinè ratione proclamat sanctus Jacobus Apostolus, *Beatus Vir, qui suffert tentationem*, quarè Beatus? *quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ*; quòd si sit beatus, id est, proximus, ut accipiat beatitudinis præmium; qui opprimitur tentationibus, quid ni gaudeat, & lætetur in Domino?

Tentatio acuit ingenium. *Eccl. 34. 9.* *Iac. 1. 12.* *Cur beatus? qui tentatur?*

Sanè sibi persuasum habere debet speciali se à Deo prærogativâ decorari, ac singulari favore præveniri, dum aliqua ingruit tentatio; id quod nobis insinuant supra allata Apostoli Jacobi verba, *omne gaudium existimate fratres,*

Tentatio est beneficium Dei.

fratres, cum in tentationes varias incideritis: ut quid enim omne gaudium? videtur, quia extra tentationem nullum gaudium; quid ni? videtur, quia extra tentationem modica apparentia beatitudinis acquirendæ; siquidem asseverante Apostolo, *per multas tribulationes*, seu tentationes *oportet nos intrare in regnum cœlorum.* Dominus Deus post peccatum primorum Parentum, *collocavit antè Paradisum voluptatis Cherubim, & gladium flammeum atque versatilem ad custodiendam viam ligni vitæ:* Hic gladius flammeus, hic ignis est tentatio seu tribulatio, quam unusquisque, sivè post breve, sivè post longius tempus necessariò debet transire, si velit intrare viam vitæ æternæ. Benè ergò & optimè, omne gaudium oportet existimare, dum in varias tentationes inciderimus; siquidem tùm sumus proximi Paradiso, utpotè cum versemur tunc in igne, qui est collocatus antè Paradisum; ac proindè tùm sumus in proximo gradu, ut intromittamur in gaudium Domini, extra quod nullum est reperire verum gaudium, sed occasionem omnis doloris & tristitiæ.

In eâ omne gaudium; quo sensu.

Act. 14. 22.

Gen. 3. 24.

Cherubim cum gladio flammeo antè Paradisum significat tribulationem.

Quapropter, quicumque piè in Christo vivere desiderat, debet se resolvere ad transeundum ignem tribulationum, seu tentationum, de quibus in sequentibus continuus erit sermo; ideòque omnes, qui sunt bonæ voluntatis, intrepidè intrent in fornacem Babylonis, in ignem, inquam, tentationum, qui à diabolo, à mundo & carne præparatur & accenditur omnibus Deum timentibus, & piè in Christo vivere volentibus; verumtamen cum plena fiducia, quòd ros divinæ gratiæ illos refrigerabit; quòd Angelus Domini cum ipsis erit, imò ipsemet Dominus erit eorum comes, ut eos incolumes, & illæsos conservet in quibuscumque peccandi periculis, & malorum occasionibus, ac fœliciter deducat in viam ligni vitæ æternæ; quò dùm pervenerimus, cum jucunditate cordis sempiternùm canere poterimus, *transivimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium*; quod nobis largiri dignetur Pater æternus per vulnera Filij, ejusque ac nostræ Matris amabilis ubera, Amen. Atque hæc breviter dicta sufficiant de tentationibus in communi; nunc verò in particulari incipiemus agere de tentationibus eorum, qui incipiunt piè vivere in Christo.

Qui piè vivere desiderat, ad tentationes se resolvat.

Fornax babylonis significat tribulationes justorum.

Psal. 65. 12.

TRA-

TRACTATUS II.

De tentationibus eorum qui piè in Christo vivere incipiunt.

CAPUT I.

Quomodò anima, quæ è peccatis surrexit, stare debeat in timore Dei, ac se præparare ad tentationem, eo modo, quô Christus, per jeiunium, & orationem.

NOn sinè maturâ præviâ deliberatione sapiens admonet omnes Deo fideliter servire volentes de tentationibus in stabili virtutum exercitio, in totali vitiorum eradicatione, in constanti bonorum operum executione, obvijs; nam si (ut communitèr dicitur) omnia initia dura sint & difficilia, id imprimis verum est in via perfectionis; siquidem revera, initia sunt hìc ardua occasione multiplicium, tùm internorum, tùm externorum incursuum provenientium tàm à mundo & carne, quàm à diabolo. Audite igitur Ecclesiasticum, recipite exhortationem Spiritûs sancti; *fili accedens ad servitutem Dei, sta in justitia & in timore, & præpara animam tuam ad tentationem*; primò itaque, debet anima Deo famulari incipiens stare in justitiâ, id est, postquam surrexit de sordibus peccatorum per dolorosam & sinceram confessionem sacramentalem, illicò debet studere restitutioni faciendæ & dare unicuique, quod suum est, Deo, quod Dei est, utique omnem honorem, in ejus mandatis observandis obedientiam, & dilectionem; proximo quæ proximi sunt, puta, charitatem fraternam, benevolentiam & vitam exemplarem, sibi ipsi quæ sui ipsius sunt, scilicet, abstinentiam à peccatis, de eisdem contritionem, arctam cordis custodiam & debitam suæ salutis sollicitudinem.

Incipiens Deo servire præparet se ad tentationem.

Eccl. 2. 1.

Stet in justitia.

Deindè cum *initium sapientiæ* sit *timor Domini*, meritò monentur incipientes, ut stent in timore; *sta in timore*; id est, cave amplius reincidere in peccata, idque ex timore Dei, quo fiat, ut deinceps maneas stans. Dum quis primùm convalescit à gravi & periculoso morbo, non potest multùm stare vel ambulare; sed utitur fulcro vel baculo, ne fortè præ debilitate

Stet in timore.

Convalescentes debiles pedibus.

ipsi deficiant tibiæ, aut accidat vertigo capitis defectu firmi cerebri, sicque incidat in infirmitatem maligniorem, aut apoplexiam: ità etiam, dum aliquis sanari incipit à lethali morbo peccatorum, seu potius resurgere à spirituali morte animæ, deinceps intendens piè vivere in Christo, non illicò est planè sanus, sed pro aliquo tempore adhuc manet debilis pedibus, seu infirmus in suis malis consuetudinibus; & animæ affectionibus, neque enim eas ad Deum, & spiritualia bona dirigere potest, prout benè optaret; videtur quidem, quod stare possit absque eo, quod in gravi peccato recidivet; sed needum potest incedere; quocircà ut queat firmius stare, & paulatìm progredi, indiget fulcro sivè baculo timoris Dei; nisi enim nitatur timore Dei velut baculo, seu fulcimento in omnibus suis actionibus in proximo versatur periculo relabendi in pristinas suas infirmitates; quippè pedes affectionum ejus, præ nimia debilitate facilè deficient, & eum à Deo ad creaturas per aliquam inordinationem citò divertent; aut facilè, ipsi supervenìet aliqua vertigo erroris, vel inscitiæ; eò quod tenebris adhuc habeat obscuratum intellectum, vel certè parum illuminatum; memoriam circà salutaria, cælestia, & divina incultam, & voluntatem amore Dei valdè parum accensam; quali spirituali vertigine, qui laborat, facilè cadit, pejus, quam unquam antè; imò nonnunquam incidit in spiritualem apoplexiam ratione cujus omni gratiâ destitutus, non videtur amplius sese posse erigere, aut ad aliquid boni faciendum movere.

Incipiens Deo servire debilis pedibus.

Indiget baculo Timoris Dei.

Affectiones sunt pedes animæ.

Error est vertigo spiritualis.

Ab hoc autem infortunio sibi debet præcavere, quisquis Deo incipit servire, standô in timore; stans verò in timore Dei, præparet animam suam ad tentationem; nam ex timore Deum deinceps in aliquo offendendi, ad se ipsum sedulò reflectere & circumspicere debet, ne ulli tentationi in se locum præbeat, sed potius sese contrà illas muniat, ac spiritualia arma assumat, ad eas divertendas, & strenuè superandas: atque per usum horum armorum, per sedulam hanc ad se ipsum reflexionem ac circumspectionem, animam suam convenienter præparabit ad tentationem.

Incipiens paret se ad tentationem.

Vultis discere modum præparandi animam ad tentationem? illum utcumque colligere licet ex vitâ Christi; cum enim *omnis Christi actio nostra sit instructio*, sciendum est, quòd vita Christi sit vivum exemplar, in quo omnis generis homines, sivè incipientes, sivè proficientes, sivè perfecti inveniunt, quidquid conducere potest ad salutem: quocircà, incipientes advertere debent, quomodò Salvator incipiens manifestare se ipsum mundo, ac volens opere adimplere mandatum ab æterno patre sibi factum circà redemptionem generis humani, præparaverit animam suam ad tenta-

Christus est exemplar piè viventium.

Etiam incipientium.

tentationem; item quales tentationes sustinuerit, & quomodò eas superaverit.

Sanctus Evangelista Lucas nobis proponit Christum veluti tyronem, seu incipientem, his verbis, *& erat Iesus incipiens, quasi annorum triginta, ut putabatur, filius Ioseph*; erat ergò Iesus pro tunc patronus & prototypon incipientium: quid faciebat ad exemplum? teste Matthæo, *tunc venit Iesus in Iordanem ad Ioannem, ut baptizaretur ab eo*, utique *baptismo pœnitentiæ*, instar peccatoris: in Baptismo *descendit Spiritus sanctus corporali specie, sicut columba in ipsum*; *Iesus autem plenus Spiritu sancto regressus est à Iordane.*

Luc. 3. 23. Iesus incipiens. *Matth. 3. 13.* Baptizatus est. *Luc. 3. 22.* *Luc. 4. 1.*

Eôdem modô, dum aliquis se vult resolvere ad serviendum Deo de puro corde & bonâ conscientiâ, antè omnia venire debet in Iordanem, qui idem est, ac *fluvius judicij*; id est, subire debet Baptismum pœnitentiæ; accedere, inquam, ad Sacramentum pœnitentiæ, quô utpotè lavacrô Sanguinis Christi, abluatur & emundetur ab omni inquinamento peccati; nec dubium, quin in hoc Baptismo descendat Spiritus Sanctus, sicut columba in ipsum, dum mediante validâ absolutione recuperat vel adauget gratiam Dei, sicque reducitur ad primum statum innocentiæ: tunc incipit homo de novo fieri filius Dei; ita ut de ipso possint intelligi verba æterni Patris, *hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui*; tunc plenus Spiritu Sancto regreditur homo à Iordane, à Sacramento pœnitentiæ.

Incipiens imitetur incipientem Iesum. Baptizetur baptismo pœnitentiæ. Fit Filius Dei.

Ecce hîc principium animæ ad Deum conversæ, quæ deinceps piè in Christo vivere desiderat; verum quantociùs admonenda est, ut se præparet ad tentationem; siquidem ex parte Dei illi dicere licet; *quia* per veram pœnitentiam, *accepta es Deo, necesse est ut tentatio probet te*; aspice ad exemplar tuum, & scito, quia tibi fiet, sicut ipsi, Christo, inquam, factum est: *tunc*, id est, post susceptionem Baptismi pœnitentiæ, *Iesus ductus est in desertum à Spiritu, ut tentaretur à diabolo*: sic etiam quisquis Deo servire incipis, postquam de culpis præteritis verè contritus ad Iordanem pœnitentiæ accesseris, & inde Sacramentaliter ablutus redieris, vel etiam per solemnem in Religione professionem, veluti per secundum Baptismum restitutus fueris statui innocentiæ, tunc à Spiritu sancto inspiraberis, & deduceris in desertum, seu piè moveberis, ut sequaris vitam magis abstractam, tranquillam, solitariam, ac verè religiosam: ad quid? ut tenteris à diabolo, ut fiat tentatio vita tua super terram: porrò Christus Dominus præparabat animam suam ad imminentem tentationem, per jejunium & orationem; nam *jejunavit quadraginta diebus & quadraginta noctibus*, quas etiam procul dubiò, continuæ orationi impendit, ut nobis relinqueret exemplum quo disceremus præparare animas nostras ad tentationem; neque enim quævis alia media sunt magis idonea ad roborandas & confortandas animas nostras contra tentationes & insultus hostium nostrorum, quàm jejunium & oratio;

Tentatio est pijs necessaria. *Tob. 12. 13.* *Matt. 4. 1.* Christus Baptizatus ducitur in desertum ut tentetur. Incipiens ducitur in desertum, ut tentetur. Iejunium & oratio sunt dispositio ad tentationem exemplô Christi.

de

de jejunio res manifesta est, cùm ipsemet Salvator noster jejunandô se præparaverit ad tentationem; de oratione verò ipse ait ad Discipulos suos;

Luc. 22. *vigilate & orate, ut non intretis in tentationem.* Verùm ad quales tentationes, anima incipiens Deo servire, sese paratam exhibere debet? & quales tentationes exspectare?

CAPUT II.

Quomodò incipientes tententur ad pusillanimitatem, & quomodò eam debeant superare.

Diabolus attendit naturæ complexionem, dum vult tentare.

DIabolus non servat certam regulam in tentatione animarum; indagat enim & explorat, ad quæ vitia & defectus unaquæque magis inclinetur; atque in illis eas oppugnat; si aliquam videat ex sua natura melancolicam, conatur eam pertrahere ad tœdium in exercitijs spiritualibus, insundit illi vivacissimas apprehensiones omnium incommodorum & difficultatum, quæ eam in suo statu manent: hinc etiam in similibus animabus, subinde omninò subitò, oriuntur vivæ repræsentationes, seu impressiones gravium onerum, quæ talis status involvit; idquè adeò vivaciter, quasi decursus totius futuræ vitæ istô instanti, illis ad vivum repræsentaretur.

Melancolicos tentat ad pusillanimitatem.

Quomodò?

Tentatio ad pusillanimitatem.

Diabolus ad hoc sæpè captat occasionem, dum tales animæ, sivè in lectione spirituali, sivè in aliquâ seriâ exhortatione audiunt discursum de necessitate jugis mortificationis, & sui-ipsius abnegationis; v. g. dum audiunt

Luc. 14. 33. Christum dicentem, *qui non renunciat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Vel, *qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat Crucem suam*

Luc. 9. 23. *quotidie, & sequatur me.* Etenim hæ & similes lectiones homini incipienti etiamsi alioqui bonæ voluntatis, tam crudæ & rudes subindè apparent, ut in se sentiat oriri aliquam quasi pusillanimitatem, imò velut animum ex parte desperatum; quasi foret impossibile eas per totam vitam practicare:

Augetur varijs modis.

cum enim amor Dei in ipso adhuc sit valdè remissus & debilis, incidit ipsi timor quod non poterit in tali carentia omnis humani solatij, ac corporalis jucunditatis abnegatione perseverare, sic ut numquam possit affectare aliquam extra Deum recreationem, aut in creaturis delectationem; ac proindè in tali rerum omnium renunciatione, toto tempore vitæ persistere, videtur ipsi impossibile; nec mirum; dum enim audit, semper & indesinenter contra fluxum esse remigandum, semper contra concupiscentiæ impetum nitendum, habet impressionem, quòd totâ suâ vitâ miserior erit, quàm mancipium in triremi, nec videt apparentiam, quòd poterit per-

perfringere; verumtamen aliundè experitur in se æstuans desiderium salvandi animam, ac se Christi Discipulis aggregandi.

Ecce hìc tentationem hominis Deo servire incipientis; at quomodò in istâ se geret? Regula nostra Carmelitana suggerit nobis remedium, & suppeditat arma ad resistendum, *galea*, inquit, *salutis capiti imponenda est*, *ut de solo Salvatore speretis salutem*; ecce optimum remedium pro similibus, scilicet, certa spes, & firma fiducia in gratia Dei, ac humilis diffidentia sui. Igitur dum illis advenit aliqua cogitatio, quomodò talem vel talem virtutem poterunt acquirere, quomodò talem vel talem tentationem victoriosè perfringere, respondeant cùm Apostolo, *omnia possum in eo, qui me confortat.* * *non ego, sed gratia Dei mecum*; si ipsis in animum veniat, quomodò hanc vel illam difficultatem in via virtutis poterunt superare, virtutum opera exercere &c. dicere juvabit cum Propheta, *in Deo faciemus virtutem, & ipse ad nihilum deducet omnes tribulantes nos.* at quomodò naturæ fragilitatem supplantabunt? mediante virtute spei, nam scriptum est, quia *qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, ut aquilæ volabunt & non deficient.*

Remedium contra pusillanimitatem spes in Deum.

Modus vincendi pusillanimitatem.

Phil. 4. 13.

Psalm. 59.

Spes confortat.

Isai. 40. 31.

Prætereà tristes & melancholici exercere se debent in spirituali lætitia, conando per ferventes meditationes, & exercitia fidei paulatim in Deo explorare & invenire aliqua motiva internæ satisfactionis, & cordis exhilarationis, ut sic naturalis melancholia depellatur per supernaturalem Spiritûs in Deo exultationem, & gaudium in Spiritu sancto; tali quippe modo facilè vincent omnem pusillanimitatem, & concipient animos ad omnes difficultates strenuè perfringendas, in virtute & fortitudine omnipotentis manûs Dei: qui norunt hôc remediô uti, non habent, quòd timeant deficere in remigando vel natando contra fluxum corruptæ naturæ; natant enim innixi alienis Brachijs, innixi, inquàm, Brachio extento omnipotentis Dei; tales quidem remigant contra impetum pravæ concupiscentiæ; sed ventus vehemens illos propellit, gratia Spiritûs sancti illis favet in navigando, sicque remigando non fatigantur; quocircà semper in mente habeant, *non ego, sed gratia Dei mecum*, ex me nihil possum, sed possum omnia in eo, qui me confortat, qui in me, per me, & mecum operari dignatur; ex me ipso nihil sum, sed, Deus est mihi omnia, & gratia ejus sum id, quod sum; aut potius, Deus est omnia, & operatur omnia, at ego, quantùm est de me, nihil sum, & nihil operor.

Modus medendi melancholiæ per gaudium spirituale.

Hilaritas in Deo confortat animam.

Gratia Dei omnia alleviat.

T CA-

CAPUT III.

Quomodò incipientes tententur ad desperationem per memoriam præteritorum peccatorum & per scrupulos.

Incipiens tentatur ad tentationem.

Tentatio ad desperationem.

RUrsus, si diabolus advertat aliquem noviter conversum, esse facilis indolis, & humoris; ac aliundè ex speciali Dei gratia efficaciter impelli ad cordialem detestationem & sinceram contritionem de peccatis præteritis, cùm proposito non peccandi de cætero, ac in exercitio virtutum strenuè proficiendi; illicò iterum duos habet laqueos paratos ad eum capiendum & seducendum ;scilicet vel conando illum trahere ad diffidentiam de misericordia Dei, vel ad nimiam vitæ austeritatem.

Ex memoriâ præteritorum peccatorum.

Ex scrupulis circa factas confessiones.

Ex varijs apprehensionibus.

Primum laqueum ponit hoc modo ;apponit illi supercilia ampliantia, id est, clarè illis proponit statum vitæ præteritæ; redeunt illi in memoriam nunc hæc, nunc illa peccata cum vivis impressionibus turpitudinis eorum; quorum aspectu fit, ut illi videatur, quod illa peccata nunquam debitè æstimaverit, vel ponderaverit, vel cum requisita contritione confessus fuerit; ac proindè oboritur illi scrupulus, anxietas magna, an totâ suâ vitâ non fuerit hactenus continua offensa Dei, an non commiserit tot sacrilegia, quoties confessus fuit, vel communicavit: idcircò jam facit confessionem generalem, sed non videtur jam posse elicere sincerum dolorem de suis peccatis; hinc incipit à seipso concipere horrorem: incidit ipsi, quòd à Deo sit derelictus, & per continua peccata, ac gratiarum subtractionem venerit ad cor durum, quod conteri nullo modo potest: quinimò factâ iam confessione generali, videtur illi adhuc aperiri cortina, & ob oculos poni speculum, in quo præter peccata jam clavibus subjecta, plurima adhuc videat alia, negligentias & vitia cum dubio, an ea umquam cum dolore in confessione aperuerit; an conscientiam debitè examinaverit, an hanc vel illam circumstantiam bene explicuerit, an sese in multis non magis excusaverit, quàm accusaverit, uti debebat, an non ex pudore aliqua subticuerit &c.

Diabolus apponit perspicilia ampliantia; quo sensu?

In hac constitutione repræsentat illi diabolus parva peccata quasi valdè magna, enormia, & irremissibilia, eò quòd nimis diu distulerit pœnitentiam, & jam frustrà, dum seriùs est, pulset ad ostium misericordiæ, sine apparentia intromissionis; cujus illi persuadet esse signum certissimum, quòd jam non videatur posse elicere vel unam pœnitentiæ lacrymulam, nec sensibilem dolorem de suis peccatis, pro ut facilè solebat ob jacturam amicorum, vel bonorum temporalium, honorum, aut commodorum. Tunc

homo

homo hæret perplexus, & dubitat, an velit desperare, & ad sæculum redire & pristinis vitijs indulgere, ut saltem modicum hujus vitæ spatium in delicijs & naturæ satisfactione transigat, quandoquidem post hanc vitam nihil, nisi æternam damnationem, cujus se millies reum confitetur, exspectare videatur. Aliundè tamen in ipso subinde scintillare videtur aliquis radius divinæ illustrationis, & refricatur ipsi memoria divinæ bonitatis; quod non frustrà Deus promiserit, *in quacumque hora ingemuerit peccator, omnium iniquitatum eius non recordabor*; reminiscitur etiam desperationem esse maximum peccatum in Spiritum sanctum, quodque nemo sperans in Deo unquam manserit confusus; nam *miserationes ejus super omnia opera ejus.* Ubi iterum videtis hominem Deo servire incipientem vehementi concuti tentatione, esseque in proximo periculo incidendi in laqueum diaboli per desperationem, & diffidentiam de misericordia Dei, nisi potenter à Deo juvetur, & specialibus confortetur remedijs; pro quibus sit.

Persuadet animæ quod à Deo sit deserta, reproba, &c.

Illustratio in tentatione desperationis.

Ezech. 18. &

Remedium desperationis.

Psalm. 144.

CAPUT IV.

Varia remedia contra desperationem, per fiduciam in Deo & repulsionem scrupulorum.

HIc indiget homo aliquâ industriâ & adjutorio, quo positum sibi laqueum evadat; imprimis, nullo modo proprio judicio stare vel inniti potest, sed in omnibus, alterius verbo sinat se duci necesse est, quocircà virum aliquem spiritualem & expertum consulere debet, cui cùm magno animi candore omnes suas inquietudines, & earum originem totaliter aperiat, ut is convenientia emplastra ejus vulneribus possit applicare, sicque cum majori securitate & certitudine ejus in omnibus consilium sequi: ad hoc multùm illi proderit, assuescere in Patre spirituali videre personam Christi, ac Christum potiùs per os ejus audire loquentem, quàm ipsum, sibi certò persuadens, quod illum sequendô, Deum sequatur, ac proindè errare non possit. Prætereà exercere se debet in fiduciâ in misericordiâ Dei, dicendô sæpè cum Prophetâ, *Deus meus misericordia mea* * vel, *misericordia ejus præveniet me*, * vel *misericordiæ ejus subsequentur me omnibus diebus vitæ meæ*: fortè dicet aliquis, quis me de hoc assecurabit? audi Salvatorem dicentem, *non est opus valentibus medico, sed malè habentibus* * *non enim veni vocare justos, sed peccatores*; audi etiam verbum consolationis à Regio Prophetâ, *misericordia Domini plena est terra*: quis igitur desperabit? cùm ubique misericordiam Dei obviam habeamus; ac præsertìm, cum *Deo proprium sit misereri semper & parcere.* Hæc & similia mente revolvant, quicumque ad pusillanimi-

Remedia contra desperationem.

Standum judicio prudentis confessarij.

Spes exercenda.

Psalm. 58.

Ibidem.

Psalm. 21.

Matth. 9. 6.

Marc. 2.

Psalm. 31.

Misericordiæ Dei omnia peccata immergenda.

nimi-

nimitatem vel desperationem tentantur; ac omnes suas angustias, scrupulos, & peccata præterita, quæ semel bonâ fide confessi sunt, sivè cognita, sivè incognita, abjiciant in abyssum divinæ misericordiæ, ibique omnia, cum fiduciâ in meritis & passione Christi, totaliter demergant; jactantes super Dominum curam suam qui nihil aliud quærit, quàm eos uberibus suæ clementiæ lactare, & enutrire: ut autem ab omnibus scrupulis sese eximant, & dictas tentationes discant cum fundamento enervare; utantur remedijs & regulis, quæ hic sequuntur.

Regula. 1. pro scrupulosis.

Primò, dum quis semel bonâ fide peccata sua est confessus, conandô de illis elicere actum perfectæ contritionis; etiamsi illi postmodùm videatur, quòd peccata non satis cognoverit, nec debitè ponderaverit, ac proindè de illis convenientem dolorem non conceperit, pro ut modo ea cognoscit, ponderat, ac de illis dolet: potest sibi persuadere, se satisfecisse; nam alioqui homo numquam esset quietus; siquidem quò magis proficit in gratiâ, eò clariùs videt turpitudinem peccatorum, ac proindè semper illi videretur, quod nunquam de illis fuerit debitè contritus juxtà exigentiam illorum.

Non facilè repetendæ confessiones.

Regula 2.

In dubio maneat quietus.

Secundò, dum quis rectâ intentione fecit confessionem generalem de peccatis præteritis, etsi posteà illi occurrant aliqua, de quibus dubitat, an fuerit confessus, non debet esse sollicitus, sed potest securus & quietus manere in conscientia; quamdiu non est omninò certus, se illa commisisse, & nunquam confessum fuisse; ità ut auderet jurare, se illa fecisse, & nunquam cum dolore, clavibus Ecclesiæ subjecisse: nam quamdiu dubitat, præsumptio stat pro ipso; alioqui enim attentâ labilitate humanæ memoriæ, homo vix unquam animæ quietem assequi posset; quocircà cogitare & resolvere potest, sese certò existimare, quod illa peccata in numero aliorum fuerint comprehensa; aut certè, quod cum tanto suo incommodo non teneatur semper de novo confiteri.

Regula 3.

Tertiò, dum aliquis quidem recordatur se illa peccata fuisse confessum; sed videtur dubitare, an verè & salubriter de illis fuerit contritus, dum, præsertim in sua juventute, sacramenta sæpiùs frequentabat; si bonâ semper fide processerit, nec certus sit quod aliquid scienter & volenter omiserit; potest esse securus: quia ex parte sua satisfecit; & alioqui homo nunquam posset esse quietus; cum nunquam sit certus de salutari & supernaturali contritione habita; & verò licet aliquis defectu doloris supernaturalis; citra suam culpam, vel etiam ex sua culpa, sed inscienter, ob ignorantiam vincibilem pro eo tempore, quo confitebatur, sæpiùs non accepisset beneficium absolutionis; nihilominùs confidere debet de misericordia Dei; quod in aliqua posteriori confessione, quando invincibiliter dicti defectûs non fuit memor, cum alijs indirectè condonata sint, aut per aliquem actum amoris

Nemo certus de supernaturali contritione.

Peccata defectu contritionis non remissa, quomodò possint posteà remitti per ac-

amoris Dei super omnia, vel contritionis perfectæ in aliquâ piâ meditatione, vel aliâ occasione exercitum deletâ; quocircà non est ratio tantæ angustiæ, scrupuli, & inquietudinis: verùmtamen ut tutiùs & securiùs hìc procedatur, bonum est in præparatione ad omnem confessionem elicere generalem contritionem de omnibus, sivè cognitis, sive incognitis, proprijs, vel alienis, aut oblivioni traditis peccatis, idque quia sunt offensa Dei super omnia diligendi; consultissimum etiam est sæpè exercere actus amoris Dei super omnia; sic enim, etiam extrà confessionem sacramentalem, omnia peccata dimittuntur, quæ unquam potuissemus commisisse; solummodò manet obligatio peccata in confessione non expressa subjiciendi clavibus, dum quis recordatur sese peccatum patrâsse, & in confessione sacramentali non explicâsse; non quod peccata antecedenter, indirectè, vel aliter, ut dictum est, remissa non fuerint; sed quia exstat præceptum divinum, omnia peccata mortalia semel confitendi distinctè & singulatim, sivè aliter remissa sint, sivè non: ex quibus patet, quomodò scrupulosi sese in omnibus gerere debeant, ac confidere in Domino.

tum amoris &c.

Est utile sæpè elicere generalem contritionem.

Amorem Dei.

Omnia mortalia semel confitenda, etsi per contritionem remissa.

CAPUT V.

Quomodò incipientes tententur ad indiscretas pœnitentias etiam sinè veniâ &c. faciendas, ac qualiter se gerere debeant.

ALium prætereà laqueum ponit diabolus animæ incipienti, quam advertit specialiter illuminatam circà notitiam peccatorum, ac consequenter valdè compunctam & ad contritionem inclinatam: atque ut eam facilius illaqueet, transfigurat se in Angelum lucis, volens eam decipere sub specie boni, quocircà repræsentat illi ad vivum turpitudinem peccatorum, quantum per illa Deum offenderit, quomodò nec ipse infernus ea sufficienter punire possit; quarè movet animam ad extraordinarias pœnitentias, corporis macerationes, & castigationes ultrò assumendas, ut sic divinæ justitiæ saltem aliquo usque, citius satisfaciat; quòd alioqui nulla illi misericordiæ spes affulgeat: porrò anima hanc illuminationem & pœnitentiarum desiderium à Deo provenire existimans, nec discernens malum à diabolo intentum cum voluntate eam decipiendi, suscipit in se multa extraordinaria jejunia, intempestivas vigilias, multiplices disciplinas, & cilicia; imò his omnibus & similibus sese impendere videtur cum fervore & amore Dei, cum tanto desiderio imitandi sanctos Patres in eremis, ut non percipiat

Tentatio ad indiscretas pœnitentias.

Movet ad pœnitentias nimias.

Fervor indiscretus instigante diabolo.

cipiat ullam difficultatem, imò in his omnibus videtur pinguescere, ac omnia facit cum magna animi satisfactione.

Quis diceret hæc omnia non esse bona? quomodò tales suggestiones possunt venire à diabolo? quid mali intendit diabolus indè elicere? quis dolus, quæ insidiæ ibi latent? audite, vobis dicam; imprimis malignus spiritus conatur animæ persuadere, quod liceat illa opera pœnitentialia facere sinè scitu vel licentia superioris, aut Patris spiritualis; quippè cum hæc Dei inspiratio veniat à superiore majore, scilicet, à Deo (pro ut ipsi inculcat) tenetur illam sequi indepedenter ab hominibus. Per hoc anima venit in periculum faciendi in multis propriam voluntatem; putat sibi licere, clanculò exercere multas austeritates; fit tenacior proprij sensus & judicij; ità ut, dum Superiores eas illi vellent interdicere, sibi persuadeat, se illud interdictum non debere servare, eò quod judicet, Superiores velle impedire voluntatem Dei, quam interius didicisse credit; imò tentatur ad temerarium de Superioribus judicium, ad illis obmurmurandum, vel contraveniendum, non attendens, quia *melior est obedientia quàm victimæ, & quasi peccatum ariolandi est, nolle acquiescere.*

Dolus & intentio diaboli incitantis ad pœnitentias

Suadet facere sinè venia.

Inducit ad multa peccata.

Deindè, ista anima impellitur à dæmone ad pœnitentias extraordinarias, ad frequenter jejunandum, vigilandum &c. Ut brevi sub illis fatiscat, planè deficiat, & succumbat, sicque fiat inepta, deinceps aliquid boni pro se, vel alijs faciendi; iterùm ut sit telluris inutile pondus, omnibus molesta & onerosa; atque ut hìnc facta sibimet ipsi gravis & tædio affecta, incidat in impatientiam, in murmurationem contrà Superiores; contrà consodales, imò contrà Deum; sed nec ibi sistit intentio maligni spiritûs, sed insuper intendit, ut anima tandem advertens sese in has miserias, in has imperfectiones prolapsam esse ratione immoderatarum pœnitentiarum factarum sinè merito obedientiæ ex instinctu propriæ voluntatis, & consequenter apprehendens se diu ambulasse sub directione diaboli, tandem de suâ salute desperet, exaggerante jam diabolo, quòd propriâ voluntate seipsam præcipitarit in vallem miseriarum, undè persuadet illi non esse possibile emergere.

Intendit ad omnia facere ineptos.

Sibi & alijs molestos.

Inducit ad desperationem.

Ex quibus videtis charissimi, quid mali diabolus hìc velit elicere; quem dolum misceat, quas insidias ponat sub pallio fervoris ad pœnitentiam, & quàm periculosè tentetur anima piè vivere incipiens: at quomodò talem tentationem victrix evadet? debet esse planè candida & aperta Patri Spirituali, illi notificando omnes suas illustrationes, & affectiones bonas, & malas, quatenus sic ipse melius possit discernere bonum spiritum à malo; ipsique consulere, quod optimum est; potissimè cavere debet; ne sequatur propriam voluntatem, etiam in illis, quæ alioqui bona videntur, sibi persuadendo se esse cœcam in propriâ causâ; quod propterea debeat permittere;

Nil sinè consilio Patris spiritualis faciendum.

mittere se duci ab alio; cùm sic errare non possit, sed pro suis peccatis divinæ Justitiæ plenissimè satisfacere: nam, sicuti olim beatissima Virgo Mater dicebat sanctæ Brigittæ, qui jejunat ex proprio sensu & voluntate, simplex habet meritum; sed qui desiderans jejunare, manducat ex obedientia, habet duplex, utique meretur ratione jejunij, cujus, quantum ex se, efficaci tenebatur desiderio, quod proindè à Deo pro facto est acceptatum; & iterùm, ratione abnegationis propriæ in voluntate superioris.

Cavenda propria voluntas.

Volens jejunare, & ex obedientia edens dupliciter meretur.

CAPUT VI.

Quomodò incipientes oppugnentur scrupulis, & dubijs conscientiæ in omnibus suis operibus.

CUm *initium sapientiæ sit timor Domini*, is ordinariè præcipuum locum tenet in illis, qui specialiter à Deo tracti, ipsi fideliter servire incipiunt; hic timor causat in illis sedulam circumspectionem in omnibus agendis, ne quid faciant contrà beneplacitum Dei; sunt valdè conscientiosi, & jam plus ponderant parvam imperfectionem, quàm anteà peccatum mortale; atque huc usque omnia benè; sed satan considerans se in vanum laboraturum, conando eos ad magna peccata inducere, eò quod ex timore Dei nimium ab illis horrorem conceperint, adoritur illos aliô modô; conatur itaque illam conscientiositatem, seu conscientiæ teneritudinem vertere in scrupulositatem; turbat eorum phantasiam, ità ut putent se peccare in omnibus, quibus manum apponunt; ipsis videtur, quod parva imperfectio sit magnum peccatum; vix aliquid agunt, sinè timore graviter offendendi, vix aperiunt semel oculos sinè anxietate, quòd displiceant Deo; vix bolum glutiunt, vel haustum bibunt sinè cordis angustia; eò quod interiùs continuò sentiant remorsum conscientiæ, quæ opportunè importunè eos videtur arguere de omnibus, etiam ubi nulla est species mali: diabolus etiam illis illudit per turpia somnia, per malos naturæ motus in somno, vel inter somnum & vigiliam; atque tunc tam vivas & fortes rerum indecentium repræsentationes eorum imaginationi intrudit, ut appetitus sensitivus etiam vivaciter & impetuosè eò videatur ferri & inclinari; ità ut plenè expergefacti, & sibi redditi, in mille versentur angustijs, an voluntas rationalis etiam non dederit consensum. Aliquandò post confessionem, vel paulò antè Communionem, occurrunt ipsis aliquæ minutiæ; undè anxiantur, an eas culpabiliter non omiserint in confessione, an non sint peccata mortalia; atque in his pensandis toti occupantur, ex timore, quod cùm mala con-

Timor Dei incipientes premit.

Timorati à diabolo scrupulis tentantur.

Scrupulosorum status.

Illusiones nocturnæ.

conscientia ad sacram mensam accederent; unô verbô, in omnibus suis cum anxietate procedunt, & rarò cum conscientia practicè certa, quæ illis dictaret, quod hoc vel illud, hìc & nunc possint facere vel omittere sinè offensa Dei.

Diabolus intendit per scrupulos ut anima dubiâ conscientiâ operetur, & sic peccet.

Ubi iterum videtis eos, qui piè volunt vivere in Christo, persecutionem pati: vultis scire, quid sibi inde lucri diabolus promittat? quia ipse bene scit, *omne, quod non est ex fide*, seu ex testimonio conscientiæ, quod hìc & nunc liceat operari, *peccatum fit*; nam quisquis dubiâ conscientiâ operatur, peccat, graviter vel leviter, pro ut dubium illius est vel de materia gravi, vel levi; cum eos inducere desperet ad malum aliquod manifestum; ideò omni modo eos conatur pertrahere in has scrupulositates, ut saltem cum his dubietatibus, ac sine resolutione certæ conscientiæ operantes, per consensum, ut minus, interprætativum, in aliqua labantur peccata: prætereà per has anxietates studet diabolus in illis impedire multa bona opera, & communiones; loco enim quod per exercitia amorosa, & aliter virtuosa sese ad sacram sinaxim præparent, ecce tempus terunt inutiliter in vexationibus scrupulosis, ob quas etiam sæpè à sacra mensa se absentant; per hoc etiam patiuntur magnam temporis jacturam, nimis multipliciter ruminandô, & reflectendô ad suas cogitationes, verba & opera; ad seipsos nimium attendendô, in discutiendis præteritis præsentationibus, phantasmatibus, pravis motibus; quorum omnium species impressas sic magis renovant, & fortius imprimunt sub specie examinis, an illis non nimis inhæserint: denique per hoc dissipant spirituale lucrum, & cum magna cordis inquietudine amittunt tempus, quod actibus Fidei, Spei & Charitatis, perfectæ resignationis, devotionis, humiliationis &c. utilissimè deberent & possent impendere.

Intendit etiam impedire multa bona.

Nociva scrupulosorum occupatio & ad suas tentationes reflexio.

Ex quibus iterum colligere est, quomodò diabolus conetur in omnibus saltem habere suam partem, dum non potest habere totum; vel ut minus, meliora & Deo gratiora impedire.

CAPUT VII.

Quomodò oportet scrupulos & dubietates in operando divertere.

Remedia contra scrupulos. Primum In omnibus formanda

AT quid consilii, quid remedij ad dicta inconvenientia impedienda, & ad homines in similibus tentationibus juvandos?

Imprimis ad hoc adniti debent, ut in omnibus agendis & omittendis puriorem, quam possunt, habeant intentionem soli Deo placendi; faciendo v. g.

v. g. omnia sua opera ad majorem Dei gloriam, in unione operum & meritorum Christi, cum eadem intentione, qua ipse in hâc vitâ sua opera fecit; quod si posteà incidant aliquæ cogitationes isti puræ intentioni contrariæ, eas debent, quantum possunt, inadvertenter præterire; quasi serius & impertinenter ad rem, venirent, nec pro illis ullus locus superesset. *bona intentio.*

Secundò, pro regula generali teneant, quòd omne peccatum debeat esse voluntarium, seu fieri cum libera voluntate, & advertentiâ rationis, quocirca quamdiu non sunt sui compotes, nec habent usum rationis, & liberi arbitrij in aliqua cogitatione, verbo, aut opere, non possunt in illis peccare: undè non est quòd anxientur circa aliqua in somnio vel somno transacta; tunc quippe ratio ligata est, & consequenter liberum arbitrium suspensum, sine quo peccare non possunt: porrò circa ea, quæ inter somnum & vigiliam contigerunt, etiam non debent nimium angustiari, quia tunc imperfectum, dumtaxat habent usum rationis, & libertatis, qui non sufficit ad peccandum mortaliter, sed ut summùm venialiter. *Secundum Remedium. Omne peccatum debet esse voluntarium. In somno non peccatur.*

Tertiò, Assuescant omnia sua agere cum conscientia practicè certa, id est, dictante, quòd hìc & nunc, hoc vel illud liceat facere vel omittere; & licet subinde adhuc remanere videatur aliquâ formido de opposito, possunt equidem securè pergere; nam formido speculativa in intellectu potest benè consistere cum dictamine conscientiæ practicè certo; quod sufficit ad non peccandum. *Tertium remedium. Formanda in omnibus conscientia practicè certa.*

Quartò, quamdiu non auderent jurare, quòd aliquod peccatum mortale commiserint, & confessi non sint, aut quod cum pleno consensu in re notabiliter mala morosè fuerint delectati, non est consultum, imò sæpè est valdè periculosum multiplicare reflexiones, inquisitiones circa præterita turpia phantasmata, objecta mala &c. nam (præterquam quod sit tantum jactura temporis, illa in memoriam revocare) illa phantasmata, turpium objectorum species, & repræsentationes tali modô magis radicantur, intenduntur, & firmius memoriæ & phantasiæ imprimuntur: undè fieri natum est, quod pars sensitiva posteà magis oppugnetur, & graviores insurgant tentationes, quàm umquam anteà: ideò consultissimum est semper niti ad simplicitatem cordis, quæ vitat & excludit omnem multiplicitatem cogitationum, reflexionum, imaginationum, ruminationum &c. per talem quippe simplicitatem anima potitur magnâ quiete, & pace internâ, & omnes faciliùs superat tentationes. *Quartum remedium. Nocet multum reflectere ad tentationes præteritas. Commendatur simplicitas.*

Quintò, scire debent, quòd venialia peccata non impediant sacram Communionem; nam illa per actum contritionis vel amoris Dei super omnia, etiam extra sacramentum pœnitentiæ, facilè remittuntur; quocircà etsi ante Communionem ipsis adhuc in memoriam veniant multa peccata venialia, quæ proposuerant confiteri, sed obliti sunt, non ideò turbentur *Quintum remedium. Venialia non impediunt communionem.*

V aut

aut inquietentur, nam illa jam cum cæteris remissa sunt, si de omnibus generalem habuerint contritionem, vel si jam habeant, remittentur, præsertim in sumptione sacræ hostiæ.

Variè remittuntur.

Sextò & ultimò; tam diu, ac in se sentiunt magnum horrorem Deum mortaliter offendendi, & constans desiderium ipsi indies magis per omnia placendi, non debent sibi facilè persuadere, quòd in aliquo mortaliter peccaverint; quocircà etiamsi aliquando videantur experiri aliquam inclinationem, aut in aliqua re mala delectationem, quamdiu talis inclinatio, vel sensibilis & apparens delectatio est illis contra cor, & causat pœnalitatem præ timore, nè Deum offendant, possunt manere securi & quieti; nam illa delectatio seu in malum propensio est solummodò in potentia sensitiva, & ex receptissima sancti Bernardi sententia, *non nocet sensus, ubi non est consensus*, præsertim dum potiùs in voluntate est contradictio: atque hæc Regula potest servire in diversi generis tentationibus hominum tam incipientium, quàm proficientium, v. g. in tentationibus carnalibus, blasphemiæ, temerariorum judiciorum, desperationis, distractionum; &c.

Sextum remedium.

Horror à peccatis est signum quod quis non facilè peccet mortaliter.

Non nocet sensus, ubi non est consensus.

CAPUT VIII.

Quomodò aliqui tententur ad gulam cum magno præjudicio profectûs spiritualis.

ALijs prætereà tentationibus diabolus aggreditur illos, qui piè volunt vivere; dum enim videt eos ratione status assumpti teneri ad multas abstinentias & jejunia, eos persequitur tentatione gulæ, eô fere modô, qui sequitur; attendens ipsos adhuc esse juvenes, magni cibi, & robustos, quamobrem magnâ fame premuntur, præsertim ob frequentia, quæ occurrunt, jejunia; ita ut vix unquam appetitum videantur satiare; adhuc auget eorum famem, eorum phantasiam turbando repræsentationibus variorum ciborum, quos solebant avidissimè appetere; per hoc os eorum (ut dicitur) reddit aquosum, auget appetitum, facit eos sentire convulsiones stomachi, ac imprimit imaginationem, quòd calor naturalis defectu alimenti incipiat agere in humidum radicale cum notabili præjudicio sanitatis, & abbreviatione vitæ; quarè tales sunt pleni cogitationibus de cibo & potu, etiam tempore divini officij; facilè millies cogitant quandonam erit tempus comedendi; sæpiùs, etiam tempore devotionis, deliberant petere licentiam extra horam comedendi, vel bibendi, sibi persuadentes id suæ sanitati planè esse necessarium, seque ad id petendum obligari, verùm quia sunt pudibundi, & verentur hanc suam tentationem superiori aperire, non rarò tentan-

Tentatio ad gulam.

Sub prætextu necessitatis.

Vt comedant furtivè.

tentantur, ut sine venia extra tempus ordinarium comedant vel bibant, ac ut dicitur, furtivo bolo fruantur, cogitandô, quòd *necessitas non habeat legem*; sentiunt in se aviditatem vescendi cibo lautiori; dum audiunt instare dies recreationum, cor eorum videtur exultare; dum sunt extra Superioris oculum, tentantur, ut seligant meliorem panem vel majorem portionem, imò ut accipiant portionem alterius, vel duplicem, dum illis obtingit minor, vel vilior portio, tum sentiunt aliquam displicentiam, & cordis dolorem; dum eorum gustui portio non arridet, sentiunt se inclinatos ad murmurandum contra coquum, contra œconomum, vel etiam contra superiorem, præcipuè dum illis quidpiam negatur &c. Vt seligant lautiora.

Ubi rursus cernitis animam Deo servire volentem durâ affligi tentatione, quæ etiam plurimùm impedit, quo minus sua spiritualia exercitia cum fervore, spirituali gustu, & debitâ perfectione absolvat; eò quòd sensualitas illa sit in causa, quod non sapiat ea, quæ sunt Spiritûs Dei; sicque est in periculo tentationi succumbendi non sine notabili præjudicio profectûs spiritualis. Tentatio gulæ impedit profectum spiritûs.

CAPUT IX.

Efficacia remedia ad vincendam Gulam & sobriè vivendum.

Quid igitur remedij, ut anima hìc victrix evadat? debet imprimis cum humili animi candore suam tentationem aperire Patri spirituali, sinendo illum judicare, & discernere de sua necessitate edendi & bibendi; debet etiam sibi persuasum habere, se jam assimilari mulieri impregnatæ, quæ miris agitur appetitibus, etiam ad cibos noxios; quòd propterea non possit malè facere, sequendô in omnibus consilium Superioris, vel Patris spiritualis, licet fortassis sensualitati contrarietur: ideò debet firmiter resolvere, quod citra ejus scitum & voluntatem, extra communes refectionis horas nè vel bolum sumet, vel haustulum bibet. Remedia contra gulam. Primum remedium. Non comedere vel bibere sine venia.

Secundò semper suum tam extraordinarium appetitum suspectum habeat, ac reputet esse tentationem, atque ut talem rejiciat: propterea expediet firmum facere propositum sese contentandi communi aliorum portione statuto tempore & loco, per se loquendo, nunquam jentandi, aut extra refectionem bibendi, quantacumque siti vel fame premi videretur; experientia enim docuit, quòd talis resolutio efficere potens sit, ut natura sensualis omittat omnem spem appetitum sequendi; eò quòd anima talis propositi seu resolutionis tenax, phantasiam facilius compescat, ne circa cibum & potum frustrà se occupet, & appetitum sensitivum secum trahat: Secundum remedium. Extra horam refectionis non edendum vel bibendum.

sicque paulatim tentatio gulæ enervatur, evanescit, præsertim etiam, quia diabolus cernens se cum suis suggestionibus & fallacijs nihil proficere, sed efficacia istius resolutionis semper vinci ac repelli, cessat tandem hac impugnatione eam vexare.

Tertium remedium.

Necessaria suo tempore sumenda, sed cum studio mortificationis admixto.

Occasio gaudendi de mala portione.

Tertiò. Dum talis anima necessarium sumit alimentum, aliquo usque naturæ satisfaciat necessitati, ita tamen ut sanctæ Sobrietati semper det locum, magis sollicita de spirituali pabulo, quam de corporali: moderetur etiam omnem in refectione præcipitantiam, nimiam aviditatem, voracitatem, sensualitatem; meminerit etiam sæpius se mortificare in parvis rebus, v.g. abstinendo subinde à sale, à synapi, à calefactorio &c. eligendô quod vilius est, dum habet optionem; gaudendô, dum portio minus bona, eò quòd tunc habeat ansam se mortificandi, & sanctæ paupertatis effectus gustandi: sicuti enim homo sæcularis lætatur, dum videt inimico suo aliquam injuriam fieri, aliquam molestiam inferri, aliquod incommodum accidere; ita etiam qui vitæ spiritualis professionem facimus, cum corpus nostrum sit hostis noster domesticus, debemus lætari, dum offertur occasio illud mortificandi, vel aliquam illi molestiam inferendi. Quod si aliqui deprehendant suum appetitum sine modo inclinari in cibum & potum; sic ut ægrè possint compescere cogitationes de illis; inde sumere debent occasionem profundè sese humiliandi, attendendô quòd ita ferantur in sensualia, & adeò sint segnes ad spiritualia: hinc etiam elicere debent occasionem sese exstimulandi, & à Deo ampliores gratias postulandi, ut deinceps ferventiori desiderio, & fame ardentiori appetant cœlestia, & divina: Deinde etiamsi se ita propensos experiantur, quoad partem sensitivam, cavere tamen summè debent, ne affectu adhæsivo quoad partem rationalem sese eò ferri sinant, sed potius mentem intereà ad Deum elevatam teneant; sic ut quoad sensus comedant & bibant, quasi non comederent & biberent secundùm adhæsionem voluntatis, sed alium cibum invisibilem masticandum haberent, puta, adimpletionem voluntatis Dei, qui ita voluit nos creare, ut similibus necessitatibus viveremus obnoxij; id quod Christus insinuavit, dum dixit; *scit enim Pater vester cælestis, quia his omnibus indigetis*, nempè ut corporalis vita sustentetur; ita tamen, ut rebus necessarijs discamus uti in spiritu, in Deo, cum Deo, per Deum, & secundùm Deum.

Tentatio gulæ est occasio humiliationis.

Elevanda mens in Deo tempore refectionis.

Matth. 6.32.

Quartum remedium gulæ

Offerenda difficultas & molestia famis & sitis Deo pro pœnitentia.

Deniquè si extrà refectionis horam magnam sentias difficultatem in jejunandô, in abstinendô, in famis vel sitis molestijs perferendis, cogita te velle illam molestiam offerre æterno Patri tanquam opus pœnitentiæ, in unione jejunij Christi, ad honorem famis illius, nam *postquam jejunasset, posteà esurijt*, item in memoriam ardentissimæ illius sitis in Cruce, dum dixit, *sitio*; aut etiam offer illam incommoditatem in eadem unione pro animabus purgatorij, pro conversione peccatorum, vel pro postu-

postulanda à Deo speciali aliquâ gratiâ; siquidem id Deo summè erit gratum, & experientiâ disces, quia *non in solo pane vivit homo, sed de omni verbo, quod procedit de ore Dei*, id est, de gratia Christi, qui est Verbum Patris æterni. *Matt. 4. 4.*

CAPUT X.

Quomodò incipientes aliquandò vexentur ariditate, & fervorem per violentiam frustrà velint acquirere, ac per hoc in multos labantur defectus.

ALios advertit malignus spiritus incipientes Deo servire cum magno fervore, diligentia, vigilantia & assiduitate in oratione; quia verò maximè timet, ne tales sic procedendô, omnes laqueos diabolicos facilè subterfugiant, & brevi tempore ad magnam perfectionem pertingant, ideò omnem movet lapidem, quo eos ab orationis studio divertat; vel, dum hoc illi non succedit, molitur illos seducere sub specie boni: audite, qualiter procedat: attendens ad illum zelum & fervorem, subindè ex una parte conatur illum per multitudinem distractionum diminuere; ità ut eos ponat in extraordinaria ariditate, & derelictione spiritûs; nam etsi de facto, tales à Deo non deserantur (nisi fortè quoad sensibilitatem gratiæ) sed per efficaciam gratiæ, etiam inperceptibiliter continuò trahantur & roborentur; attamen cum hæc tractio & roboratio spiritualiter fiat, & suggestio diabolica sensibiliter, istam tractionem vix discernunt; aliundè tamen iste versipellis serpens eos exstimulat, ut cum violentia conentur redire ad primum fervorem, etiam quoad sensibilitatem; quarè isti putantes illam exstimulationem venire à Deo, inferunt vim suæ phantasiæ, ut eam sedent, & omnes, quibus scatet, vanas imaginationes indè depellant, conantur etiam magno labore memoriam & intellectum assiduè elevare, atque occupare in sublimi contemplatione; sed quia phantasia à diabolo planè turbata & distracta, rationem potenter aggreditur, obfuscat & obnubilat, ideò cum omni suo conatu & violentia nihil aut parum proficiunt, sed potiùs sibi nocumentum conciliant; nam paulatim magis & magis turbantur, inquietantur, desolantur, ac cerebrô eorum, vehementi & continuâ violentiâ oppressô & debilitatô, suprà modum lassantur, & enervantur, quod advertentes plurimum affliguntur, eò quod videant se cum omni suâ diligentiâ & conatu nihil proficere, sed potiùs deficere.

Tentatio ferventium per ariditatem.

Diabolus conatur impedire studium orationis.

Per ariditatem.

Exstimulat ad pristinum fervorem cum violentia recuperandum.

Violentia non juvat in statu ariditatis.

Qui cum violentia sensibilem fervorem quærunt, multa mala incurrunt.

Hinc venit, quod die ac nocte quiescere non possint; nam cogitationes eorum sunt nimis multiplices & vivaces, easque per nimias reflexiones fovent; noctes integras ducunt insomnes; hinc exinanitur quasi caput illorum, & sensus interni ità debilitantur, ut ad omnia exercitia spiritualia fiant inepti, & subindè mentis expertes. Prætereà per talem inquietudinem & turbationem incipiunt infirmari corpore, eò quod spiritus vitales de stomacho, seu pectore ascendant ad caput, sicque cibus in stomacho manens indigestus defectu caloris naturalis, vertatur in malos humores, qui posteà magnas debilitates, angustias pectoris, stomachi languores, & alias causant infirmitates; ità ut jam vitam communem sequi non possint, & multis particularitatibus indigeant; undè & fiunt omnibus molesti; ac postmodùm, dum omnia non ex voto procedunt, vel hinc indè aliqua desunt, fiunt in semetipsis tædiosi, impatientes, melancholici; alios facilè accusant de exigua charitate, ac in varias alias incidunt infirmitates.

Fiunt inepti ad omnia, infirmi &c.

Ex quibus patet, quantâ moderatione, & discretione opus habeant qui ex factione diaboli, primi fervoris sensibilitatem amittentes, relinquuntur in ariditate; ne nimis impetuosè, & violentè sensibilem fervorem frustrà volentes recuperare, in prædicta labantur incommoda; verùm de horum remedijs, plura in sequentibus.

CAPUT XI.

Quomodò aliqui immoderato fervore decipiantur & in multas incidant tentationes.

Tentatio ad inordinatum fervorem.

Diabolus causat inordinatum fervorem.

ALijs insuper malignus spiritus utitur astutijs ad deceptionem animarum ferventium: dum enim eas superare nequit ariditate, ut prædictum est; tum aliam tentat extremitatem; quocircà juvat earum fervorem, dat illis suavitatem in oratione, infundit teneram devotionem, & provocat ad dulces lacrymas, variè scilicet movendô & afficiendô illarum potentias sensitivas, & sic prædicta causandô: quibus animæ istæ allectæ sibi persuadent hæc omnia provenire à Spiritu sancto, cujus proindè impetum existimant sequendum: ideò jam libenter multò plus temporis, quàm cæteri omnes, impenderent meditationi, & alijs orationibus; inclinatas se sentiunt ad medias noctes insomnes ducendas in contemplatione, vel precibus, etiam sinè obedientia, eò quòd putent Deum id ab illis requirere; plurimas assumunt orationes vocales, nec videtur ipsis satis mentaliter orare; faciunt sibi vim, ut præsentiam Dei per corporales imaginationes semper

Fervor inordinatus.

ſemper ob oculos habeant, ità ut indè concilient ſibi dolorem capitis, & ad exercitium orationis fiant inhabiles; tales facilè fiunt tenaces proprij ſenſûs, pleni amore proprio, nec purè Deum quærunt, ſed paſſim ſeipſos; volunt tamen ſeſe exercere in oratione, ſed ſinè profectu in virtutibus, eò quod eorum oratio à Deo non ſit illuminata, ſed potiùs à malo ſpiritu; nec etiam affectiones, quas in ea videntur habere, veniunt à Spiritu ſancto, ſed, ſaltem magna ex parte, à malo; eorum oratio non fundatur in humilitate, & ideò nihil indè boni ſperandum eſt.

Cauſat infirmitates & defectus.

Non prodeſt ſed nocet.

Hìc rurſum videtis, quomodò ſatan ſe transfiguret in Angelum lucis, ut etiam animas ferventes, quæ piè volunt vivere in Chriſto, illaqueet; hìc cernitis quàm ſubtiles ejuſmodi patiantur perſecutiones ab hoſte inviſibili, qui illis etiam ad bonum videtur calcar addere, ſed cum ordine ad malum finem, cum intentione miſcendi ubique propriam voluntatem, ſicque paulatim animas in ruinam præcipitandi. Diabolus inter alias, quas Chriſto Domino machinatus eſt, tentationes, *aſſumpſit eum in ſanctam Civitatem, & ſtatuit eum ſuprà pinnaculum templi.* Idem mihi facere videtur cum his animabus; nam aſſumit eas in ſanctam Civitatem, id eſt, eas elevat ad ſublimem (ut videtur) modum orandi; ità ut ex nunc exiſtiment ſe manſionem habere in cæleſti Civitate Jeruſalem, ac pertigiſſe ad culmen vitæ contemplativæ; tunc ſuggerit illis ſatan, quòd non debeant curare corpus ſuum, quod nihil ipſis ſit curandum, ſed quod liceat ipſis ſequi impetum ſui ſpiritûs, in magnâ & continuâ vitæ auſteritate; atque hoc ſenſu dicit illis diabolus id quod olim Salvatori, ſi per gratiam, *filius Dei es, mitte te deorſum*, expone te ad illa vel illa opera facienda ſecundùm fervorem ſpiritûs; non potes agere nimiam pœnitentiam; non potes te nimium dare orationi & meditationi, quamtumvis magnam in ea ſentias difficultatem; non eſt, quòd angaris pro tua ſanitate corporali; reſpice ad ſanctos Patres, quomodò ferè vixerint ſinè cibo & potu; ſi filius Dei es, poteris eis aſſimilari, abſque eo quod tibi noceas, vel ſanitatem lædas; *dimitte* ergò, *te deorſum* eorum exemplo, ſinè timore corpus macerandô, & extraordinarijs pœnitentijs affligendô; nam *Angelis ſuis Deus mandavit de te, qui in manibus portabunt te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum*, id eſt, confide, quòd modo ſupernaturali corporis ſanitatem poteris conſervare. Ecce Chariſſimi, quantâ calliditate antiquus ſerpens utatur, ut animas ferventer incipientes decipiat ſub ſpecie boni; & conſequenter, quàm diſcretè & prudenter illi oporteat ſe opponere.

Diaboli fallacia & mala intentio per fervorem inordinatum.

Matt. 4. 4.

Exſtimulat ad auſteritates extraordinarias.

Ibidem.

Intendit animas præcipitare.

Ad omnia facere ineptas.

Pſalm. 90.

CAPUT XII.

In quo consistat vera devotio; quomodò distractiones inadvertenter transire, & omnes tentationes in arce rationis superare oporteat cum tranquillitate; quæ sunt remedia prætactarum tentationum.

Vera devotio in quo consistat.

In promptitudine ad omne Dei placitum.

In ariditate violentia cavenda est.

VUltis doceri bonam praxim? attendite; anima Deo servire incipiens, quæ est bonæ voluntatis & zeli, debet primò scire, quòd perfectio nullatenus consistat in aliqua sensibili devotione, aut fervore, sed in plena sui resignatione ad omnia, quæ Deo placebit ipsi immittere, vel circa illam permittere, sivè amara, sivè dura; sivè lucida, sivè obscura; sivè naturæ placentia, sivè displicentia; sivè consolatoria, sivè desolatoria &c. quocircà etiamsi omnia ejus exercitia verti videantur in amaritudinem, non debet sibi attrahere, sed semper omnem, sivè internam, sive externam difficultatem strenuè transire, sese contentandô in solo beneplacito Dei; quarè tunc cavere debet, ne magnam sibi vim inferat; nam diabolus tunc ex permissione Dei eam aggreditur cum magnâ potentiâ, contrà quam ejus violenta resistentia parum poterit; ut autem non succumbat, utatur hôc modô, omnes impressiones imaginarias, quantum poterit, inadvertenter pertranseat, nec eas ullatenus revolvendô, vel voluntariè ad illas reflectendô, foveat; nihil tunc melius, quàm potentias internas suspendere à suis operationibus, & evacuare ab omnibus speciebus, & imaginationibus; quamvis autem ejus potentiæ sensitivæ similibus scatere videantur, eas tamen non attrahat, sed sinat abire sinè voluntariâ reflexione velut aviculas, quæ advolant, & avolant sinè ejus cooperatione aut consensu; quò quis magis conatur abigere cyniphes; & crabrones, eò ab illis magis importunatur & vexatur; ità etiam, quò talis anima magis operosè se opponit volantibus cogitationibus, imaginationibus &c. eò ab illis magis obruitur, & inquietatur; sic ut videatur irritare crabrones; quarè consultius sese tunc continebit, modestè subterfugiendô & evadendô omnes illas distrahentes cogitationes, suaviter compescendô phantasiam, ejus operationes & vivas repræsentationes quietè dimittendô, imò etiam pro tunc memoriam, intellectum & voluntatem, sinè operationibus, quantum fieri poterit, continendô.

Modus superandi tentationes & distractiones sinè resistentiâ positivâ.

Cum violentiâ anima nihil proficit.

Potentiæ sensitivæ quomodò pacandæ per

Sicut aqua turbida non potest clarescere, quamdiu movetur, sed potiùs, dum quiescere permittitur, & conceditur ocium, quo omnes sordes in

in fundo congregentur; ità etiam infimæ potentiæ animæ sunt in tali statu velut aqua turbida nec melius depurari, & desæcari possunt, quam dum omnes imaginationes; & passionum commotiones, concupiscentiæ affectiones sinuntur quiescere, non foventur, non attrahuntur, sinè voluntariâ advertentiâ vel reflexione suaviter dimittuntur; econtrà magis turbantur, inquietantur, & confunduntur, dum unam imaginationem per alteram pellere, uni sensibilitati per aliam mederi, & partem sensitivam, positivè resistendô, tranquillare volumus. Hic modus procedendi utilis est in omni genere tentationum, ut eas facilè superemus, & semper quieti ac tranquilli maneamus.

quietem, non operationem &c.

Ut autem præfatum modum distractiones & tentationes superandi melius in praxim reducamus, distinguenda est in homine duplex pars, scilicet, inferior, & superior, quæ utraque suas habet potentias; in parte inferiore seu animali sunt phantasia, seu potentia imaginativa, sensitiva, irascibilis, æstimativa &c. in parte superiori seu rationali, intellectus, memoria, voluntas; secundùm partem inferiorem homo est similis brutis animalibus; secundùm superiorem Angelis: pars superior est quasi mansio, seu arx animæ rationalis; pars inferior est quasi area exterior, in qua anima est veluti extra suum centrum; ex quo ulterius colligere est, quòd quamdiu anima sese strenuè continet in parte superiore veluti in forti castro, tam diu non debeat curare, quomodò pars inferior sit constituta vel non; & quamvis potentiæ ejus commoveantur, & indecentibus affectionibus, distractionibus, tentationibus repleantur, anima non plus hoc debet curare, quàm si quis canem ligatum audiret latrantem, vel in domo existens, leonem foris rugientem, vel conclusus in forti castro turbam tumultuantem; equidem anima se continens juxtà dictamen rectæ rationis, & persistens in bona voluntate, nullum indè nocumentum timere debet; potest enim ibi quieta, tuta & secura consistere, tanquam in loco benè munito, ubi nullus ei nocere potest, nisi suâ sponte illam munitionem deserat, & per vitiosam curiositatem volens inquirere, quid agatur in parte inferiore, ibidem quasi vi obruatur, vel allecta ad sequendum potentias sensitivas, partem superiorem cum suis potentijs sinat invadi; id quod fit per consensum voluntatis rationalis in aliquam malam tentationem: quocircà quemadmodum stultè ageret, qui existens in munitissimâ turri, vellet caput exponere per fenestram, vel portam aperire, dum deforis audit aliquos malevolos jaculari contrà turrim, vel aliter minari, vel dum percipit rugitum famelici leonis, vel ululatum alterius belluæ ferocis: ità etiam stultè agit homo, qui cinctus forti muro divinæ gratiæ, & in arce bonæ voluntatis tutus, per vanam curiositatem vult attendere, vel inquirere, vel nimium reflectere ad tumultum & commotionem partis sensitivæ,

In homine est pars inferior & superior.

Rationalitas arx animæ.

Non curanda commotio partis inferioris, dum voluntas bona est.

Non reflectendum nimis ad partem sensitivam.

sitivæ,

ſitivæ, nam ſic ſeſe exponit periculo, ne ab ejus potentijs animalibus lædatur vel ſuperetur.

Quamobrem unuſquiſque ſe aſſecuret, & fortificet in arce bonæ voluntatis, tentationes partis inferioris non magis attrahens, quàm ſi extrà ipſum fierent; nam ſicut canis ligatus neminem mordere poteſt, ac proindè eum nemo timere debet, niſi ſpontè ad eum accedat; ità etiam non debet homo nimis anguſtiari, aut terreri propter commotionem & malas inclinationes partis ſenſitivæ, nec ab illa lædi poteſt, niſi liberâ voluntate conſentiat; verùm hic diſcurſus eſt nonnihil extrà propoſitum, quamquam valdè utilis ad diſcendum, quomodò pleriſque tentationibus reſiſtere ac eas placidè ſuperare oporteat cum tranquillitate & ſecuritate animæ. Redeo ad propoſitum.

Tentationes ſenſibiles non timendæ.

CAPUT XIII.

Quomodò ſinè violentiâ Deum præ oculis habere, & Superioris conſilium in omnibus ſequi, ac omnes extremitates in bonis operibus vitare oporteat.

Cavenda in oratione violentia, & multiplicitas.

DEindè, incipientes, in ſpiritualibus ſuis exercitijs, ſpeciali devotionis teneritudine præventi, cavere debent, ne ex proprij ſpiritûs impetu, multas extraordinarias, & inopportunas meditationes vel orationes faciant; ne ultrà tempus permiſſum vigilent, ne præſentiam Dei ſub aliquâ corporeâ repræſentatione, violentè ob oculos habere conentur; ideò ſe debent exercere in magnâ ſimplicitate, ſinè multiplicitate orationum vocalium, juxta doctrinam Chriſti docentis, *orantes nolite multum loqui ſicut Ethnici faciunt; putant enim quod in multiloquio ſuo exaudiantur*, orate in fide, *ſcit enim Pater veſter quid opus ſit vobis, antequam petatis eum.*

Matt. 6. 7.

Ibidem.

Præſentia Dei exercenda per ſimplicem fidem.

Quantum ad Præſentiam Dei, illi poſſumus paulatim aſſueſcere in omnibus locis & rebus, per ſimplicem intuitum divinæ Eſſentiæ, quæ implet cælum & terram, ac *operatur omnia in omnibus*; idquè facilè eſt per ſuave exercitium fidei, ſine imaginatione alicujus rei corporeæ; cum intimis hinc indè aſpirationibus, & amoroſis ad eamdem Eſſentiam converſionibus, ſive violentatione ſpiritûs, pro ut alibi fuſius deduximus.

Iudicio Patris ſpiritualis acquieſcendum.

Prætereà, incipientes nunquam debent niti proprio judicio, imò nec quibuſvis, quas ſentiunt, inſpirationibus; ſed omnia ſua cum Patre ſpirituali fideliter conferent, quo ejus in omnibus ſequantur conſilium; ejus committendo judicio, an iſtæ inſpirationes, inſtinctus, & impetus ſpiritûs à Deo veniant, an non? à malo ſpiritu ſint, an à bono? præcipuè autem

in

mni exercitio virtutum sibi cavere debent ab omnibus extremitati-, id est, ne nimis multum, & nimis parum, seu ne committant excess-i vel defectum; nam *virtus consiliis in medio*; ideò omnem instinctum ad raordinarias austeritates, jejunia, vigilias, & quidquid est extra benè ulatam & communem vitam, suspectum habeant: verumtamen, quia e animæ plerumque sunt anxiæ dum ferventia illa desideria non exactè equuntur; imò interiùs quasi adigi videntur ad similia, in speciem, bona era, puta, ad singulares pœnitentias, ad pernoctationes in oratione, similia; eò quod timeant durâ cervice, resistere Spiritui sancto, & ne-igentiæ insimulari in exequendo beneplacito Dei; idcircò, quantum est e se, sint semper in præparatione animi, ac pleni bonis desiderijs servien-i Deo in omni austeritate, sed non sine plenâ resignatione in voluntate c arbitrio Superioris, seu Patris spiritualis, sine cujus nutu nihil notabile ggrediantur; nam ut sentit sanctus Basilius, sine consensu superioris ali-quid agere, etiam bonum, puta, jejunare, diu vigilare, cilicium gestare &c. præsumptio est; caveant etiam talem consensum cum importunitate à Superiore extorquere; alioqui enim semper sunt in periculo faciendi propriam voluntatem, potiùs quàm obedientiam; ideò sint resignati, & indifferentes ad omnia, sine propriâ electione, si nolint decipi.

Cavenda extrema; virtus in medio.

Nil sine consensu Patris spiritualis faciendum.

Denique, dum in se deprehendunt indiscretum fervorem, & vehementia desideria ad singularem aliquem vivendi modum, quantumcumque sublimem, qui corpus valdè attenuaret, sibi persuadeant se à diabolo cum Christo tentari supra pinnaculum templi, ut dimittant se deorsum; ideoque Christum etiam imitentur in modo talem tentationem superandi, dicentes; scriptum est, *non tentabis Dominum Deum tuum*; id est, nihil facies extra rationem, & mediocritatem, non assumes aliquem modum vivendi, in quo secundum communem cursum naturæ te non possis continere, aut perseverare sine miraculo; nam hoc est tentare Deum.

Magnæ austeritates vitandæ.

Matt. 4.

Ne Deum tentemus.

CAPUT XIV.

Quomodò tententur incipientes, qui probarunt mundum.

MOdis jam anteà explicatis, veluti proprijs industrijs & fallacijs, aut etiam mediante naturâ corruptâ, nititur serpens antiquus incipientes à bono proposito divertere, ac per malas suggestiones, eorum profectum spiritualem vel ex toto, vel ex parte impedire; sed aliquos aggreditur & tentat, ut postquam miserunt manum suam ad aratrum, respiciant retrò, & instar Uxoris Loth convertantur in statuam salis, sicque fiant

Tentantur incipientes ad statum deserendum.

inepti regno Dei: audite modum hujus tentationis; quando Deus manu potenti, seu ex gratia speciali de sæculo nequam extrahit aliquos, qui multa viderunt, & audiverunt, qui mundum omnimodè experti sunt, qui voluptatibus dediti, in delicijs enutriti, libertatibus fuerunt assueti; tales ordinariè difficilem sustinent agonem, terribiles à carne, à mundo & diabolo patiuntur impugnationes, antequam sese totaliter possint resolvere; quod fit, eò quòd mundus sub larvâ juvenis, vegetæ, divitis, deliciosæ, ac formosæ puellæ, eos alliciat ad omnem vanitatem, quasi sine fine victuri essent in omnibus delicijs; ab unâ parte illis ob oculos versantur voluptates statûs conjugalis, & instigante carnis concupiscentiâ ad illum inclinantur; ita ut ipsis videatur impossibile castitatem illibatam servare, & sine mulieribus vivere; in memoriam etiam redeunt recreationes, quibus frui solebant in conversatione cum sibi similibus, in lusibus, risibus, saltibus; reminiscuntur jucunditatis, & temporis hilariter transacti in venationibus, in aucupationibus, in piscationibus & similibus; Item lautitiæ in convivijs, in quibus lautissima diversi generis vina gustabant cum lætitiâ; in mentem redeunt delectationes haberi solitæ in spaciationibus, in amænorum hortorum lustrationibus, in rerum curiosarum inquisitionibus; ruminant etiam dignitates, status, honores, ad quos homines suæ sortis solebant aspirare & pertingere; denique si quid in mundo sit reperibile, quod vel solam umbram boni, vel utilis, vel delectabilis, vel honesti habet; id ipsis fallax mundus ostentat, & ad vivum repræsentat, quò eos à salutari proposito devertat; & præsertim diabolus hìc occupatur, ut repræsentationes istorum omnium eorum mentibus vivacissimè imprimat; ita ut per eas tentationi succumbere videantur, stentque ferè in bilance, an vocationem suam omninò deserere velint, eò quod ipsis impossibile appareat, omnes voluptates, recreationes, commoditates, divitias, honores pro totâ vitâ suâ abnegare, omnibus, ac sibi-ipsis renunciare, & tollere crucem suam quotidiè, absque eo, quod posteà liceat illis cor suum apponere.

Tentatio eorum, qui probarunt mundum.

Per memoriam rerum delectabilium.

Memoria terrenorum refricatur.

Hæc tentatio adhuc augetur ex eo, quòd mundus & diabolus ipsis obvolvant adhuc plurimos, quibus cum plenâ sanitate vivere possunt, annos; persuadendo, quod in quovis statu salutem operari liceat, dummodò maneant in fidê catholicâ constantes, & subindè exerceant aliqua bona opera in observantiâ mandatorum Dei & Ecclesiæ; malignus satan illis etiam indit, quod etiam in sæculo aliqui boni manere debeant; quibus tamen desperandum non est de suâ salute; quòd proinde satis temporis postmodum sint habituri pro agendâ pro peccatis pœnitentiâ; quòd divinæ justitiæ facilè possit satisfieri, quòd Deus sit facilè placabilis, & præstabilis super malitiâ, quòd cum uno actu contritionis, & gemitu momentaneo etiam

Fallacia mundi & diaboli promittentium multa bona.

iam in ultimo vitæ articulo peccata possint remitti, &c. Ubi videtis, quomodò satan agat partes suas, ac similes seducere conetur.

Verum qui sunt verè vocati, & à Deo tracti, per ista omnia, etsi gravissimè oppugnentur, non tamen expugnantur, sed velut aurum electum in vehementissimæ illius tentationis igne probantur, purgantur, & in vasa gloriæ paulatim efformantur; in quo ut sese juvent, per ferventes meditationes student deponere larvam mundi, considerandô ejus fallacias, fortunæ instabilitatem; considerant, quod mundus transeat, & concupiscentia ejus, quod vita hæc sit brevissima, & hora mortis incerta; quod honores, voluptates, recreationes, sint vapor ad modicum parens, & subitò evanescens; quod qui veniam pœnitentibus promisit, tempus verè pœnitendi non promiserit; quod multi quidem ducant in bonis dies suos, sed posteà in puncto ad inferna descendant; unô verbô, annos æternos in mente habere satagunt, & sic mundum, & ea, quæ in mundo sunt, vilipendere discunt; nec illis animum occupare volunt, invocantes auxilium gratiæ, quo sensibilium bonorum speciem abdicare, & ad sola cælestia mentem erigere possint.

Verè vocati non succumbunt tentationi.

Illuminantur de fluxitate rerum mundanarum.

CAPUT XV.

Quomodò incipientes à diabolo tententur per repræsentationem vanitatum mundi; & quomodò Spiritus sanctus in contrarium operetur.

SAtan pro tertiâ tentatione, quâ Salvatorem nostrum impugnavit, *iterum assumpsit eum in montem excelsum valdè, & ostendit illi omnia regna mundi, & gloriam eorum, & dixit ei, hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me*; similem tentationem molitur diabolus contra plures, qui piè volunt vivere in Christo; siquidem hos ponit in monte excelso, id est, conatur eos elevare ad magnam de se præsumptionem; ita ut tententur sibi persuadere, quod nemo sit ipsis similis; eis incidit, quod sint ad omnia idonei; extolluntur ad altitudinem vanæ gloriæ, & vanæ de se jactationis; hinc sentiunt se proclives ad alios tanquam se inferiores, & abjectiores contemnendos. Porrò in hoc excelso monte bonæ de seipsis opinionis, ostendit, & ad oculum quasi demonstrat diabolus omnes sublimes status hujus mundi, & insufflat, quod ad omnes habeant idoneitatem, ac proindè ad omnes possint attentare prætensionem; deindè ostendit illis gloriam illorum statuum, id est, claram cum laude notitiam, commoditates, voluptates, & omnia bona hujus mundi;

Incipientes tentantur assumpti in montem, quo sensu?

Matt. 4.

Tentatio ad præsumptionem.

Diabolus ostendit omnia regna mundi, quo sensu?

Id autem potuit fecisse Salvatori, & adhuc sæpius facit animabus ad vitam spiritualem verè vocatis, hôc modô; in phantasiâ illarum causat perfectam repræsentationem, & velut vivas picturas omnium voluptatum, & recreationum in particulari, omnis opulentiæ, pretiosissimorum monilium, & margaritarum, omnis fastûs, magnificentiæ, potentiæ, honestatis &c. in speciali, quæ per totum mundum inveniuntur; atque ut per claram hanc ostensionem, similes facilius & efficacius alliciat in sua retia, illis conatur suggerere & instillare spem inanem ea omnia, vel magnam eorum partem, assequendi, possidendi, & fruendi, dommodò, ut vulgò dicitur diabolo tantum velint accendere candelam, & eum saltem in actu exercito, etsi non in actu signato, per formalem intentionem, adorare, prætermittendô ea, quæ instinctu Spiritûs sancti proposuerant, & mundi cursum sequendo.

Dat vanam spem omnia assequendi.

Ubi iterum videtis aliquos ad piam vitam à Deo vocatos ab unâ parte fortiter allici per blanditias, lenocinia & vanas mundi promissiones, ac versari in proximo periculo seductionis, per sibilum serpentis infernalis ad mundum redire, & à cœpto proposito resilire suadentis; verum, ab alterâ parte, Spiritus sanctus subindè operatur in ijsdem efficaciter in contrarium; nam etiam in medijs mundi voluptatibus & delicijs, inspirat illis clarum intuitum vanitatis, & caducitatis earum, quomodò vix unciam dent dulcedinis, sed adducant integrum mare æternæ amaritudinis; in mentem eorum revocat quotidiana exempla multorum, qui in flore juventutis, dum cogitabant voluptatibus indulgere, concupiscentijs habenas laxare, divitias accumulare, honores & dignitates venari, improvisâ morte perierunt, alicubi in bello, in duello, vel alio infortunio: dum post varias inanes recreationes, in lusibus protervíam, in conversatione superbiam, post lauta slempodia, post deliciosa consortia, domum redeunt, tum sentiunt remorsum conscientiæ; quin-imò aliquandò in medio summarum suarum deliciarum, recreationum, voluptatum, interius ità per talem remorsum commoventur, ut uberrimas resolvantur in lacrymas, & vel inviti consortium deserere cogantur cum pudore; quidem istum remorsum per potum delicatum, per ciborum lautitiam, per cantiones & saltationes exstinguere nituntur, sed omnia frustrà; nam Spiritus sanctus eos trahit etiam sequi nolentes; in quem finem instillantur illis vivæ apprehensiones mortis, strictissimi judicij Dei, interminabilis æternitatis; quales apprehensiones sunt velut frænum, quo isti velut equi indomiti, refrænantur, & quasi vi retrahuntur, ne saltent in barathrum perditionis.

Gratia operatur in anima tentata, ut ad sæculum redeat.

Detegit pericula mundi.

Suggerit amaritudinem & remorsum.

Retrahit à consortijs.

Gratia & mundus certatim trahunt.

Ex quibus liquet, quomodò tales angustientur inter duo extrema, inter mundum, carnem & diabolum ab una parte, & inter Deum ab altera

parte;

parte; ac quomodò singuli certatìm trahant ex sua parte; hìc apparet similes premi inter medias undiquè tentationes, & diaboli ac mundi persecutiones; ex eo tantummodò, quod sit aliqua apparentia, quod piè velint vivere in Christo: quid ergò putatis fieri cum animabus, quæ jam à Deo tractæ in funiculis Adæ, in funiculis Charitatis, cum firma resolutione abrenunciant mundo,& omnibus, quæ in mundo sunt? qui proindè efficaci voluntate, de facto, piè in Christo pergunt vivere.

CAPUT XVI.

Aliæ tentationes eorum, qui mundum probaverunt.

QUandò similes sese sincerè dant vitæ spirituali; tum ingravescunt eorum certamina; rerum sensibilium species, seu repræsentationes in ipsis fiunt vivaciores; ità ut etiam tempore orationis, ac tempore præsertim internæ recollectionis, videantur esse in medio juvencularum lascivientium & levicularum; si audiant clangorem buccinæ, cor eorum ad militiam inflammatur; si vlulatum vel latratum canum venaticorum, toto affectu ad venationem abripiuntur; si serena aura arrideat, cellæ solitudo illis apparet intolerabilis; si fame premantur, dum interim abstinere coguntur, & sobriè tractantur, illis in memoriam redeunt jucunda consortia, in quibus solebant jucundari, genio liberrimè indulgere, & copiosum bibere vinum cum lætitia; si contingat illos in aliquo humiliari, humilibus obsequijs destinari, in mortificationibus exerceri, eorum menti obvolvitur honor, quem abdicarunt, obsequium famulorum, quo solebant præveniri, & alia anteactæ vitæ superbiæ conformia; qualibus & similibus imaginationibus, seu rerum mundanarum vivis apprehensionibus, quas vel inviti tolerare coguntur absque eo quod eas possint divertere, ità fatigantur, & obruuntur, ut tententur ad pusillanimitatem; lacrymantur velut pueri, veriti, quod numquam à similibus fient liberi, quod illas difficultates numquam poterunt perrumpere, quodque toto tempore vitæ erunt miserrimi; quod sit impossibile in tali lucta usque ad mortem perseverare, quam timent sibi semper remansuram, sine inducijs, sine cessatione animorum, sine ulla interruptione; undè etiam ruminare incipiunt, utrùm vocatio etiam sit à Deo, subdubitant, & metuunt, quod non, eò quòd jam Deus eos videatur deserere; præsertim dum attendunt, quod nullam orationem cum recollectione, cum bono affectu & cordis compunctione facere possint; quin-imò illa durante potiùs repleantur horribilibus blasphemijs contrà Deum, contrà Virginem Matrem, contrà alios sanctos,

Mundum experti vivacius tentantur.

Per memoriam rerum delectabilium.

Per repræsentationes voluptatum, honorum, &c.

Tentatio ad pusillanimitatem.

Per dubium de vocatione.

Per tædium in pijs exercitijs.

ctos, etiam tempore ſacræ Communionis; ſic ut nec die, nec nocte quieſcere valeant, ex eo quod vanitates rerum mundanarum adeò aſſiduè & inimpedibiliter mentibus eorum obvolvantur, ut omnem quietem impediant, & omnis quietis ſpem adimere videantur.

Ecce iterùm, quàm atroces patiantur perſecutiones, qui mundo renunciantes piè in Chriſto vivere incipiunt; quid mirum, Prophetia Apoſtoli debet impleri, quoniam *omnes, qui piè volunt vivere in Chriſto, perſecutionem patientur*: at quomodò poterunt ſuperare? quomodò tot difficultates perſtringere? quomodò victorioſi evadent in tam difficili & continuo certamine? audite, docebo vos.

CAPUT XVII.

Quomodo incipientes debeant ſequi directionem patris ſpiritualis, innixi Cruci Chriſti; juvat etiam memoria vitæ brevitatis, & æternitatis.

Incipientes indigent directione magiſtri.

QUi intendunt verè & ſincerè ſeſe dare pietati, debent imprimis cum magnâ humanitate ſe ſubjicere directioni & judicio alicujus viri ſpiritualis, qui illis conſtanter porrigat manum in omni occurſu malo, cujus ſanô conſiliô & efficaci apud Deum ac Virginem Matrem precatione fulciti, mare rubrum omnium tentationum valeant ſicco pede, ſine offenſa, ſine læſione, incolumes pertranſire: debent ſe ſinere ab eo manu duci, velut parvuli in Chriſto, qui necdum ſciunt ponere greſſum, ſed ſolummodò volunt diſcere incedere; idque cum tantò majori ſubjectione, & ſimplicitate, quantò magis mundi vanitatibus immerſi, & negocijs ſæcularibus fuerunt implicati; ſiquidem tantò ſeſe fragiliores debent profiteri ad hoc, ut ſoli incedant ſine ductore in viâ virtutis; nam ſicut unus, qui jam primùm à lethali infirmitate incipit convaleſcere, non præſumit multùm incedere, niſi nitatur brachijs alienis, vel bonô baculô; ità etiam, qui jam vix reſurrexerunt de morte peccati, de habituali infirmitate ſeu conſuetudine peccandi, retinent indubiè multas perverſas inclinationes, ratione quarum manent inepti, ad pedes ſuarum affectionum ſtabiliter dirigendos in bonum; ſunt etiam prætereà ſemicœci, & in periculo ceſpitandi in viâ; quocircà neceſſariò indigent aliquô ſuſtentaculô, adminiculô & directione alicujus Ducis ſpiritualis; uti quoque debent forti Baculô, ſeu ſemper confugere ad Crucem Chriſti, ut virtute, merito & efficaciâ illius, non ſint ampliùs debiles, ſed validi pedibus, id eſt, ut per gratiam Chriſti omnes eorum affectus rectificentur, dirigantur in viam pacis, ſolidentur

Ejus debent ſequi conſilium.

Præcipuè qui fuerunt valdè mundani.

Quarè?

Nitendum Baculo S. Crucis.

in

in bono, & eant de virtute in virtutem sic ut tandem dicere possint, *in baculo isto* (utique sanctæ Crucis) *transivi Iordanem* tentationum & persecutionum. Gen. 2.

Deindè sæpiùs mente revolvere debent brevitatem vitæ præsentis, incertitudinem horæ mortis, caducitatem ac instabilitatem omnium voluptatum & deliciarum, fluxitatem, vanitatem & vicissitudinem bonorum terrenorum respectivè ad æterna: vivâ etiam fide recolere debent ineffabilem pro modico labore, quam exspectant, æternæ vitæ mercedem; de quâ loquens Apostolus, ait, *nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ Deus præparavit timentibus se*; Item, *non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis*: Item *momentaneum hoc & leve tribulationis nostræ, æternum gloriæ pondus operatur in cælis*; undè commune fert adagium, *momentaneum est quod delectat, æternum, quod cruciat*: per has & similes maturas considerationes conentur in se excitare cordialem contemptum mundi, & omnium, quæ in mundo sunt; præsertim cum ritè sciant, se non posse duobus Dominis servire, Deo & mundo, hìc habere cœlum & post hanc vitam, esse amicos Dei & mundi; nam teste Jacobo Apostolo, *amicitia hujus mundi inimica est Deo, & quicumque voluerit esse amicus sæculi hujus inimicus Dei constituitur*, & juxta Joannis Apostoli testimonium, *si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo*; hæc autem & similia maturè perpendendô, paulatim magis animabuntur ad renunciandum omnibus, ut sic perfectiùs Deo adhærere possint.

Remedium contrà tentationem mundi.
Consideratio vanitatum, &c.
Bonorum æternorum.
1. Cor. 2.
Iac. 4. 4.
1 Ioan. 2. 15.

Verumtamen mundi vanitas aliquando illis tam vivaciter repræsentatur, ac mundus illis apparet tam benè ornatus & speciosus; ut vi concupiscentiæ sensitivæ eò quasi violenter rapi videantur; cujus ratio est, quia omnes illæ repræsentationes fiunt in potentijs sensitivis, adeoque sunt ex parte corporeæ, undè nec mirum, quod obfuscent animam, eamque impediant, ne penetret ea, quæ sunt spiritûs, nec ea apprehendat, prout oportet: porrò in tali occasione ità se gerant, ut scienter & violenter illis non inhæreant, sed se in Deo recolligere, æterna per fidem in mente habere, vel ad pedem Crucifixi sese continere assuescant, donec vivacitas phantasiæ & consequenter, appetitus sensitivi, paulatim evanescat.

Vivacitas mundanæ tentationis.
Ratio vivacitatis illius.
Quomodò vincenda.

CAPUT XVIII.

Quomodò per spiritualem simplicitatem imaginationes, & internas tentationes superare oporteat.

Simplicitas optimum remedium contra tentationes.

Quomodò exercenda?

VT in prætactis occasionibus & in tentationibus incipientes non succumbant, diligenter studere debent acquirendæ internæ simplicitati; quod congruè facient, conando vitare omnem multiplicitatem cogitationum, imaginationum, desideriorum, passionatarum operationum & similium: at quid remedij, ut hoc ritè redigatur in praxim? etiamsi imagines creaturarum ipsis ad vivum repræsententur, eas tamen non attrahant, sed pro ut veniunt, sinant abire, scilicet, sine voluntaria ad illas reflexione, vel positiva resistentia; nam dum illis non inhærent, nec eas attrahunt magis, quàm si extrà ipsos essent, nec eos tangerent; tunc non nocent animæ, nec eam efficaciter à bonis cogitationibus divertent, sed sensim suam vim amittent, & quasi evanescent; ita ut animæ non notabilem illaturæ sint molestiam; cujus ratio est, quia istæ repræsentationes, seu rerum species impressæ sunt fluxæ naturæ, quæ paulatim deficiunt, dummodò eas scienter & volenter non renovemus, aut foveamus, sed inadvertenter, sine adhæsione prætereamus.

Melius negativè quàm positivè resistitur tentationibus.

Modus superandi omnes tentationes.

Atque hic est modus optimus ad vitandam omnem inquietudinem, & animi perturbationem, ac suaviter vincendas etiam gravissimas tentationes; nam sic eas quasi subterfugimus, & modestè erepimus. Dum glans tormenti bellici supra caput prætervolat nihil melius, quàm se inclinare; dum cyniphes caput nostrum circumvolant, & molestant, nihil melius, quàm eos celeri passu prætercurrere; dum aliqua pictura minus casta præbet occasionem scandali, nihil melius, quàm oculos ab ea divertere, claudere, vel ad aliud convertere; ita etiam dum diabolus nos impetit sagittis ardentibus tentationum carnalium, nihil melius, quàm fugiendo eas declinare, vel scuto fidei extinguere, & divertere; dum multitudo inutilium, vel etiam noxiarum cogitationum, velut agmen importunarum muscarum nos circumdare & mordere velle videtur, nihil melius, quàm eas nullatenùs fovere, vel per voluntarias reflexiones renovare, sed modestè elabi, & sine advertentia subterfugere: dum rerum visarum vel auditarum species seu repræsentationes veluti vivæ expressæ earum picturæ versantur ob oculos mentis, nihil consultius, quàm obtutum intellectûs, & fidei nostræ convertere ad Deum, vel ad aliquid, quo interius nos occupare, à malo avertere, & ad bonum convertere, sicque per interiorem circa aliquid melius

Subterfugiendo.

Ad tentationes volenter non reflectendo.

Animum circa alia occupando.

lius occupationem, phantasiam ab illis distractivis speciebus avellere, expedire & in quamdam earum oblivionem inducere possimus; non tam, directè resistendo, quàm indirectè, circa alia nos occupando, vel pro posse internas animæ vires, non operando, seu à suis operationibus eas suspendendo, dulciter tranquillando. Potentias à suis operationibus suspendendo.

Itaque, quicumque supra-dictis vel alijs similibus tentationibus infestantur, caveant sibi, ne scienter & volenter inhæreant tumultui vanarum cogitationum vel repræsentationum, nec ad eas attendant, sed quantum in se est, conentur manere in simplicitate cogitationum, excludendo omnem multiplicitatem; ideò neque consultum est, in examine conscientiæ eas minutim & singulatim perpendere; verum dum non reminiscuntur se cum voluntaria advertentia illis inhæsisse, vel aliquam in illis delectationem admisisse, quin potius econtrariò, sese illas invito animo sustinuisse cum efficaci voluntate Deum non offendendi; maneant quieti, omniaque sua Deo plenè committant cum simplicitate cordis, confidentes de ejus fortificante gratia, quod paulatim omnes tentationes fæliciter superabunt, vel ita fient in militiâ Christianâ experti, ut eas amplius non curabunt; sed veluti veterani milites, in illa obdurescent, & occasiones luctæ spiritualis animo volenti amplectentur. Judas Machabæus, & milites illius, *præliabantur prælia Domini cum lætitia*, ita etiam incipientes, dum incipiunt habere experientiam vitæ spiritualis, tunc cum magna alacritate certant in palæstra virtutum, contra dæmonem, contra carnem, contra mundum; nec formidant à facie eorum, sed gratia Dei adjuti strenuè prosequuntur suam victoriam, & certamen ipsis servit quasi pro lusu & recreatione. Simplicitatem exercendo. Experientia dat facilitatem & alacritatem in tentationibus. 1. Machab. 3.

CAPUT XIX.

Quomodò in multis tentationibus, acceptabile Deo sacrificium fieri possit de illis, ad quæ quis tentatur.

DUm contingit, quod, qui mundum experti sunt, sed ei modò nuncium miserunt, sint in maxima lucta, ijsque omnes mundi deliciæ, divitiæ, & dignitates, speciosissimè ob oculos ponantur, tum possunt frequenter acceptabile Deo offerre sacrificium & facere oblationem omnium, quæ illis occurrunt, & à mundi amatoribus exoptari, desiderari & affectari solent; quocircà de omnibus illis conficiant fasciculum myrrhæ, & accendant igne divini amoris, sicque consecrent Sanctissimæ Trinitati ad honorem Matris amabilis, in unione cruenti sacrificij, quod Christus in Modus offerendi Deo ea, ad quæ tentamur. Fasciculus myrrhæ Deo offerendus ex rebus, ad quas tentamur.

monte Calvariæ obtulit æterno Patri; hoc autem fieri debet cum cordiali abnegatione, cum voluntariâ carentiâ omnium voluptatum, recreationum, bonorum, honorum, & omnium, quæ mundus illis offerre, aut promittere possit; v. g. si illis in mentem veniat, ô quàm est serenum! ô utinam jam liceret ire ambulatum, venatum, piscatum! ô si mihi liceret jam frui pulchritudine & delectabilitate hujus, vel illius creaturæ! cogitent, libenter careo istâ ambulatione, venatione, piscatione ad honorem Matris meæ Mariæ, in unione meritorum Christi ad satisfaciendum divinæ Justitiæ pro meis peccatis, pro meis, quos in illis aliquando feci, excessibus. Si premantur fame vel siti; cogitent, libenter jam abstineo ab omni lautitiâ cibi & potûs; libenter careo omni humano consortio, quo cum solebam genio indulgere, ad honorem Virginis Matris, in memoriam famis & sitis, quas Salvator amore mei sustinere dignatus est, in satisfactionem pro meo in cibo & potu excessu, vel ad solatium & refrigerium fidelium defunctorum.

Praxis Deo offerendi ea quæ natura appetit.

Si illis incidant dulces amplexus conjugatorum &c. carentiam istorum & omnium deliciarum, ac voluptatum, quarum repræsentatione tentari & allici possent, modô prædictô offerant æterno Patri; nec dubium, quin gratissima Deo, ac Matri amabili indies immolabunt sacrificia; sicque tam multum poterunt promereri, ac si de facto renunciarent omnibus, quæ in mundo sunt; eò quod actualiter affectum suum abstrahant ab omnibus ex amore Dei: tunc liberè & confidenter dicere possunt cum Principe Apostolorum, *ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid ergò erit nobis?* & procul dubio illis respondebitur, *centuplum accipietis in hâc vitâ*, per internam unctionem Spiritûs sancti, & per spirituale gaudium bonæ conscientiæ, *& vitam æternam possidebitis*; tunc ex omni flore mellificabunt; tunc reportabunt salutem ex inimicis suis, sumendo scilicet, occasionem promerendi ex tentationibus, quibus à carne, mundo & dæmone infestantur; tunc incipient in se verificare illud Apostoli, *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*, omnia, inquam, utique non solùm bona, non solùm indifferentia, sed etiam pessima, ad quæ caro allicit, quæ mundus repræsentat, diabolus suggerit; ecce enim cum sanctâ industriâ omnia indifferenter convertunt in bonum, ex omnibus referunt fructus industriales, ubique captant occasionem acceptissimum Deo immolandi sacrificium de omnibus, à quibus propter Deum abstinent; & quibus ex amore Dei libenter carent; idque tantò magis meritoriè, quantò vehementius se ad ea tentari sentiunt, & quantò libentius ea, ad quæ tentantur, Deo offerunt.

Quam Deo gratum sit hoc sacrificium.

Matt. 19. 27.

Tentationes serviunt ad profectum.

Fructus industriæ ex tentationibus.

Ex quibus discere licet optimam praxim, fæliciter superandi omnes carnis illecebras, & mundi lenocinia; discite hìc modum cum magno animæ

animæ lucro evadendi omnes dæmonis insidias: sanè mihi persuadeo, quod sic faciendo omnes facilè tentationes cessabunt, vel plurimum minuentur; nam malignus spiritus attendens, quod omnes suæ machinationes, omnia sua in animarum perniciem studia, omnes suæ insultationes tam malè succedant, quodque illæ animæ exindè eliciant opportuniorem occasionem promovendi negotia suæ salutis, potiùs desinet illos tentationibus appetere, cum tanto suo damno & ignominiâ; equidem ignominiosum sibi reputat, dum videt animas indè proficere, & sibi mellificare favum meritorum, in quibus ipsis jacturam gratiarum, & toxicum mortis æternæ præparare cogitabat.

Diabolus videns se cum tentatione non proficere, tentare desinit.

Conclusio totius tractatus.

Porrò ex omnibus, quæ præsenti tractatu perstrinximus, & adduximus de tentationibus piè in Christo vivere incipientium, omnes discere possunt aliquam methodum, praxim & media, quibus omnigenas tentationes victoriosè superent; siquidem per Dei gratiam in lucem prodidimus ordinarias tentationes incipientium cum remedijs earum; atque in omnibus alijs, quæ cuipiam sivè à carne, sivè à mundo, sivè à dæmone possent supervenire, quisque poterit sibi elicere & accommodare aliquod remedium ex ijs, quæ juxtà cursum ordinarium jam attulimus, ad gloriam Sanctissimæ Trinitatis, & ad honorem Matris nostræ amabilis, Virginis immaculatæ Mariæ. Amen.

Finis Tractatus secundi, Libri secundi.



TRACTATUS III.

De tentationibus eorum, qui in pia in Christo vita proficiunt.

CAPUT I.

Quomodò proficientes, velut aves spirituales à diabolo persecutionem patiantur; qualiter ejus retia effugiant, ac primò ex vermiculis fiant volucres.

Status proficientium. DUm anima ex sordibus peccatorum cum Dei adjutorio jam surrexit, omni studio cunctos malos habitus exuere satagit, & alas bonæ voluntatis, ac cælestium desideriorum acquirere incipit, omninò resoluta & parata evolare in Christo, proficiendò de virtute in virtutem; tum iterùm in mille versatur periculis incidendi in retia, alas vel pedes pici alicubi affricandi, aliquò malé avolandi, in muscipulam prolabendi, in manus aucupum veniendi, in ungues accipitris incurrendi, vel inter volandum infixione jaculi vitam perdendi; multæ igitur sunt tentationes proficientium, & quidem subindè eò periculosiores, quò occultiores & subtiliores, quàm tentationes incipientium. Diabolus autem hìc iterùm sese accommodat secundùm complexionem & humorem diversarum avium spiritualium; quarè velut callidissimus auceps, studet inquirere & explorare escam, quâ unaquæque libentiùs vescitur, quò sic eas meliùs alliciat, & in sua retia trahat.

Sunt similes avibus.

Eorum pericula.

Diabolus callidus auceps.

S. Antonius videt mundum plenum retibus, quæ soli humiles evadunt. Hæc erant retia, quibus S. Antonius plenum videbat, & obstupescebat mundum; quæ etiam intelligebat solos humiles posse evadere; humiles quippè velut parvæ aviculæ vel per humilitatem se deprimunt, vel ea perrepunt sine nocumento; eò quod se ubique humiliter & more parvulorum gerant, ità ut laquei mundi, & retia diaboli non videantur eos posse constringere, vel apprehendere. Sapiens exhortans quemdam, qui se de mundo retraxerat, & jam servituti Dei se consecrans, erat in procinctu, ut bono passu ambularet viam salutis, loquebatur in hunc modum; *si te*

lactaverint

lactaverint peccatores, fili mi, ne acquiescas eis; si dixerint, veni nobiscum; fili mi, ne ambules cum eis, prohibe pedem tuum à semitis eorum; pedes enim illorum ad malum currunt; ipsi tibi tetenderunt retia, ut te capiant, sed *frustrà jacitur rete antè oculos pennatorum*, Quocircà, si jam de statu incipientium ascenderitis ad consortium proficientium; si sitis de numero pennatorum, oculos habentium, frustrà mundus, frustrà diabolus antè vos tendit retia; nam illa vel facilè perrumpetis, vel liberè transvolabitis. Prov. 1. 16. Ibidem.

Est aliquod genus vermium, qui uno anno repunt, sed altero anno accrescunt illis alæ, quales, v. g. sunt bombyces, quæ acquisitis alis possunt avolare instar apum, & similium altilium, ità etiam dum quis sese sincerè intendit ad Deum convertere, quidem in principio instar bombycis producit egregium sericum bonorum operum; sed adhuc manet aliquo tempore vermis, seu animal reptile, affectus ejus necdum omninò abstracti sunt à rebus terrenis, & hoc sensu adhuc repit super terram adhuc rebus transitorijs nonnihil adhærens; donec paulatim per contemptum & renunciationem omnium, quæ in mundo sunt, in hieme tentationum & tribulationum, naturam mutare, veterem exuere, & novum hominem induere, ac in avem spiritualem transformari incipiat, acquirendô alas cælestium desideriorum, quibus deinceps à terrenis spiritu sublevari, in Christo volare, & in cœlestibus conversationem possit habere: tunc certo modo ex verme fit volucris, & paulatim ad volandum fit agilior: atque ità homines de viâ purgativâ ascendunt ad viam illuminativam; dum scilicet oculi mentis aperiri & divinis illustrationibus irradiari incipiunt; ità ut sensim magis & magis exuentes id quod animale est, induant id quod spiritale est, & sic percipere incipiant, quæ sunt Spiritûs Dei; ac gustare, quoniam suavis est Dominus: tum oculus fidei in illis depuratur, quo possint perpendere mysteria salutis; undè etiam fit, quod in se sentiant ferventia desideria, & ardentem ad omne bonum voluntatem; atque hoc sensu accrescunt illis alæ spirituales, fiuntque de numero pennatorum; subindè quidem similes columbis per simplicitatem, & innocentiam columbinam, aliquandò similes philomelæ cantandô die ac nocte laudes divinas, nonnunquam sicut passer solitarius in tecto, aliàs velut perspicax & altivolans aquila, aliquandò instar turturis, &c.

Bombyces acquirunt alas.

Incipientes sunt similes bombycibus.

Mutantur in aves dum fiunt proficientes.

Quo sensu illis accrescant alæ.

Quales aves fiant.

Porrò *frustrà jacitur rete antè oculos* horum *pennatorum*; nam hi facilè detegunt laqueos sibi paratos, suntque nimis cauti & circumspecti quàm ut in illos incurrant: atque quò magis in virtute proficiunt, eò magis illuminantur, & evadunt validiores in alis bonorum desideriorum; ità ut indies fiant expertiores ad tentationum tendicula, quantumvis subtilia, percipienda, & prætervolanda, vel etiam fortitudine alarum suarum, ardentis inquam, amoris Dei, perfringenda, superandô cum magnâ animositate omnes difficultates in viâ salutis obvias: verùm & majus hic indies incrementum

Frustrà jacitur rete antè oculos pennatorum seu verè proficientium.

Quare?

mentum sumant, & in viâ illuminativâ fælicius vincant omnes tentationes, proferemus cum Dei gratia, aliquas species tentationum animabus illuminatis occurrere solitarum, & simul docebimus modum, remedia, & praxim, ad desideratas de illis victorias referendas.

CAPUT II.

Quomodò proficientes illuminentur & ad fervorem excitentur; sed diabolus obtinet veniam ad eos tentandos, eosque replet tædio.

IMprimis; dum anima per integrám, dolorosam & generalem confessionem omnium suorum peccatorum, conscientiam suam pro posse emundavit, seseque diu exercuit in operibus pœnitentiæ, nec non per fidelem ac cordialem mortificationem, jam veterem hominem aliquo usque exuit, & induit novum, qui secundùm Deum creatus est; ità ut incipiat ambulare in novitate vitæ: tunc ordinariè prævenitur magnis illuminationibus circà magnitudinem & turpitudinem suorum peccatorum, circà profectum & experientiam virtutum; jam clarè videt quomodò sit creata, ut soli Deo inserviat, & quam hactenus in hoc defuerit; jam ritè perspicit, quantam secum Deus fecerit misericordiam, non relinquendô illam in cloacâ peccatorum, ut cum multis damnaretur, sed vocandô ad statum spiritualem, ut cum paucis salvaretur; jam dilucidè cognoscit, qualiter dependeat à divinâ clementiâ, sicut radij solares à sole, quàm sibi sit necessaria gratia Dei; etiam ad unicam bonam cogitationem formandam; quomodò sinè Deo nihil possit facere meritorium vitæ æternæ; quomodò sine unctione Spiritûs sancti ex naturâ suâ sit proclivis ad omne malum; ità ut brevi laberetur in puteum veterum suorum, imò graviorum peccatorum, nisi manus Dei eam retineret; jam medullitùs agnoscit, se infinitis titulis obligari Deum diligere ex totô corde, ex totâ mente, ex totâ virtute; imò etsi mille vitas haberet, confitetur se illas omnes divinæ bonitati debere; ex quo in ipsâ oritur clara notitia sui-ipsius, & quomodò Deus sit sua omnia in esse & operari; multiplicantur in ipsâ cogitationes & desideria, sese totam pro Deo impendendi per vitam pœnitentialem, per totalem sui abnegationem, per renunciationem omnium creaturarum; atque ut hæc melius in praxim redigat, exercet sese in ferventibus meditationibus de turpitudine peccatorum, de excellentia virtutum, de extremo judicio, de morte, de vitâ æternâ, de Passione Christi; de miseri-

Proficientes habent multas illuminationes à Deo.

Quales & circà quæ?

Pia proficientium desideria.

Meditationes.

ſericordiâ Dei &c. quo ſic ſe-ipſam exſtimulet ad continuanda virtutum exercitia cum majori cordis compunctione, cum ferventiori zelo & conſtantiâ.

Verùm adverſarius noſter diabolus cernens tam firmam iſtius animæ reſolutionem, omni modo, ac omnibus viribus, tegnis & inſidijs conatur ejus executionem impedire; permittit quidem illam aliquamdiu agere, præſertim, Deo ſic diſponente, qui illam adhuc vult fovere, ſuaviter enutrire, & uberibus dulciſſimæ ſuæ, ſimul & fortificantis gratiæ lactare, antequam permittat, ut ſatan eam per tentationes aggrediatur; verùm aliquanto poſt tempore, petit & obtinet à Deo veniam eam cribrandi, ſicut olim petivit ut cribraret Principem Apoſtolorum, & adhuc anteà, ut poſſet affligere ſanctum Prophetam Job: quocircà incipit animæ infundere tædium orationis, nauſeam à ſtudio mortificationis, & alijs pijs exercitijs; atque indè gignuntur in ipsâ cogitationes puſillanimitatis in ſuo ſtatu; oritur in illa timor, ne in eò poſſit perſeverare, quippè cum hoc ipſi ferè videatur impoſſibile manente tali diſpoſitione; nam tempus orationis videtur illi nimis longum & difficile; examen conſcientiæ tantum poteſt facere ex parte, ratione multiplicium, quibus ſeducitur, diſtractionum; ſola cogitatio de aſſiduitate mortificationis continuandæ per totam vitam, eſt illi magna Crux.

Diabolus intendit proficientes impedire.

Obtinet à Deo veniam eos tentandi.

Ingerit tædium in omnibus.

Status derelictionis.

Præcipuè autem illi lapis ſupra ſtomachum cadere videtur, quem deſperat poſſe digerere; dum illi à Patribus ſpiritualibus proponitur, quod ad benè eſſe, deinceps in nullâ creaturâ, ſed in ſolo creatore liceat delectari; quod debeat aſſueſcere carentiæ omnis humani ſolatij; quod debeat conari invenire mortificationem & crucem in omnibus, quæ alios ſolent recreare; & econtrà gaudium & exultationem, in omnibus, quæ alijs moleſta, tædioſa, triſtia, & crux eſſe conſueverunt; hæc enim nimis excedere videntur fragilitatem humanam, quia non videtur ſic continuò poſſe ſtare elevata in Deum, abſque eò, quod aliquandò ad creaturas nonnihil deſcendat, & in eis parum quieſcat: & reverà vix unus ex mille, qui id ita vult concipere aut comprehendere; nam illud commune proverbium, etiam in ore animarum cæteroquin ſatis piarum, non raró ſonat, ***non ſemper arcum tendit Apollo***; quod quamvis certo ſenſu verum ſit; ſciendum tamen eſt, quod arcus perfectorum numquam tendatur; illi quippè aſſecuti ſunt magnam libertatem ſpiritûs, ſic ut animus illorum numquam conſtringatur per aliquam anguſtiam vel dolorem propter carentiam alicujus delectationis tranſitoriæ in creaturis; quin potius econtrariò in nullâ re quieſcere, vel delectari poteſt, niſi in perfectâ ab omnibus creatis abſtractione in totali ab omni extra Deum delectatione, ablactatione, & in aſſiduâ in Deo introverſione: hic veluti in optimis paſcuis impinguantur etiam

In nullâ creaturâ animæ proficienti licet quærere ſolatium.

Sola mortificatio debet illi eſſe conſolatio.

Pauciſſimi hoc capiunt.

Arcus perfectorum numquam tenditur. quo ſenſu?

subindè quoad corpus; eò quod interna satisfactio animæ etiam in corpus redundet; verùm, ut redeamus ad propositum; quomodò animæ proficientes sese gerere debent in præscriptâ tentatione?

CAPUT III.

Quomodò anima sese in derelictione & ariditate gerere debeat, non intermittendo ordinaria exercitia; debet pati in unione passionis Christi, & diutiùs orare.

Anima in ariditate est instar turturis.

Cant. 2.

Remedia in statu internæ derelictionis.

Tædium spiritus uniendum tædio Christi in horto.

Matt. 26. 27.

Marci. 13. 33.

In Cruce.

Matt. 27. 46.

ANima proficiens agere debet partem turturis, qui comparem amisit, eò quod cœlestis Sponsus, qui illam anteà familiariter & amorosè fovebat, jam se ab illa retrahere & alienare videatur; ita ut queribunda dicere possit; *en Dilectus meus stat post parietem, prospiciens per fenestras, respiciens per cancellos*; quocircà se continere debet in profunda cordis humiliatione; nec licet ei ullatenus omittere orationem, etsi ipsi videatur, quod nullum in ea fructum faciat; etsi enim subindè cibus non sapiat in ore, non desinit tamen esse salubris cordi: ut autem multum proficiat, assuescet hanc nauseam, hoc tædium, hanc in oratione contradictionem, hanc à mortificatione & virtutum exercitio aversionem, quam vel invita patitur, humiliter offerre æterno patri in unione summi tædij, mœstitiæ, tristitiæ & totalis, secundùm sensum humanæ naturæ, derelictionis, quibus Salvator noster in horto, & in Cruce fuit angustiatus, de quibus sancti Evangelistæ testimonium perhibent, *Iesus cæpit contristari, & mæstus esse*; ità ut diceret *tristis est anima mea usque ad mortem.* * imò *cæpit pavere & tædere*; & insuper in Cruce pendens, cum nullam suæ divinitatis operationem perciperet humanitas, clamabat ad Patrem, *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* ecce etiam naturalis Dei filius versatus fuit in tali tentatione tædij & internæ desolationis, ut non miremur, dum nos miseri peccatores eam sustinemus.

In derelictione quomodò imitandi turtures?

Luc. 22. 43. diutius orandùm.

Matth. 26.

Tunc autem illud nostrum tædium & mœstitiam in memoriam tædij & mœstitiæ Christi, Deo offerre oportet, confidentes hoc illi fore valdè gratum; nec propterea debemus fieri pusillanimes, sed solummodò velut turtures suaviter ad Dilectum suspirare, gemere, & cum Christo placidas & amorosas facere querelas, in signum, quod præ tenerrimo ergà ipsum amore ejus absentiam ægrè feramus; quibus non obstantibus, oportet constanter agere in pijs exercitijs, exemplo Christi, *qui factus in agonia* teste Evangelistâ, *prolixius orabat*; ad quod ipse exhortans suos Discipulos; *orate*, inquit, *ut non intretis in tentationem*; & meritò, nam ex oratione anima

anima haurire debet omnes vires necessarias ad omnia incommoda & difficultates strenuè superandas. Moyses olim de monte Sinai descendebat præseferens faciem cornutam, cum nempè rediret à familiari cum Deo in oratione colloquio, in signum supernaturalis & prægnæ animi fortitudinis, quàm ex amicabili illa cum Deo conversatione retulerat, ad abolendam omnem ex filijs Israël idololatriam, ad eos in cultu veri Dei confirmandos, & sic in terram promissionis fæliciter deducendos: eôdem modô anima devota debet ex oratione redire cornuta, id est, spiritu roborata, ad omnes tentationes viriliter superandas, ad exercitia virtutum strenuè cordi habenda, ac tandem ad patriam salutis æternæ prosperè perveniendum; idque, licet fortassis illi videatur, quod modicam in oratione consolationem aut confortationem percipere videatur; imò licet vix unam bonam cogitationem aut pium desiderium elicere possit; ità ut sibi ferè persuadeat, suam orationem, imò quævis alia exercitia Deo minimè placere. *Moyses quo sensu ex oratione rediba t cornutus.* *Ex oratione habenda omnis fortitudo spiritûs.*

Quamvis anima devota sese sentiat ità flaccidam in devotione, ità aridam in Dei amore, ut vix ullum affectum experiatur ad aliquid spirituale, sed potiùs nauseam & aversionem, ità ut non videatur etiam se posse in aliquo humiliare, aut cor suum compungere & convertere ad ea, quæ sunt spiritûs Dei; attamen non debet hoc sibi attrahere, sed constanti animo se resolvere ad serviendum Regi sæculorum immortali proprijs expensis; dum illi incidit, esse impossibile, sic perseverare in vita spirituali, atque propterea ipsi ad vivum repræsentantur difficultates, quæ capiti ejus imminere videntur tempore diuturnæ vitæ fortè futuræ; tunc cogitet, jam se forsitan agere ultimum diem, imò horam vitæ suæ, ut aliquid boni faciat, vel amore Dei patiatur; & reverà nil certiùs morte, nihil autem incertiùs horâ mortis, quarè sibi à Sapiente dictum putet, *quodcumque potest operari manus tua, hoc instanter operare*, & meritò; nam ut monet Salvator, *veniet nox, in quâ nemo potest operari*, utiliter ad salutem. Deindè, cogitet solùm de præsenti, quod tantummodò est instans temporis, & consequenter momentaneum & leve tribulationis præsentis: futura autem, utpotè incerta, reputet ut non futura, & in Deo inadvertenter prætereat; scriptum est enim *sufficit diei malitia sua*, absque eo, quod molestia crastina cum intempestivâ anxietate præveniatur. Deniquè si nimium ad pusillanimitatem tentetur, concipiat animos, & dicat cum Apostolo, *omnia possum in eo, qui me confortat*, nihil mihi nimis arduum, nil nimis difficile, omnia possum, *non ego, sed gratia Dei mecum.* *Status animæ derelictæ, aridæ, &c.* *Quomodò in eô se geret.* *Cogitet omnem horam esse ultimam.* *Sola præsentia cogitet.* *Mat. 6.* *Exerceat spem in Deum.* *Phil. 4.*

CAPUT IV.

Quomodò anima in hieme tædij interni, & penuriæ spiritualis sibi debeat cavere, nè in creaturis solatium quærat.

In ariditate cavenda conversio ad creaturas.

IN præfatâ constitutione, animæ etiam valdè cavendum est, nè se extrà Deum convertat ad creaturas; nam diabolus nihil aliud quærit, quàm eam à Deo ad solatium in creaturis quærendum seducere. Dum aliqui intendunt aucupio, tum semina seu grana aliqua ponunt in muscipulâ; vel etiam tempore hiemis, dum gelu omnia constringit, dum nix terram tegit, & horreis ubique benè conclusis, aves escam invenire commodè non possunt, nisi cum naturali industriâ per aliquod foramen in horreum vel granarium aliquod irrepant, sicque alimentum inveniant, tum mundant alicubi parvum locum, ibique, sub aliquo assere spargunt grana, ut aves alliciant; & quandò aves ibi occupantur granis rostro impetendis, sub illo assere capiuntur, & quassantur: Eodem modô malignus spiritus agit cum animabus proficientibus, quas simili astutiâ, instar versuti aucupis, intendit decipere: dum enim videt animam constitutam quasi in gelidissimâ hieme, ità ut ferè congeletur, eò quòd jam destituatur omni fervore sensibilis devotionis, & amoris; nec jam igne bonorum desideriorum, aut motivorum videatur posse calefieri; præterеà dum advertit animam ablactari ab omni interno solatio, & affligi carentiâ seu penuriâ omnis sensibilis in Deo satisfactionis; sic ut illi denegentur micæ, quæ pro animabus Deum sincerè quærentibus cadere solent de mensâ Sanctorum, ac ipsi omnia horrea, & granaria obserata esse videantur, id est, ità ut nusquam, sive apud Patrem spiritualem, sive apud consodales, sive in oratione, sive alibi, aliquod sublevamen, vel solatium possit invenire, quo sic aliquatenus sustentetur; tum illi ponit muscipulam; illi apponit aliquot granula humani solatij; illi suggerit, quod conformiter rectæ rationi frui possit aliquâ commoditate, & recreatione in creaturis, usque dum atrox illa internæ derelictionis hiems transierit; quod proindè non debeat esse tam punctualis in Regularitate; quod non tam strictè adstringatur silentio servando; quod hinc indè aliquid temporis terere possit pro interno tædio nonnihil sublevando; quod occasionem extrà refectionem comedendi vel bibendi; etiam sine expressâ veniâ liceat captare; quod non debeat esse scrupulosa, ut parum ludat, & extraordinariæ quieti indulgeat; quod expediat petere aliquam ambulationem, & in ambulatione, etiam modo minus decenti,

Modus capiendi aves cum muscipulâ, vel in hieme.

Diabolus aucupatur animam desolatam.

In hieme spirituali.

In carentiâ omnis solatij.

Apponit muscipulam & granula humani solatij.

Suggerit laxitates.

centi, se recreare; idque totum, ut tædiosam illam & gelidam noctem spiritualis desolationis faciliùs transeat, ac appetitum suum aliquâ re satiet: ecce grana quæ diabolicus auceps animæ in sensibili egestate spiritûs constitutæ sumenda proponit animo eam veluti in muscipulâ aucupandi, decipiendi, & tandem in aliqua peccandi occasione conquassandi.

Verùm anima hìc attendere debet, ne, dum escam putat accipere à creaturis, intereà pedes suarum affectionum illis apponat; alioqui enim est periculum, ne muscipula claudatur, vel asser trahatur, id est, ne res humanæ vel mundanæ, sub quibus delitescere, & aliquamdiu sibi indulgere cogitabat, illi improvisè auferantur, vel ipsa illis, per mortem vel aliud infortunium, sicque in affectu illarum capiatur & moriatur: quocircà nil melius, quàm etiam pro illo tempore, penuriam spiritûs libenter pati, & omnibus, quæ extrà Deum sunt cum resignatione voluntariâ carere; vel etiam conetur tunc anima alicubi irrepere in aliquod horreum, cum humilitate quærat sibi necessaria, seu gratias congruentes, quibus, durante hâc hieme spirituali, durante hâc extremâ egestate mentis, aliquo usque sustentetur, & saltem in forti, si non, tenerâ Charitate Dei foveatur; etenim Deus est, *qui dat jumentis escam ipsorum, & pullis corvorum invocantibus eum*: undè licet aliquis instar alterius Davidis, *ut jumentum factus* esset apud Deum; etsi omnes simus pulli corvorum: id est, concepti in peccatis, & ex peccatoribus progeniti, ideoque non mereamur à Deo enutriri in vita gratiæ; attamen divina Bonitas paratissima est nobis suppeditare, quidquid ad illam necessarium est, dummodò eam humiliter deprecemur perseverandô intereà in ordinarijs virtutum & bonorum operum exercitijs, absque eo, quod à Deo vel in minimo declinemus, aut ad solatia humana, & vanas recreationes nos extrovertamus.

Anima in ariditate caveat sumere escam à diabolo propositam.

Libenter patiatur penuriam spiritûs.

Invocet gratiam Dei.

Psalm. 146. 9.

Omnes homines pulli corvorum.

CAPUT V.

Quomodò anima tentetur ad vanam gloriam, displicentiam aliorum, & proprij judicij tenacitatem.

ETiamsi quispiam prædictam tentationem strenuè superaverit, non maneat adhuc omninò securus, & incurius; nam alia præ foribus est non minus periculosa; siquidem dum diabolus advertit animam in bono proposito manere constantem; ità ut eam in suis exercitijs interturbare, vel impedire nequeat, tunc omnes suas exerit vires, ut faciat eam in illis eva-

Diabolus tentat ad vanam gloriam.

evanescere. Dum auceps avem deprehendere nequit in terrâ vel in arbore quiescentem, tum conatur eam jaculari volantem: ità etiam auceps infernalis dum avem spiritualem, animam devotam decipere non potest, inducendo ad negligentiam in obsequio Dei, ad quietem in creaturis, ad affectanda solatia humana, tum sinit eam volare, sed incessanter ad eam collimat, an non poterit eam in pleno volatu jaculari, aut aliter vulnerare, & ex alto ad ima dejicere; quocircà emittit ad eam multa jacula vanæ gloriæ, inanis complacentiæ in se-ipsa; ità ut dæmone suggerente, anima incipiat cogitare, quod gratia Dei se dignam faciat, eamque satis carò emat operoso suo labore & diligentiâ in quotidianis mortificationibus, in operibus pœnitentialibus, in studio orationis, in alijs pijs exercitijs; hinc in se sentit pruritum alicujus arrogantiæ quasi esset melior alijs.

Auceps infernalis studet animam volantem jaculari.

Iaculo vanæ gloriæ.

Undè ulterius est in periculo, ne concipiat displicentiam in operibus & modis agendi aliorum etiam indifferentibus; sentit se proclivem ad malè de alijs suspicandum, ad temeraria de alijs judicia; omnia aliorum dicta & facta videtur in pejus interpretari, ac sibi ipsi in omnibus complacere, quasi sola, omnia benè faceret, & ad omnia præ cæteris esset habilior, hinc provenit, quod fiat facilè tenax proprij sensus, sibi ipsi nimium fidat, proprio judicio nimis adhæreat, proprijs adinventionibus nimium innitatur; ità ut, quidquid consulit, facit, dicit, aut cogitat, ipsi appareat benè fundatum, & rationi conforme; ac proindè ægrè se aliorum judicio, opinioni, arbitrio accommodet aut submittat: eam à propriâ opinione divellere valdè difficile est; efficitur obstinata; sua orandi methodus videtur illi optima, sua illi exercitia apparent perfectiora, quàm quæcumque alius quispiam eam docere posset; sibi persuadet se jam non amplius indigere magistro vel ductore; neminem enim vel ægrè aliquem ad hoc agnoscit idoneum; quivis Viri spirituales videntur illi nimis communes, nec satis experti ad suum spiritum ad perfectiora promovendum, nec satis illuminati, ut eam possint juvare; jam videtur sola sine duce posse incedere, & ipsa-met agere magistram vitæ spiritualis; ità ut deinceps desideret immediatè stare sub directione Dei, abdicatâ omni directione hominum tanquam impeditivâ immediatæ directionis Dei: atque in hunc modum sibi ipsi fidendo, ac sibi plurimum complacens in omni suo agendi & conversandi modo, fit difficilis, sibi gravis, molesta & tædiosa in supportandis alijs, in aliorum actionibus etiam indifferentibus dissimulandis; nam quidquid non est conforme judicio, & opinioni ipsius, quidquid non concordat cum spiritu ipsius, videtur ipsi malum, vel imperfectum; in defectibus aliorum ferendis inclinatur ad impatientiam; conversando cum alijs quamdam in se sentit amaritudinem, dedignationem, &c. eò quod multa spiritui suo contraria deprehendat;

Tentatio vanæ complacentiæ in se ipso.

Displicentiæ in alijs.

Arrogantiæ.

Tenacitatis proprij judicij.

Propriæ confidentiæ.

Vt nullum directorem admittat. Sub sola directione Dei stet.

Tentatio displicentiæ in alijs.

Impatientiæ in defectibus aliorum.

hendat; & sic ad varias tentatur imperfectiones: ex quibus omnibus videre est sagittas, quas diabolus jaculari solet ad avem volantem, seu ad animam proficientem, animo eam dejiciendi, & à volatu, seu profectu in gratia & virtute retrahendi.

CAPUT VI.

Quomodò anima se in præfatis tentationibus exercere debeat in humilitate, abnegatione sui & fraterna charitate.

VUltis scire, quomodò animæ proficientes prædicta jacula melius evadent? imprimis, debent se profundè humiliare, & descendere in fundum sui nihili, sæpè reflectentes ad verba Salvatoris ad Discipulos, *cùm feceritis omnia, quæcumque dixero vobis, dicite, quia servi inutiles sumus*: Item, *sine me nihil potestis facere*: quocircà altissimè menti impressam habeant propriam infirmitatem; quomodò ex se nihil sint, & nihil possint sine Deo; nec seipsas seducánt, existimantes se aliquid esse, *nam*, teste Apostolo, *qui putat se aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit: & qui stat, videat, nè cadat*; qui instar alaudarum in Christo videntur sursum volare, caveant, nè inter volandum jaculo feriantur, seu per vanam gloriam, per inanem præsumptionem, vel arrogantiam dejiciantur: hos admoniturus Apostolus, *quid habes*, inquit, *quod non accepisti; si autem acceperis, quid gloriaris, quasi non acceperis?* tales proindè contineant se in humilitate, nec altè de se sentiant; sese continuò ad Deum introversos conservantes cum humili cognitione sui nihili, & dependentiæ à Deo, non sine metu propter rationem supremo judici, suo tempore, reddendam de omnibus gratijs neglectis.

Remedia contrà vanam gloriam. Notitia sui. *Luc.* 17. 10. *Ioan.* 5. *Gal.* 6. 3. 1. *Cor.* 10. 12. Humiliatio interna. 1. *Cor.* 4. 7.

Deindè exerceant se in continua abnegatione sui, ac proprij judicij, & voluntatis; pro ut suo exemplo docuerunt sanctæ nostræ Sorores, Theresia, & Magdalena de Pazzi, quæ omnes suas illuminationes, internas inclinationes, affectiones, impetus spiritûs, modos orandi, & alia exercitia semper habebant suspecta; an venirent à bono spiritu, an à Deo in omnibus agerentur, in quo ut essent securæ, stabant & nitebantur verbo Patris spiritualis vel Superioris, ne vel in minimo, proprio judicio innixæ vel sibi-ipsis confidentes: sic venerabilis & summè mysticus frater Joannes à sancto Samsone, nostræ reformationis primarium decus, agebat de suis internis illustrationibus cum superioribus suis etsi in ista vita subindè idiotis, Christum potiùs cogitans in ipsis, quàm illos; numquam ausus cogitare, quod non essent idonei ejus spiritum intelligere, vel dirigere, hoc enim

Abnegatio sui remedium vanæ præsumptionis. In spiritualibus non est standum proprio judicio. Exemplo V. Fratris Ioan. à S. Samsone.

enim superbiam sapere ratus fuisset; nec sine fructu, nam fatetur se etiam à talibus Superioribus semper redijsse cum satisfactione, & desiderata instructione, Deo per eos, etiam imperceptibiliter, loquente, & aptè ad rem respondente, juxtà confidentiam & simplicitatem dicti optimi fratris; ut discamus non altum sapere, aut alios spernere, sed nos omnium minimos, omnium instructione posse juvari arbitremur.

Deus loquitur per superiores.

Denique exerceant se etiam in officijs Charitatis fraternæ, interius, & exterius, ut sic omnem animi amaritudinem, omnes aversivas cogitationes, omnes sinistras de alijs suspiciones ac temeraria judicia à se procul repellant; nam fraterna *Charitas*, monente Apostolo, *patiens est*, *benigna*; *charitas non æmulatur*, *non agit perperàm*, *non inflatur*, *non cogitat malum*, *omnia suffert*, *omnia sustinet*. Charitas ignorat malas suspiciones, de omnibus benè opinatur, vitat omnia temeraria judicia, se omnium humori & complexioni accommodat, sibi ipsi subtrahit, ut det alijs, propriæ renunciat sententiæ, ut alterius opinionem sequatur; atque hoc triplici remedio, utique humilitatis, abnegationis proprij judicij, ac fraternæ charitatis sese anima efficaciter munit contrà tela nequissimi ignea, quibus diabolus eam in spiritu volantem impugnare tentat.

Charitas fraterna exercenda contrà suspiciones malas &c. 1. *Cor.* 13. 4.

Proprietates Charitatis fraternæ.

CAPUT VII.

Quàm sit proficuum prædictum humilitatis &c. exercitium, & quomodò anima se gerere debeat in tentatione præsumptionis, & pusillanimitatis.

DUm anima ritè est exercitata in charitate, similiter & in profunda humilitate, tum videntur illi omnes Superiores aut Patres spirituales satis idonei, & capaces, qui illam promoveant; nam etiam vel unicum verbum ab illis prolatum, illi sufficit ad securè progrediendum, modò velit fideliter cooperari; quantumvis simplex exhortatio videtur ipsi bona & spiritualis; nam recipit omnia tanquam Verba Dei per os Concionatoris prolata; ipsi ferè proindè est, cui obediat; nam personam Christi in Superiore magis respicit, quàm ipsum, sciens, quod illum audiendo, Deum audiat, ac illi obediat: sic sanctus Franciscus dicere solebat, se æquè libenter obediturum minimo novitio, si illi in superiorem fuisset datus, quàm cuivis alteri viro insigniori: hinc venit, quod talis anima nullo modo fidere audeat immediatæ directioni Dei; nam eâ se planè indignam agnoscens, timet facillimè decipi; atque ideò plurimum lætatur, dum aliquis ejus in se curam, & directionem suscipere non gravatur, qui ei perfectiora consulere semper

Humilis omnes putat idoneos pro sua directione.

Inter Concionatores non discernit.

Cuivis obedire paratus est exemplo S. Francisci. Non fidit immediatæ Dei directioni.

ſemper ſit paratus; aliorum agendi vel converſandi modum ſibi non attrahit, nec ad illum reflectit; nam ſatis multa in ſe deprehendit, circà quæ occupetur atque ità centenas imperfectiones, ſuſpiciones, judicia, dedignationes, amaritudines, diſplicentias &c, vitat, ac in magnâ interius, & exterius, pace & quiete manet; imò dum ſolummodò advertit in ſe aliquam circà alios reflectionem, tum eò magis ſe humiliat ac pudore ſuffunditur, quod videat ſe adhuc adeò mortificatam, & deſtitutam Charitate fraternâ. *Circà alios non occupatur.*

Ubi iterùm videtis, quomodò anima proficiens ſcuto humilitatis avertere noverit ſagittas propriæ confidentiæ, præſumptionis, & arrogantiæ; ſicuti in præcedentibus innotuit, quomodò ſuperare debeat puſillanimitatem, & tædium, ac nimiam animi dejectionem tempore internæ derelictionis: atque ut veritas adhuc magis elucidetur, mihi videtur, quod anima in utraque hac tentatione ſuperbiæ ſcilicet, ſeu vanæ præſumptionis & nimiæ animi dejectionis ſeu puſillanimitatis, ſe gerere debeat ſicut innocens columba in perſecutione accipitris: de hac docet experientia; quod dum accipiter eam perſequitur per aëra volitandô, illa ſe accommodat ſecundùm volatum accipitris, quò ejus ungues effugiat; nam dum accipiter de deorſum ad eam volat, ut illam ſibi accipiat in prædam, tum illa in ſublimi volitat; dum verò accipiter in ſublimi girat, columbæ inſidians in ſuperiori aëris regione, illa ſe dimittit, donec tandem illæſa & ſalva ad ſuum columbarium redeat: eodem etiam modo facere debet columba ſpiritualis in perſecutione, quam patitur ab infernali accipitre; dum enim hic eam perſequitur in humili, id eſt, dum eam ad puſillanimitatem, ad diffidentiam de impoſſibilitate perſeverantiæ in ſtudio continuæ mortificationis, vel ad deſperationem perducere conatur, ità ut vix videat apparentiam, quod poterit perfringere, & ingraveſcant in illâ melancholicæ cogitationes cum ſuggeſtionibus ad cæptum virtuoſæ vitæ curſum deſerendum, eò quòd in ſe deprehendat maximam fragilitatem, ratione cujus apprehendit ſibi eſſe impoſſibile in inchoata vita perſeverare, tunc non eſt illi bonum manere in humili, ſeu multum perpendere aut ponderare naturæ fragilitatem, aut trutinare omnes difficultates, omnia incommoda, omnia certamina, quæ ſecundùm omnem apparentiam ipſi in vita ſpirituali ſunt exſpectanda; ſed potiùs per firmam in Dei auxillo fiduciam ſurſum volare debet, ſperans firmiſſimè de gratia Dei, id quod ſibi ex corruptione naturæ cernit deeſſe; in hunc finem Regula noſtra nobis ſuppeditat galeam ſalutis; *galea*, inquit, *quoque ſalutis capiti imponenda eſt, ut de ſolo Salvatore ſperetis ſalutem.*

In tentatione vanæ præſumptionis & puſillanimitatis imitanda columba fugiens accipitrem.

In tentatione puſillanimitatis abſtrahendum à propria fragilitate.

Exercenda fiducia in Deum.

Reg. Carm. c. 14.

In eumdem finem conſultum erit in hac tentatione puſillanimitatis, diffidentiæ, deſperationis, cogitare, quod merita Chriſti ſint noſtra, ſeu quod nobis ut noſtra poſſint applicari, nam ut ait Apoſtolus, *qui proprio filio non pepercit;* *Fiducia in meritis Chriſti.* *Rom. 8. f.*

pepercit; sed pro omnibus nobis tradidit illum, quomodò etiam cum illo non omnia nobis donavit, utique etiam ejus merita? quocircà dum diabolus nos, sensu dicto, in humili aggreditur, tum nos sursum ascendamus ad altitudinem Crucis & meritorum Christi, atque in ejus gratia, velut in saluberrimo aëre, ad Deum assiduè sursum volemus per diffidentiam de nobis ipsis, & unicam fiduciam in solo Deo; sic videbatur velle facere Sponsa, dum dicebat, *ascendam in palmam*, utique Crucis Christi Dilecti mei, *& apprehendam fructus ejus*, putà, merita illius, fructus vitæ æternæ, fructus gratiæ & gloriæ, quibus confortetur cor meum, ut sustineat tentationes: simili modo anima devota in valle pusillanimitatis tentata, ascendat ad palmam Crucis Christi, ibique apprehendat fructus ejus, seu merita Salvatoris sibi roget applicari, imò tanquam ab æterno Patre, una cum ipso, sibi donata, eidem offerat, in illis confidat, in illis speret, in illis glorietur.

Refugium ad Crucem Christi.

Cant. 7. c.

Econtrariò, dum infernalis accipiter volantem animam insequitur in sublimi, ut ibi eam arripiat per vanam gloriam, per vanam in seipsa complacentiam, per inanem præsumptionem, & arrogantiam, quasi suâ diligentiâ aliquid profecisset in viâ perfectionis, ac gratiam Dei suis laboribus satis carò emisset; ità ut sibi ferè persuadeat Deum jam sibi debere gratiam perseverantiæ, plusquam alijs, atque hinc se proclivem sentiat ad alios judicandos, contemnendos, ad seipsam alijs præferendam, quasi altiorem præ alijs spiritum habeat; tunc tempus est, ut se humiliando deprimat, ut in notitia sui se exerceat, ut in abyssum sui nihili deorsum volet, sicque effugiat ungues infernalis accipitris, conando seipsam assecurare in consideratione propriæ fragilitatis, nè in sublimitate præsumptionis miserè dilaceretur, & pereat.

In tentatione præsumptionis de seipso humilitas exercenda.

Remedium contrà præsumptionem sui.

CAPUT VIII.

Quomodò anima sursum volans in Deo, subindè pati debeat nimbum, nebulam, aut pluviam impudicarum tentationum, blasphemiæ. &c.

QUædam animæ proficientes allectæ amabili aura flatûs gratiæ, excitatæ per solares radios supernaturalium illustrationum, ac exhilaratæ suavissimo aëre sensibilis devotionis, & consolationis jam statuunt instar alaudarum sese totaliter applicare ad in Christo indies altiùs & altiùs volandum ad majorem perfectionem; sed diabolus statim adest, ut hoc impediat

diat alio modo, dum præcedentes tegnæ illi non profuerunt : quo modo ? pro majori declaratione : audite iterùm familiarem similitudinem ; dum volucres subindè in sublimi volitant, oritur subindè ex improviso aliquis turbo, nimbus, seu vehemens pluvia qua aves volantes cum impetu dejiciuntur aliquandò in mare, aut in aliquem fluvium, vel in cloacam, ubi miserè submerguntur. Aliàs dum aurora arridet & aves incipiunt se movere ad volandum, & rostra sua acuere ad cantandum, subitò oritur condensa & humida nebula, vel densa pluvia; dumque jam aliquamdiu in nebula vel pluvia volarunt, madefiunt earum alæ, fiuntque ineptæ ad diutiùs volandum. Eodem modo contingit animæ proficienti; dum enim hæc, vi firmæ resolutionis, incipit sua desideria velut totidem pennas ad Deum & cælestia expandere, ut ibi assuescat mansionem suam habere ; tunc aliquandò Deo permittente, diabolus excitat in anima horribilem tempestatem, in viâ virtutis flare facit turbinem tentationum ad gravia peccata, ad impudica, ad blasphemias contrà Deum, ad iram, odium, invidiam; item causat in animâ vehementem pluviam impudicarum cogitationum cum strepitu inhonestarum repræsentationum, & turpium motionum, ut (si posset) simul & semel omnes fructus bonorum desideriorum, piarum affectionum, sanctarum cogitationum & virtuosorum operum in nihilum redigat; exstinguat, & animam in barathrum perditionis planè dejiciat.

Aves volantes vento dejiciuntur.

In pluviâ volantes deficiunt & cadunt.

Anima in Deum volans impeditur per tempestatem tentationum.

Quæ hic describitur.

Pluvia spiritualis.

Aliquandò in eâ excitat multa inordinata desideria, & affectiones ad res terrenas, & transitorias, quæ causant in animâ obscuram quasi nebulam ignorantiæ, inconsiderationis, & oblivionis in rebus agendis; hæc nebula obscurat in illâ lumen fidei, & facit ut facilè obliviscatur, quid & quomodò sua exercitia facere debeat ; vix illi videtur in mentem venire, quomodò sese in tentationibus & alijs gerere debeat, sicque est in periculo multarum negligentiarum in omnibus suis operibus; videtur etiam fieri hebetioris ingenij, tardioris memoriæ, flaccidioris voluntatis, ità ut ægrè percipiat, quæ ad profectum pertinent salutis, vix retineat, quæ à Patre spirituali, ex concionibus, vel ex libris colligit, nec sentiat ullum fervorem spiritûs ad bonum amplectendum.

Nebula spiritualis à dæmone excitatur.

Ejus effectus in animâ.

Hæc nebula est etiam spiritualiter humida, & facilè resolvitur in tenuem pluviam pravarum inclinationum, & affectionum in potentijs sensitivis; ac plurimarum imperfectionum in exercitijs spiritualibus, & praxi virtutum ; quæ quidem imperfectiones velut aqua pluvialis, penetrant & humectant alas animæ, easque ad volandum reddunt ineptas, id est obfuscant intellectum, aggravant memoriam, tepefaciunt voluntatem, quibus tribus potentijs tanquam alis anima continuò ad Deum & in Deo debet sursum volare, & ad majorem perfectionem tendere : & quamdiu has alas, rationem, scilicet, & voluntatem, vel etiam fidem, & Charitatem humore sen-

Resolvitur in pluviam imperfectionum.

Quæ alas animæ, intellectum & voluntatem aggravant.

sualium affectionum, & imperfectionum infectas habet, manet indispositα & inepta, quæ per vitam contemplativam in rebus divinis vel cælestibus prosperè sublimetur.

CAPUT IX.

Quomodò anima in prædictis tentationibus se habere debeat, & ad JESUM, *&* MARIAM *confugere.*

VUltis scire quomodò agere debeat anima in his tentationibus, nè à spirituali suo volatu præpediatur.

Tentatio blasphemiæ.

Imprimis dum percipit turbinem tentationum blasphemiæ, quibus imaginatio planè interturbatur, & commovetur; ità ut anima vix videatur esse sui compos, imò cum vehementiâ in illis detineatur, nec possit discernere an illis consentiat, nec nè; eò quod blasphemiæ valdè enormes contrà Deum, contrà Divam Virginem, vel alios sanctos, ità vivaciter ei inspirentur, & phantasiæ imprimantur, ut eas etiam ore proferre vel invita videatur; prout secum sæpè factum fatetur Sancta Magdalena de Pazzi.

Pluvia impudica.

Item dum reflectit sibi imminere periculosum & æstuosum nimbum tentationum carnalium, vel etiam vehementem pluviam impudicarum repræsentationum & indecentium motionum; tunc debet aufugere quamprimùm; nec confidere, quod vi rationum, vel aliter, positivè resistere poterit; nam id sine manifesto periculo perdendi victoriam, vix fieri potest, quin potiùs timendum est, ne sic planè dejiciatur, & per violentiam seu vehementiam illarum tentationum obruatur: Dum quis in campo ambulans videt oriri tempestatem, consultissimè fugit ad aliquam casam, vel sub aliquâ arbore se abscondit, donec tempestas cessaverit; sic etiam anima, exortâ tempestate tentationum, præsertim carnalium, debet se aliquò retrahere, & alicubì delitescere, donec tempestas sit sedata: quò fugiet? ubi tuta latebit? instar aviculæ advolet in nidum suum; abscondat se cum Sponsâ in canticis, *in foraminibus petræ, in cavernâ maceriæ*, id est, in loco clavorum, in vulnere laterali Salvatoris nostri, qui est *petra angularis, faciens utraque unum*: hoc est asylum, in quo anima tali casu tuta esse potest; nam inquit sanctus Augustinus, *in omnibus non inveni tam efficax remedium, quàm vulnera Christi*: ibi ab omni infortunio securi erimus, ibi sugere licet convenientem fortitudinem ad quasvis tentationes diabolicas strenuè superandas.

Tentationi carnis positivè resisti non debet.

Sed fugiendo ad vulnera Christi.

Cant. 2. 14.

S. Aug.

Refugiendo ad sinum MARIÆ, ut ad tutum asylum.

Præterea, in hac tempestate anima etiam confugere potest ad sinum Matris amabilis, ut ibi de uberibus gratiarum sugat vires ad resistendum & sine læsione evadendum; ibi latebit veluti in loco tutissimo, ab omni in-

cursu

cursu malo secura; dum pueri ab aliquo spectro terrentur, ad sinum matris confugiunt, sub illius umbrâ nihil metuentes; imò non rarò solent Matres aliquem subornare; qui pueros terreat; ut videant, an matris refugium & protectionem reclamabunt; ità etiam dum fœdissimis turpium imaginationum spectris turbamur, quo tutiùs fugiemus, nisi ad gremium Matris nostræ amabilis cum certâ fiduciâ, quod ipsa nos proteget; & quis scit, an Deus non permittat nos sæpiùs talibus tentationibus, & spectris infestari ac terreri, ut velut infantes ad hanc nostram Matrem dulcissimam confugere assuescamus? porrò suprà dicta fuga, hoc refugium sive ad vulnera Christi, sive ad ubera & sinum Matris amabilis, fieri debet cum sinceritate & teneritudine cordis, cum affectu filiali, cum firmâ fiduciâ, cum amorosâ ad vulnera Christi, ad ubera Matris conversione, sine voluntariâ ad similes tentationes & imaginationes reflectione. Atque hæc sunt præsentissima in actualibus tentationibus sive luxuriæ, sive blasphemiæ remedia; de alijs autem remedijs remotis, v. g. de castigatione & maceratione corporis, de mortificatione sensuum, de frequentatione sacræ Eucharistiæ, de fugâ sæculi, & similibus, hic nihil repetimus, cùm alibi de illis ut primò necessarijs abundè dicta supponantur.

Pueri territi currunt ad Matrem.

Sic in tentatione, ad MARIAM.

Quo affectu ad Christum & MARIAM confugiendum.

CAPUT X.

Sensualitas, & venialia peccata causant in animâ nebulam; quomodò illa tollenda; nebula causata à dæmone potest sine læsione transiri.

TEmpore nebulæ spiritualis, tenetur anima, illam impedire per subtractionem materiæ, quâ nebula ista sensualis concupiscentiæ fovetur: nam sicut nebula materialis oritur, dum vapores de terrâ vel aquâ ascendunt, & congregantur seu condensantur, cessat verò, dum illi disperguntur: ità etiam in anima facilè oritur horribilis, & nimium palpabilis nebula malarum tentationum, dum in illa abundant, & sine fremo assurgunt noxij vapores sensualitatum, pravorum desideriorum, immortificatarum passionum & sensuum; hæc enim omnia veluti pessimi vapores & exhalationes de terra maledicta corruptæ naturæ ascendentes, suppeditant fomentum tentationibus; at dum hi vapores in ipsa incipiunt evanescere per quotidianas sensuum mortificationes, per correctionem corruptæ naturæ, per discretam corporis macerationem, tunc etiam tentationes proprij amoris, propriæ quæ-

Nebula spiritualis quomodò impedienda vel tollenda.

Vndè causetur.

Evanescit per mortificationes &c.

quæsitionis, luxuriæ &c. facilè cessabunt, utpotè non invenientes amplius fomentum in corpore vel anima.

Causatur aliquando à diabolo sine culpâ naturę.

Verùm supposito, quòd in anima verè devota talis obscœnarum vel aliarum tentationum nebula non tam ex corruptione naturæ, quàm ex factione diaboli causetur; tunc anima humiliter confugiat ad asylum divinæ protectionis; nam sicuti nebula frequenter attrahitur & consumitur ab ardore & efficacia radiorum solarium; ità ut serenissima fiat aura sub meridiem; ità etiam sol divinæ justitiæ incipiens irradiare animam lumine suę gratię & accendere igne Charitatis, facillimè & quasi in instanti sæpè dissipat, & consumit omnem nebulam tentationum, prępertim in sensualitate & prava naturæ concupiscentia nullum vel exiguum pabulum habentium; ità ut lucescat clarissima dies gratiæ in anima Deum amante; sicque fit idonea ambulare in lumine solis, ut solem justitię immediatè & impermixtè ab omni nubecula vel nebula possit contemplari; & illum intra se radiantem, calefacientem, & omnes interiores vires fœcundantem percipere.

Lumen gratiæ dissipat nebulam à dæmone causatam.

Meridies clarissima animæ.

Pro tollendâ nebula spirituali implorandus Sol justitiæ.

Idcircò anima proficiens, exercere se continuò debet in amorosis & humilibus precatiunculis jaculatorijs ad Deum, ejusque Matrem amabilem, ut in se possit deprehendere hanc Divinitatis irradiationem; nam per illam valdè efficaciter tolletur omnis immortificatio sensualitatis, omnes tenebræ, ignorantiæ & obliviositatis in ratione, ac tepiditas voluntatis; his autem impedimentis & tentationum incentivis sublatis, brevi liberabitur anima ab innumeris defectibus, venialibus peccatis, & imperfectionibus, quibus per negligentiam, per sensualitatem, per inconsiderationem solebat esse obnoxia; ratione quorum nunquam in illâ videbatur lucescere clara dies; eò quod, nimirum illi defectus & imperfectiones condensam nubem causarent inter illam & Deum, sicque impediret radios divinæ gratiæ: Porrò hanc nubem, sive nebulam taliter tolli necesse est; alioqui enim indies ingravescit, & accessu novorum defectuum fit densior, animamque magis & magis ad terrena deprimit, donec dissolvatur in condensam & continuam pluviam venialium peccatorum in passiones, sensuum dissolutiones, concupiscentiæ ac proprij amoris effrenationes, idque ferè in omni cogitatione, verbo & opere; ità ut vix ulli rei manum admoveat, quin exigua illa pluvia proprię quęsitionis ubique penetret, & animæ pennas, seu intellectum & voluntatem planè humectet, ac impediat, nè purum, immediatum, & impermixtum ad Deum accessum inveniat.

Nebulâ à Sole consumptâ fit clara dies.

Nisi tollatur, causat pluviam imperfectionum.

Impedit animam volare.

Verumtamen nonnullis robustis animabus contingit, quod ex illa nebula, absque sua, saltem notabili, culpa, à dæmone causata, nullum percipiant detrimentum; nam sicut cygnus natat in aqua, absque madefactione, seu humectatione plumarum, eò quod plumæ illæ aquam non attrahant, nec humiditatis capaces sint, sicque semper siccæ maneant; ità etiam aliquæ ani-

Animæ fortes non curant nebulam à dæmone causatam.

animæ jam in virtute benè solidatę, etsi diabolus super illas pluere faciat densam nubem sensualium motuum, impudicarum repræsentationum, malarum inclinationum; tamen transeunt illam pluviam tentationum, absque eo, quod madefiant; nam ista aqua sensualitatis, quàm diabolus deforis super illas pluere nititur, non imbibitur, nec inhæret alis earum, eò quod ab intus non habeant amplius aliquam humiditatem, sed ratione jugis mortificationis, quamdam siccitatem, & divinę gratię pinguedinem illi aquę sensualitatum contrariam; atque adeò non est mirum, quod animæ immunes & siccæ pertranseant; neque enim concupiscentiæ malæ ad se possunt trahere voluntatem ità in Deo confortatam, nec phantasia intellectum ita illuminatum; quin potiùs tam intellectus, quàm voluntas remanent in suâ integritate, non amplius curantes tentationes partis sensitivæ, easque omnes sine læsione, imò cum lucro, inoffenso pede prætereuntes, delibuti oleo gratiæ Christi, quo in omnibus confortantur: etsi alioqui instar cygni, in medijs aquis tentationum natare, imò illis perfundi videantur; quocircà ut cum majori securitate in omni tentatione illæsi maneamus, debemus radicari in solido fundo perfectarum virtutum; oportet accumulare insignem thesaurum meritorum, necessè est oleo divinæ gratiæ animæ nostræ pennas impinguare; quo sic vix simus susceptivi malorum; sed omnes corruptæ naturæ inordinationes, ac dæmonis suggestiones cum industriâ discamus divertere, ac inadvertenter illæsi transire.

Cygni plumæ non humectantur in aquâ.

Sic aliqui nec pluviâ tentationum à diabolo causatarum.

Ob unctionem gratiæ.

CAPUT XI.

Quomodò anima timorata scrupulis angatur, præsertim antè & post S. Communionem; in refectione. &c cum periculo spiritualis jacturæ: &c.

ALijs prætereà tentationibus obruuntur animę proficientes; etenim dum diabolus advertit sese *frustrà jacere rete antè oculos* horum *pennatorum*, non ideò despondet animo, sed illis aliàs adhuc parat insidias, ideò dum eas cernit per timorem Dei, & maximè per filialem Dei amorem, pervenisse ad magnam conscientię teneritudinem; ità ut jam non solùm peccata mortalia capitali odio habeant, plusquam infernum; sed insuper nec ob vitam, nec ob mortem volenter & scienter vellent committere vel minimum peccatum veniale, idque ex puro amore, eò quod illa videant displicere oculis divinę Majestatis, summi boni omni amore infinities dignissimi;

Tentatio per scrupulos.

Odium peccati etiam minimi.

Scrupuli à dæmone causati. dignissimi; tum in eis multiplicet excessivam sollicitudinem, & anxietatem, ut servent conscientiam puram ab omni maculâ, ac ab omnibus, quæ tantæ bonitati displicere, vel minùs placere possent: persuadet illis, quod vix transeat unum Pater noster, absque eo, quod peccent: vix loquuntur unum verbum sine timore, quod Deum offenderint; vix oculos aperiunt, quin ipsis occurrant indecentia phantasmata, quibus verentur dedisse occasionem, & anxiantur, an illa debitè diverterint, vix recitant unum psalmum, quin dubitent, an non teneantur repetere, & alioqui putant se suo officio non satisfacere; si sub sacro parum distrahantur etiam invitæ, cogitant se ad aliud audiendum teneri: dum accedunt ad sacram Communionem, & factâ pro posse confessione sacramentali, ad eam se putant præparare, tunc tantis conscientiæ angustijs premuntur, ut oneratæ videantur omnibus peccatis totius mundi; ipsis occurrunt aliquæ minutiæ quasi essent gravia peccata, quæ nunquam clavibus submiserunt, vel saltem, sine debitâ de illis contritione, aut sine sufficienti circumstantiarum explicatione.

Caussatur ab illo, ut bona multa impediat. Diabolus studet semper aliquid novi adinvenire, quo eas turbet in suâ devotione; & quia eas ad malum ducere nequivit, ideò omnem jam navat operam, ut tali modo eas à bono impediat; putà, ab exercitio Fidei, Spei & Charitatis, ab exercitio humilitatis, gratitudinis, & sui ipsarum resignationis, in quibus se antè Communionem occupare deberent; & quandò diabolus in istis animabus hoc potest obtinere, magnum se putat retulisse lucrum ex lucro cessante illarum; ideò, etiam minimos defectus exaggerat in oculis earum, ut illorum exaggeratione territæ sacram Communionem omittant, & consequenter ejus fructu priventur. (Ante Communionem.)

Scrupuli post Communionem. Post sacram sinaxim, valdè graviter illis facit incidere, quasi malâ conscientiâ, & instar Judæ proditoris proditorio corde, cœlestem hunc panem sumpsissent; siquidem illis proponit aliqua peccata vitæ præteritæ de quibus videntur dubitare, an cum debitâ contritione fuerint confessæ; vel etiam aliqua ipsis venialia ingerit, quasi necessariò in confessione exprimenda, & tamen omissa, idque fit cum tantâ anxietate cordis, ut Communicando Christum Dominum cum Juda proditoriè vendidisse, & maximum totius mundi peccatum commisisse videantur; eò quòd ipsis incidat, quod non adhibuerint debitam diligentiam in examinanda conscientia, aut ex humano respectu aliquid Confessarium celaverint, vel non benè explicaverint; id quod malignus spiritus facit, ut sic impediat efficaces operationes istius cibi Angelici, ac amorosam animarum istarum cum Christo unionem (cui pro tunc maximè deberent incumbere) quandoquidem absolutè sacram Communionem non potuerit impedire. (Vt fructus impediatur.)

Præ-

Præterea malignus ille ægrè ferens quod illas animas non possit inducere in aliquam notabilem tentationem neque etiam avertere à continuo exercitio mortificationum, & omnis generis virtutum, adhuc machinatur alias insidias, ut saltem aliquid lucretur; ideò probè sciens, quod *omne, quod non est ex fide*, seu ex dictamine rectæ conscientiæ, *peccatum est*, omni modo conatur efficere, ut has animas in omnibus agendis, & omittendis in dubiam adducat conscientiam; hinc illis multa in speciem bona inspirat; dum necessaria corporis sumunt, vix bolum in ore ponunt, quin illis suggerat, quod illo ad honorem Dei deberent abstinere, pro animabus in purgatorio, vel in satisfactionem pro peccatis; vix haustum bibunt, quin simile illis ingerat; ità ut sint perplexæ, nec sciant, quid debeant facere; nam si talibus suggestionibus incipiant auscultare, non inveniunt in illis finem, & continuò magis urgentur absque eo quod vix aliquid cum libertate spiritûs facere possint; si illis inspirationibus non acquiescant, illis gravissimè incidit, quasi inspirationibus divinis resisterent; sicque Deo occasionem darent suam illis gratiam subtrahendi; quapropter dum in aliqua ariditate spiritûs relinquuntur, illis incidit quasi animus desperabundus quasi à Deo essent totaliter derelictæ, idque ex sua culpa, eò quòd divinas inspirationes se apprehendant neglexisse aut contempsisse: similes angustiæ eas obruunt etiam in alijs operibus, ità ut vix sciant, quid facere vel omittere, utpotè cum perplexæ hæreant in omnibus.

Cavenda dubia conscientia in operando.

Scrupuli in refectione &c.

Faciunt animam perplexam.

Hìc sunt animæ in periculo faciendi multa cum dubiâ conscientiâ, non resolvendo, quid hìc & nunc agere vel omittere debeant, vel possint juxtà beneplacitum Dei; atque hoc ipsum diabolo sufficit, hoc pro nunc intendit, ut nempè, animæ proficientes multa faciant vel omittant cum dubiâ conscientiâ, sicque saltem peccent defectu resolutionis, quod hìc & nunc liceat hoc vel illud facere vel omittere. Ex quibus patet summa malitia & astutia diaboli; & quomodò vita talium animarum sit continua tentatio super terram.

Diabolus intendit fovere conscientiam dubiam.

Vt sic peccent.

CAPUT XII.

Quomodò animæ in dicta tentatione se debeant exercere in fiducia ergà Deum.

DUm animæ hujusmodi tentationibus angustiantur, continuò exercere se debent in filiali fiduciâ ergà Deum; quidem sciant se reddituras in die judicij rationem de omnibus suis operibus, verbis & cogitatio-

Fiducia in Deum contrà anxietatem conscientiæ.

ribus; imò de omni verbo otioso; at meminerint etiam, Deum esse benignissimum & amantissimum Patrem, qui clarè *novit figmentum nostrum*, ac fragilitatem humanæ naturæ, ac proindè novit compati infirmitatibus nostris, ut misericors Pater: nónne audîstis Christum in horto excusantem somnolentiam Discipulorum, *spiritus quidem*, inquit, *promptus est, caro autem infirma*; ut sciamus ipsum non esse crudelem exactorem, sed benignum Patrem, qui promptitudine spiritûs, seu bonæ voluntatis contentatur, & infirmitatibus quotidianis quasi ultrò desiderat ignoscere.

Deus est benignus pater.
Matth. 26. d.

Quocircà animæ devotæ assuescant Deum ubique per fidem habere præsentem tamquam optimum Patrem, & non ut tyrannum vel ut immitem judicem aut vindicem, quasi omni horâ paratus esset eas punire, & quotidiana peccata vindicare: Pater potiùs movetur ad compassionem, quàm ad iracundiam, qui cernit filium sæpiùs incidere in phrænesim, ità ut præ amentiâ nesciat, quid faciat: Matres vix ægrè capiunt, quod parvuli illis dent alapam; noverunt enim quod pueri ratione non utantur: ità etiam nos sumus sæpè in familia æterni Patris velut filij phrænetici, & præ fragilitate sensuum indies ipsum sæpè offendimus; at ipse videns nos non peccare ex malitia, nec ex deliberata voluntate in malo, sed ex inconsideratione, ex mera fragilitate, est paratissimus nobis omni horâ ignoscere; & quasi compatientissima Mater, non ideò nobis denegat ubera misericordiæ, & gratiarum; tenet enim nos velut lactentes, qui nesciunt, quid faciant: tam citò, ac solummodò oculum pudoris filialis, & aliquod signum pœnitentiæ ad illum convertimus, illicò paterno affectu movetur, & libentissimè ignoscit nobis omnes negligentias nostras, & recipit nos in gremium suæ paternæ sollicitudinis, estque paratus nos amplecti velut amantissima Mater: quocircà etsi videamus nos sine peccatis vivere non posse; etsi confiteri oporteat *quia* indies *in multis offendimus omnes*, imò vix horam pertransimus sine pluribus imperfectionibus, & venialibus culpis; non ideò turbemur; sed amorosum ad Patrem nostrum cælestem habeamus recursum, eliciamus filialem ergà ipsum fiduciam; nec dubium, quin illicò remittet omnia: id expertus David dicebat, *dixi confitebor adversum me injustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei*; ecce quàm citò sequitur remissio! etiam tantum proponenti culpam agnoscere: sanè consolatur nos dilectus Christi Discipulus, dùm ait, *filioli hæc scribo vobis, ut non peccetis, sed etsi quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem*, JESUM *Christum; & ipse propitiatio est pro peccatis nostris*: quid volumus amplius? saltem sufficiat nobis ab eodem intelligere, & scire, quia JESUS *dilexit nos, & lavat nos à peccatis nostris in sanguine suo*, quoties ad eum cum humilitate & cordis compunctione recurrimus, idque multò libentius, quàm Matres solent abluere parvulos suos, dum in sordes ceciderunt.

Habenda præsentia Dei ut optimi Patris.

Compatientis infirmitatibus filiorum.

Deus facilè dimittit peccata ex fragilitate.

Ob quotidiana peccata non dejiciendus animus.

Psalm. 31.

Motiva confidendi in Deo.
1. Joan. 2. 1.

Christus est noster advocatus: lavat nos à peccatis.
Apoc. 1. 5.

CA-

CAPUT XIII.

Quomodò animæ in tentationibus scrupulorum & in omnibus operibus suis debeant habere puram intentionem.

VT ejusmodi animæ fœliciùs scrupulos superent, & vitent; conentur omnia sua facere cum purissima, qua possunt, intentione, nempè cum intentione Christi, & in unione meritorum ejus: postquam verò aliquod opus perfecerunt, & advertunt se multas illi imperfectiones commiscuisse, bonum erit illud opus corrigendum & emundandum committere infinitæ puritati Christi, & unà immaculatæ Virginitati MARIÆ, Dei ac nostræ Matris amabilis; atque ità illud simul cum prætioso Christi sanguine, & lacte virgineo, hujus dulcissimæ Matris, offerre æterno Patri cum tali intentione, quali ipsi placet, vel etiam cum aliqua intentione particulari, quam Spiritus sanctus posset suggerere: v. g. si aliquis vadit ad chorum recitaturus officium, antè omnia in se elicere debet desiderium legendi aut cantandi officium cum tali reverentia, attentione & charitatis fervore, quali Christus oravit, dum inter homines viveret, & quidem cum simili intentione.

Intentio pura habenda.

Modus purificandi opera nostra.

Exemplum in recitatione officij.

Hoc verò desiderium, durante divino officio, satagat continuare quantum in se erit; quod si posteà deprehendat, se nihilominùs cum multis distractionibus & mentis evagationibus divinis interfuisse, suam recitationem, vel orationem commendet purissimo cordi JESU, ut in eo velut in ardentissimâ divini amoris fornace, ab omnibus negligentijs & imperfectionibus depuretur, & oculis divinæ Majestatis grata efficiatur. Porrò cum hoc devotissimo & utilissimo exercitio, quisquis se fratrem vel filium divæ Virginis profitetur, aliud ferè simile conjunget ad suam sororem & Matrem amantissimam, hoc modo; optet orationem suam, v. g. facere cum tam intima recollectione, zelo, devotione, perfectione, sicut ipsa facere solebat; orando, tale desiderium foveat; ac posteà suam orationem illi commendet emundandam sacratissimo sanguine filij sui, vel virgineo lacte uberum suorum, sicque emundatam per manus ejusdem Sanctissimæ Matris offerat Patri cælesti eâ intentione, quâ ipsi placuerit.

Oratio nostra commendanda cordi Iesu.

Puritati D. Virginis.

Opera nostra D. Virgini commendanda, ut mundentur & Deo offerantur per manus ipsius.

Similem modum servare nos oportet in omnibus & singulis nostris operibus, in omnibus agendis & omittendis, sive in refectione corporali, sive in laborando manibus, sive in dormitione, sivè in quibuscumque alijs: atque ità vivere poterimus in cordibus JESU & MARIÆ, aut velut sugere sacratissima Christi vulnera, & superbenedicta ubera Matris nostræ amabilis;

Modus vivendi cum Iesu & Maria.

amabilis; ad illos nostra erit jugis conversio, cum illis jucundissima conversatio, & utilissima occupatio: ô quàm securè procederemus cum tali exercitio? quàm procul essemus ab omni angustiâ; quàm pura esset in oculis Dei tota vita nostra! quàm innocentes coram Deo & Angelis ejus: quàm tuti à scrupulis! quàm mundi ab imperfectionibus!

CAPUT XIV.

Quomodò anima scrupulis resistere, non omnes inspirationes sequi, nec ad suas actiones nimium reflectere debeat.

Ob scrupulos non omittenda Communio.

DUm aliquis, pro suo posse, fecit suam confessionem, potest, imò debet cum bonâ resolutione ad sacram mensam accedere, non attendendo ad aliquos defectus; hos enim nemo tenetur confiteri, sed per sincerum dolorem, vel per amorem Dei super omnia, omnium remissionem facillimè

Licet contrà scrupulos operari.

potest obtinere: hinc illi licet contrà scrupulos operari, modò formet judicium practicè certum ac sibi persuadeat, quod hìc & nunc, possit hoc vel illud tutâ conscientiâ facere; sciendum est enim, quod licet remaneat in intellectu aliqua formido speculativa, homo equidem simul habere possit judicium practicè certum de opposito, ut suprà adhuc dictum memini; quo-

Cum judicio practicè certo.

circà dum scrupulis agitur circà cibum & potum, aut circà aliquam aliam rem, attendat, ut omnem dubietatem tollat, ac se ad alterutrum cum fir-

Resolutè in omnibus procedendum.

ma resolutione determinet; aliquandò parum abstinendo, aliquandò cum gratiarum actione sumendo; aliquandò ad honorem Dei re aliqua carendo, aliquandò, cum elevatione mentis ad Deum, moderatè utendo.

Retinenda libertas spiritûs cum rectâ intentione in omnibus.

Solummodò sit sollicitus suam intentionem purificare, & purissimè ad Deum erigere, ac intereà retinere plenam libertatem spiritûs: sic enim agendo, bonum erit, ad quodcumque porrexerit manum suam; sive manducet, sive non manducet; sive bibat, sive non bibat, sive oret, sive non oret; sive cilicio se maceret, sive non: nam in omnibus laudat Dominum,

Ut scrupuli superentur.

ac recta ejus intentio & bona fides omnia rectificat, & facit bona; sicque resolutivè se in omnibus gerendo non timeat inspirationes Spiritûs Sancti vel impedire, vel negligere; eò quod se conformet regulis prudentiæ, quas sequendo securiùs & tutiùs ambulat, quam sequendo importunas illas & angustiantes suggestiones; ut autem omnes scrupulos melius evitet & spiritum Dei certiùs sequatur, vel illum à malo clariùs discernat, anima Deum quærens habeat semper in mente, servetque in opere, quod communis

Virtus consistit in medio.

omnium docet sensus, scilicet, *virtus consistit in medio*, v. g. sobrietas non consistit, in non manducando vel bibendo, sed in sumendo corporis alimento

mento secundùm naturæ necessitatem debito tempore, loco & modo; silentium non consistit in non loquendo, sed in loquendo suo tempore & loco, ac cum debitâ circumspectione, & idem est de alijs virtutibus.

Quocircà, dum quis advertit se exstimulari & ferri ad aliqua extraordinaria & excessiva, putà, ad notabiles abstinentias, pœnitentias, vigilias &c. aut certè, quod per importunitatem similium stimulorum & desideriorum, jugiter inquietetur, & turbetur, non debet, nec potest illis multum fidere: siquidem Spiritus Dei operatur in homine semper cum tranquillitate & interna pace; ut enim ait Sanctus Pater noster Elias, *non in commotione Dominus*, sed *in pace factus est locus ejus*; ibi operatur placidè omnia secundùm mediocritatem: in quo nè erret, sequetur in omnibus consilium viri timorati, idque punctualiter etsi fortassis in multis contrà sentiat.

Inspirationes ad excessiva suspectandæ.

Deus operatur tranquillitate, non cum commotione.

Prætereà qui scrupulis anguntur, caveant nimium reflectere suprà seipsos, aut suprà actiones suas quas semel bona fide exercuerunt; nec sibi facilè persuadeant, se in aliquo peccasse mortaliter; neque enim verosimilè eos graviter posse peccare, quamdiu tam tenerum sentiunt timorem offendendi Deum; quarè sese exerceant potiùs in simplicitate cordis, jactantes super Dominum omnem cogitatum, omnem sollicitudinem suam: nam cum sint tam bonæ voluntatis, ut patet, non habent occasionem inquietudinis, sed pacis & quietis, nam annunciatur ab Angelo, *Pax hominibus bonæ voluntatis*: caveant autem nè propter similem formidinem, aut scrupulos, ordinaria aliqua bona opera, v. g. Communionem omittant, sed omni formidine practicâ sepositâ resolutivè procedant.

Scrupulosi non facilè peccant mortaliter.

Non habent occasionem inquietudinis.

CAPUT XV.

Quomodò anima falso lumine decipiatur, ut antè tempus altiùs conetur volare; assimilatur vespertilioni, vel culici qui cum periculo ad lumen volant.

ANima proficiens summoperè æstuans ad quærendum Deum, & incipiens gustare, quæ sunt spiritûs Dei, jam confidit se certò esse de numero invitatorum ad cœlestes nuptias; sed ignorat, qualis ei locus sit destinandus; an humilem, an sublimem sedem occupabit; an ad vitam contemplativam vocata sit nec nè; ideò in suo interiori auscultat ad vocem Dilecti, an ab ipso non audiet, *amica, ascende superiùs*; an de statu vitæ meditativæ non assumetur ad contemplativam.

Anima proficiens confidit se electam.

Exspectat vocari ad altiora.

Luc. 14.

Porrò

Falsò lumine à dæmone tentatur.

Porrò satan hanc animæ dispositionem ritè cognoscens, transfigurat se denuò in Angelum lucis & simulat se missum à Patre luminum, ut ejus nomine illi dicat, *amica, ascende superius*; idque facit præmaturo tempore, quo necdum ad altiora est idonea, hoc modo; persuadet animæ, quod jam sit planè mundo mortua; quod nulli creaturæ ampliùs adhæreat, sed Deum purissimè intendat; quod ab omnibus, imò etiam à se-ipsâ sit libera, nulli rei alligata, nisi soli Deo, dum autem hanc animæ dedit impressionem, tum eam exstimulat ad arcana mysteria investiganda, ad perfectiones divinas curiosè scrutandas; illique infundit desiderium contemplandi cœlestia.

Antè tempus ad altiora vocatur.

Tentatur ut volet antequam habeat alas.

Petetis fortassis, quid mali diabolus intendat? audite, edisseram: imprimis, inducit animam ad volandum, antequam habeat alas, ut in altitudine contemplationum alis citò fatigatis, ipsa deficiat, idque eo periculosius, quo videbatur volare altius: dum olim Icarus (pro ut fabulantur Poëtæ) debilibus alis, seu pennis cerâ ad corpus compositis, putabat in altum volare, eas, præ solis ardore cerâ diffluente, amisit, ac decidens in medio maris, miserè submersus est, & *Icarus Icarias nomine fecit aquas*: hoc fabulosum est; sed certa experientia docet, quod pulli avium, antequam volatui sint maturi, nidum relinquentes, dum jam nonnihil volare videntur, statim in terram decidant, & deficientibus præ teneritudine alis, vix amplius se erigere valentes incidant miserè in manus aucupum: hoc idem per suggestionem dæmonis fit cum nonnullis animabus, quæ volunt pertingere ad summam perfectionem, sine medio; quæ conantur volare in sublimitate contemplationum, antequam in exercitio serventium meditationum acquisiverint alas illuminati intellectus, & accensæ in bono voluntatis; antequam conceperint radicata ad virtutem desideria, & firmam resolutionem Deo perfectè serviendi; siquidem sine his alis non valentes constanter agere in cœlestibus, exponunt se periculo per pusillanimitatem dimittendi totum, id est, omnia bona desideria, orationem, pœnitentias, mortificationes, sicque descendendi; seu redeundi ad lutum bonorum temporalium, ac in vasto hujus mundi oceano pereundi, aut benè incidunt in varias alias tentationes, affiguntur alicubi pici carnalium desideriorum, atque ità magis & magis rediguntur in potestatem diaboli; qui si advertat animam per fidele virtutum exercitium sibi comparâsse aliquo modo agiles & fortes alas ad volandum sursum in Deum, conatur eam inducere ad curiosè inquirenda divina mysteria, ac abscondita Dei judicia; in quibus ipsa facilè lædit alas, intellectum vel vanis speculationibus, vel erroneis conceptibus evanescere faciendo, & voluntatis desideria à praxi virtutum, maximè Humilitatis & Charitatis alienando; atque ità subindè graviter cadit, juxtà quod dicit Sapiens, *scrutator Majestatis, opprimetur à gloria.*

Fabula Icari.

Pulli avium antè tempus nidum deserentes capiuntur.

Aliqui volunt volare ad summum sine medio, sine alis.

Cum periculo deficiendi & turpiter cadendi.

Lædunt alas, quo sensu.

Prov. 25. 27.

Hic

Hic jam anima assimilatur vespertilioni, seu culici: nam ut docet experientia, dum aliqui intendunt capere vespertilionem, sub vesperam alicubi struunt ignem, cujus claritatem vespertilio percipiens, etsi ob visus debilitatem magnum lumen ferre vix possit, ipse tamen curiositate victus incipit circumcircà illum ignem volitare, & subindè adurit alas, vel etiam ex naturali impetu volat in ignem; & miserè comburitur: eodem modo aliquæ animæ habent adhuc oculum fidei, vel etiam naturalis ingenij valdè debilem, & tamen aspirant ad sublimes illustrationes; quas diabolus volens circumvenire, in aliqua sublimitate accendit fasciculum straminum, id est, infundit illis falsas illuminationes, inanes proponit visiones & revelationes, quibus illæ evanescentes, omnes circà illas, ingenij vires impendunt; undè sibi persuadent se mirabilia videre & circà divina plus cæteris illuminatas, ac perdunt suum tempus volitando, & se occupando circà falsas revelationes futurorum; subindè persuadet illis diabolus, quod debeant convertere totum mundum, Ecclesiam reformare, mirabilia cum tempore patrare; quocircà illis imprimit, quod debeant mutare statum, ut illæ prophetiæ possint impleri; illis persuadet, quod etsi Superiores, imò omnes homines id illis dissuaderent, non deberent omittere; imò etsi veniret Angelus de cœlo, & contrarium doceret, tamen id non deberent credere, cum Deum sibi locutum putent.

Anima falso lumine decepta est similis vespertilioni.

Quomodò eam diabolus decipiat.

Ad præsumptionem tentat.

Stulta persuadet.

Dum anima talibus illuminationibus auscultat, in illis facilè comburit alas, imò simul & semel in flammam incidit, & venit in perditionem: quid ità? venit in oppositionem contrà Superiores, passim sine scrupulo transgreditur obedientiam; ex nunc putat se à suâ regulâ exemptam; spernit consilia prudentum; efficitur pertinax in proprio sensu; vix etiam curat Pontificem; sicque est in periculo incidendi in hæreses; modos illicitos etiam contrà promissam Deo obedientiam adhibet, ut ad intentum perveniat, atque hoc sensu comburendo alas suas, intellectum erroribus, voluntatem obstinatione in malo corrumpendo tandem incidit in ignem infernalem: sic factum est cum obstinatis hæreticis, & utinam similia pessima principia in nonnullis, his temporibus, non fuissent notata!

Mala sequela falsi luminis.

Quo sensu ut vespertilio comburit alas.

Rursus, videre est culices seu cyniphes sub vesperam semper volitare circà lumen candelæ vel lampadis, nec cessant circumcircà gyrare, donec flammæ nimis appropinquando amittant alas & in terram decidant, ubi in miserijs vitam finiunt, vel conculcantur, vel etiam in candelâ vel lampade fixi manentes comburuntur: ità etiam aliquæ animæ, conceptis jam optimis desiderijs quærendi Deum in veritate, jam esurientes & sitientes justitiam; ità ut jam habeant alas spirituales, quibus ad majorem indies perfectionem volent, dæmonis suggestionibus seductæ, semper affectant internas illuminationes, nimis avidè volunt comprehendere divina, nimis

Cyniphes ad lumen volantes alas perdunt.

Animæ aliquæ similes illis.

altè

Falso lumine allectæ.

altè volant in lumine fidei, & inani curiositate impulsæ non verentur scrutari arcana Dei, fidei simplicitate minimè contentæ, nec humili subjectione captivantes intellectum in obsequium fidei; donec tandem comburant alas suas, id est, fidei, & ingenij oculos corrumpant; ità ut recedentes à via humilitatis & sanctæ simplicitatis, vanâ gloriâ eleventur, & inani de se præsumptione inflentur; undè paulatim de una imperfectione in aliam, de una negligentia in aliam, de venialibus paulatim in mortalia prolabentes moriuntur, privatæ vitâ gratiæ.

Comburunt alas suas.

Moriuntur.

Aliæ quidem adhuc retinent vitam gratiæ, sed in pœnam vanæ suæ præsumptionis, manent toto tempore vitæ suæ in tenebris, seu in privatione supernaturalis luminis, cujus defectu relinquuntur etiam in magnâ spiritûs ariditate; actualem Spiritûs Sancti visitationem seu tractum vix unquam percipiunt, vix aliquas cordis compunctiones vel pias affectiones videntur posse elicere; sincerum de peccatis dolorem ægrè percipiunt; amorosam ad Deum conversionem ignorant; ità ut versentur in mille angustijs, an Deus eas non omninò abjecerit à facie suâ; sæpè etiam magno in se tædio afficiuntur, obruuntur multitudine imaginationum, & per dæmonis suggestiones tentantur ad desperandum de salute, quibus subindè parum succumbendo repere incipiunt super terram per affectus terrenos, quibus aliquandò frænum laxant. Ex quibus colligere est multiplicia pericula animarum antè tempus volare volentium, antequam habeant alas satis robustas; & patet, quàm facilè decipiantur à satanâ sese transfigurante in Angelum lucis: quapropter his quoque providendum est de convenientibus remedijs ad has tentationes vel præveniendas, vel inoffenso pede fæliciter transeundas.

Aliqui falso lumini adhærentes, in pœnam, manent in ariditate continuâ.

In varijs tentationibus, quasi alis privati.

CAPUT XVI.

Quomodò proficientes in dictis tentationibus humilitatem exercere, experti viri consilium sequi, omnes singularitates vitare, simplicia quærere, curiositatem fugere debeant.

Internum testimonium proficientium.

Rom. 8.

Ab humilitate incipienda

IMprimis, dum proficientes jam putant sese suæ obligationi satisfecisse in via purgativa pœnitentiæ, mortificationis, & abnegationis sui, ità ut cum Apostolo confidenter possint dicere, *ipse Spiritus testimonium perhibet, quòd simus filij Dei*; ac proindè confidant se esse de invitatis ad cœlestes nuptias; tunc cum omni diligentia fodiant, & ponant profundum fundamentum

mentum Christianæ humilitatis semper præ oculis habentes suam vilitatem, indignitatem, & ad omne malum innatam propensionem; uno verbo, meminerint semper sese nihil esse & nihil posse sine adjutorio divinæ gratiæ; vi hujus profundæ humilitatis, omnibus sese inferiores arbitrentur, subjecti omni humanæ creaturæ propter Deum: reputent se consequenter minimos omnium, & indignos, qui cum alijs numerentur; ideò ultimo semper loco contententur; quinimò hunc pro se adhuc nimis bonum æstiment; nec ullo modo præsumant, quantum est de se, altiùs volare ad contemplanda divina mysteria, nisi notabilia habeant indicia, quod ad illos ex parte Dei dicatur, *amice ascende superiùs*.

via proficientium.

Nemo ascendat superiùs nisi vocatus.

Verùm, quomodò hoc poterunt discernere? *eant ad videntem*, quærant aliquem Patrem spiritualem, expertum in vita spiritûs, probatum per omnia, & in palestra virtutum benè exercitatum; quo invento, reputent se invenisse thesaurum, illi cor suum aperiant, manifestantes ei omnes suas affectiones bonas & malas, omnes animæ inclinationes, passiones, illuminationes, inspirationes, impulsiones, & similia, cum intentione, & firmo proposito, ejus verba excipiendi, & consilia sequendi, perindè ac si Deum loquentem & consulentem audirent, & oracula divinitùs acciperent; imò, etiamsi circà multa existimarent sese specialiter à Deo illuminatos, & aliqua per revelationem didicisse, illis neutiquam innitantur, sed pluris faciant unum verbum Superioris, aut Ducis spiritualis, quàm mille revelationes, & internas illuminationes; nam in his fraus & deceptio subesse possunt; in obedientiâ verò Patris spiritualis non possunt.

Pater spiritualis quærendus, audiendus.

Obediendum potiùs Superiori, quàm revelationi.

Secundò, servent bonum ordinem & modum in studio perfectionis, adhibentes ad hoc convenientia media, *nemo enim repentè fit summus*, sed ut ad supremum veniatur, transeundum per medium; neque verò quisquam facilè credat, quod Deus eum velit per spiritum singularem promovere; imò omnem singularitatem exercitiorum, inspirationum, desideriorum potiùs suspectam habeat, & pro posse vitet: quod si subindè Deus in aliquo vel per aliquem extraordinario modo operari desideret, vel ad vitam contemplativam vel super-contemplativam elevare, id faciet in spiritu potenti, cui nec ipse, nec ullus mortalium resistere poterit.

Adhibenda media ad perfectionem congrua.

Tertiò, ideò similes quantum est de se, semper simplicibus contententur tam in spiritualibus, quàm in corporalibus, non affectando aliquam spiritûs sublimitatem in oratione aut alijs suis exercitijs; hæc enim foret vana de se præsumptio, & spiritualis ambitio quæ animæ plurimùm nocet; summè caveant, nè velint & tendent volare, antequam habeant alas, antequam cum diuturno & strenuo labore acquisiverint soliditatem virtutum; nam ubi hoc fundamentum deficit, frustrà superædificatur; absque istarum robore & fortitudine non tutò volatur sine periculo brevi turpiter cadendi.

Non affectanda sublimia in oratione &c.

Ambitio spiritualis.

Sine solida virtute non proficitur.

Curiositas fugienda.

Quartò, rescindant omnem vanam curiositatem multa sciendi, vel cognoscendi de divinis mysterijs; nec facilè dent locum aut fidant aliquibus illustrationibus, præsertim dum sunt nullius vel exigui studij; nam alioqui facilè decipiuntur & incidunt in crassos errores ac vanam de se præsumptionem; sufficiat illis simplex & nuda vel viva fides divinorum mysteriorum; captivent intellectum in obsequium fidei; neque enim multæ speculationes, & sublimes illuminationes requiruntur ad perfectionem, sed constans, fervens & fidelis praxis eorum quæ cognoscuntur Deo placere, & sollicita fuga omnium, quæ sciuntur illi displicere.

CAPUT XVII.

Quomodò anima in ariditate tranquilla manere debeat, quia ariditas fortè magis salutaris, quàm sensibilis devotio, & quomodò hac debeat benè uti.

In ariditate tranquillitas servanda.

Aridiras sæpè magis salutaris.

Deus subtrahit sensibilia dona donec discamus illis benè uti.

Sicut Mater negat infanti saccarum, &c.

Vt ablectet dat absynthium.

QUandò Deus relinquit animam in obscuritate mentis & ariditate spiritûs, non conetur ipsa cum violentiâ se ab illâ obscuritate & ariditate liberare; nec ideò inquietetur aut turbetur, sed tranquilla maneat, divinæ dispositioni planè resignata; imò sibi persuadeat Deum sibi immittere talem dispositionem tamquam suæ saluti convenientissimam; eò quòd fortè prævideat, illam divinis illustrationibus & sensibilibus gratiæ donis in suam perniciem abusuram. Ille culici indubiè beneficium præstat, qui ipsi subtrahit candelam ardentem, quam ille circumvolando, alioqui alas & fortè vitam amitteret: ità etiam Pater luminum cum aliquibus agit misericorditer dum prævidens eorum fragilitatem, & levitatem, quâ divinis illuminationibus, vel internis consolationibus nimis sensualiter uterentur, vel, potiùs, illis inhærerent, ac in illis quiescerent, sine congruo studio summæ puritatis cordis, sine debitâ ad immediatam in Deo quietem tendentiâ; illis subtrahit benedictionem dulcedinis; donec didicerint illâ, non frui, sed uti præcisè tamquam medio ad Deum: in quo divina Bonitas imitatur bonam aliquam matrem, quæ infanti suo denegat saccarum, mel & alia dulcia, nè contrahat dolorem ventris per accretionem vermium; quin potiùs porrigit illi absynthium comedendum, ut eum sanet, aut etiam sinapi vel aliâ re amarâ linit ubera, ut infantem ablactet, & paulatim in virum enutriat.

Discat igitur animá devota, quomodò divinis favoribus, gratijs, & donis salubriter uti debeat; vultis scire, quomodò? sicut is benè utitur lumine

mine solis, qui solem fixis oculis non intuetur (nam alioqui caligaret, & corrumperetur visus illius) sed eo solummodò utitur tanquam medio ad sua quotidiana opera facienda; ità etiam talis anima utiliter & congruè utitur lumine divinæ gratiæ, & internâ spiritûs dulcedine, quæ illis non fruitur, seu in illis cum affectu adhæsivo non quiescit, velut in suo centro, sed illis mediantibus sinit se prudenter allici & duci ad Deum, qui est finis noster, in quo solo omnes creaturæ rationales centrum suum, & locum æternæ quietis invenire debent.

In Dei donis non hærendum, sicut nec visus in sole figendus.

Illis non fruendum.

Imitetur hic columbam, quæ à Noë ex arca dimissa, *& non inveniens, ubi quiesceret pes ejus, reversa est ad arcam*; nam eodem modo anima Deum quærens, viâ suæ creationis ex arcâ omnipotentiæ Dei in hunc mundum dimissa, non potest ibi quidquam invenire in quo pes inordinatæ affectionis, vel sensualitatis quiescat; sed indesinenter & sine mora revolare debet ad Deum, tamquam ad arcam, undè egressa est; non alijs alis, quàm divini amoris, aliarumque virtutum: caveat etiam à rebus transitorijs, ac mundanis voluptatibus, à delectationibus sive corporis, sive spiritus; sive naturalibus, sive supernaturalibus tanquam à bacillis pice illitis, quibus aves innitentes, facilè fixæ hærent & capiuntur.

Gen. 8. 9.

In nullo requiescendum nisi in solo Deo.

Idcircò ad nihil creatum attendat, multò minus affectum apponat, sed incessanter ad Deum tendat, dicens cum Divo Augustino; *Domine, creasti nos ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te*; & cum sancto Rege Ezechiâ, *meditabor, ut columba*; verùm, *quis mihi dabit pennas, sicut columbæ*? quales pennas? *pennas columbæ deargentatas*, id est, innocentiam vitæ; simplicitatem columbinam, sinceram cordis munditiam: ad quid servient hæ pennæ? *volabo*, inquit, *& requiescam*; *volabo*, utique procul extra omnem creaturam, seu longè extrà affectum inordinatum omnium creaturarum; *& requiescam* in solo Deo, centro & ultimo fine meo, ad quem creata sum; in nomine JESU, qui cum MARIA sit benedictus in sæcula. Amen.

Tendendum ad Deum.

Isai. 38. 7.

Psal. 54. 7.

Psal. 67. 14.

Alis columbinis.

CAPUT XVIII.

Quomodò anima tentetur ad spiritualem gulam, qualis, uti & corporalis, hic describitur.

DUm jam anima Deo chara moraliter certum habet indicium, quod ad cœnam nuptiarum Agni vocata sit; ita ut etiam in hâc vitâ experiri & prælibare videatur dulcedinem vitæ æternæ per internam & summè consolatoriam visitationem Spiritûs sancti, tum diabolus eam aggreditur ten-

Tentatio gulæ spiritualis vexat eos, qui habent internam dulcedinem.

 tatione

tatione gulæ ſpiritualis, in hunc modum, collectum ex natura & conſuetudine gulæ corporalis: ſicuti ergò gula ſecundùm corpus, eſt inordinatus appetitus eſculentorum & poculentorum corporalium; ità gula ſpiritualis ſpiritualium: homo gulæ corporali deditus, eſt de numero eorum *quorum*, teſte Apoſtolo, *Deus venter eſt*, cui primas & ultimas conſecrat cogitationes; ſiquidem ſemper implicatur cogitationibus de cibo & potu, quomodò ventrem farciet, & appetitui ſatisfaciet; ubi cibum & potum ad guſtum acquiret; dum vel ſolum audit bonum prandium parari, aliquam recreationem eſſe præ manibus, aliquam occaſionem genio indulgendi fortuitò præſentari, tum ſentit cor exultare, tum videtur vivere; eò toto affectu fertur.

Quid gula ſpiritualis.

Phil. 3. 19.

Guloſus ventrem ut Deum colit.

Ejus vita.

Guloſi miſeria.

Econtrariò dum multa jejunia vel dies abſtinentiæ præ foribus ſunt; dum portio eſt macilenta; dum non eſt ulla apparentia alicujus recreationis; dum diu debet abſtinere; tum fit melancholicus, triſtis, tædioſus, videturque deficere & debilitari; ex eo quod phantaſiam ſuam nimis foveat, quæ ipſi obvolvit, & ſimulat magnam comedendi & ſe recreandi neceſſitatem; uno verbo, omnes ejus cogitationes, appetitus & concupiſcentiæ terminantur ad manducare & bibere, tanquam ad finem & objectum ultimum; quo dum ei datur frui, tunc quaſi ſuper cibum & potum totus effunditur; tunc vel ex ſolo comedendi vel bibendi modo colligere eſt inordinatum ejus appetitum, & beſtialem animum; ità ut ſtomachum aggravet etiam uſque ad nauſeam; aliquid delicati habens in ore, maſticat, & ruminat illud, quaſi mœſtus, quod deglutire debeat, & ſic ejus ſapore privari; plurimi facit opiparam menſam; inter confabulandum diſcernit inter cibos & potûs, & pleno ore laudat ea, quæ guſtui arrident, ac toto corde eò ferri videtur; neſcit ſervare modum; exiſtimat enim ſemper in ſtomachoupereſſe (ut communiter dicitur) locum placentæ, ſeu exquiſito bolo, aut hauſtui; ideò vix abigi poſſe à locis, ubi genio indulgetur; ibi repetitur cum corpore & animâ; ibi vivit; extrà tabeſcit; ad horas circuiret, ut talem occaſionem inveniret; ſicque patet quomodò ventrem ut Deum colat, cui omnia ſua ſtudia dicat.

Super cibum effuſio.

Ejus vilitas.

Ex quibus innoteſcit viva hominis ſecundùm corpus guloſi imago, & unà, hominis ſecundùm ſpiritum guloſi non minùs viva delinatio; ſimili quippè modo nonnullæ animæ non purè Deum quærentes, ſed potiùs ſeipſas in ſuis ſpiritualibus exercitijs, capiuntur ſpirituali & valdè nocivâ gûloſitate; tales de ſuâ ſenſualitate, de propriâ in internâ dulcedine quæſitione, de proprio in ſenſibili devotione amore & ſatisfactione faciunt quaſi Deum ſuum, ad cujus honorem & ſaturationem, omnes ſuas cogitationes, & in vitâ ſpirituali diligentiam dirigere videntur; etenim cogitant & recogitant quomodò ſenſibilem devotionem, delectabiles illuminationes, & ſpirituales

Gula ſpiritualis deſcribitur.

Senſualitatem ut Deum colit.

les recreationes consequi poterunt; ad hoc unicè collimant, ut sibi interiùs satisfaciant, & ut inveniant media, quibus appetitum suum satient; ab omnibus inquirunt quid faciendo in rebus spiritualibus gustum invenire, quomodò sensibilem devotionem acquirere, divinis illustrationibus potiri, sicque proprio amori in illis queant servire: Dum alicubi percipiunt quod quidam, in aliquo modo orandi, communicandi, vel in alijs exercitijs, tanquam in opiparo convivio, inveniant vel invenerint magnam dulcedinem, satisfactionem, & saturitatem, etiam quoad partem sensitivam; utpotè cùm in illis fuerint præventi in benedictionibus dulcedinis, tenerrimo divini amoris affectu perfusi, in sapidâ rerum divinarum notitiâ, aut extasi sublimati; tunc omni affectu anhelant ibi colludere, & participes fieri; optant esse de numero invitatorum; eorumque consortio sese ultrò ingerunt, ut similiter in istis exercitijs epulari & satisfactionem, sicut isti, invenire possint: Si contingat, illos ex improviso, aliquam internæ dulcedinis guttam gustare, aut percipere aliquam specialem ad Deum introversionem, id reputant bonam fortunam; nec inquirunt, undè veniat, modò habeant; quamquam subindè ex factione & fraude diaboli esset falsa illuminatio, & illusoria affectio ab ipso causata, velut esca, ad animas alliciendas, & inanis in creaturis quietis, ac vanæ gloriæ occasionem & incentivum suggerendum: videte, ergò quàm hæc gula, animæ sit nociva, & quàm sensualiter donis Dei abutatur.

Gulosi studia.

Æmulatio.

Sensualitas spiritualis.

Decipitur falsâ dulcedine.

CAPUT XIX.

Quàm multas imperfectiones spiritualis gula causet in animâ; & quomodò anima seipsam quærat in donis Dei, &c.

DUm Deus permittit animam jejunare, eique subtrahit omnes sensibiles gratias, ità ut præ fame videatur multùm pati, nec suæ cupiditatis stomacho aliquid digerendum suppeditare possit; tunc versatur in mille angustijs, plorat, lamentatur, ac multùm conqueritur de prægrandi suâ egestate, & panis filiorum penuriâ; ferè est in periculo murmurandi contrà Deum, quod penuarium ciborum cœlestium sibi tam diu teneat clausum; videtur illi impossibile diutiùs spirituali escâ, seu sensibili divinæ gratiæ influxu privari; quorum omnium ratio est, quia ejus imaginatio adeò vivaciter circà apparentem sensibilis gratiæ necessitatem occupatur, ut putet planè impossibilè, alioqui in obsequio Dei perseverare; atque hoc pallio necessitatis vestit suam gulam spiritualem; breviter, in omnibus suis exercitijs & Dei obsequijs ad nihil aliud reflectere videtur, quàm quomodò

Constitutio animæ spiritualis gulâ tentatæ.

in illis propriam satisfactionem & saporosum gustum habere possit; circà hoc ludunt omnes ejus cogitationes, eò tendunt omnes ejus curæ & diligentiæ, absque eo quod debitè & purè intendat Deum, suum ultimum finem.

Quomodò abutatur internâ dulcedine à Deo vel diabolo immissâ.

Quod si Deus, ejus misertus modicam ei instillet dulcedinem, ei communicando aliquas micas & reliquias cœlestium nuptiarum, eam recreans sapidissimo aliquo interni solatij favo; vel etiam, dum satan transfiguratus in Angelum lucis, ei proponit ferculum falsæ dulcedinis; tunc maximè manifestat suam gulositatem, tunc totaliter effunditur super illam dulcedinem, tunc cùm omnibus suis sensibus in illâ quiescit; dum illi incidit aliquid interno palato gratum, dùm illi aliqua speculatio, aut pia motio, aut aliquis fervor devotionis arridet, toto illis affectu adhæret; illaque cogitat & recogitat, & hoc sensu mastîcat, cum magnâ sensualitate, etiam cùm jam dudùm transierunt, quærens quasi aliquem post-gustum; imò vix videtur posse satiare appetitum exercendo aliqua opera, in quibus gustum aliquem solet invenire; maximi videtur facere sublimes orandi modos, quia audit, quàm suaviter illi succedant multis Deum amantibus, libenter audit de varijs saporibus, & delectationibus, quibus nonnulli in oratione, vel sacrâ Communione fruuntur; idque cum tali gustu, ut cor ejus exilire videatur, atque ad similia gustanda anhelare incipiat, sicut cervus ad fontes aquarum.

Affectat spiritualia ex sensualitate.

Inordinatè afficitur ergà proprias devotiones.

Speciali pascitur satisfactione in proprijs devotionibus, in intempestivis precibus & vigilijs; opera pœnitentialia, disciplinæ, cilicia propriâ voluntate & arbitrio assumpta videntur ipsi saccarata, nec attendit ad mixturam propriæ voluntatis, propriæ quæsitionis & satisfactionis, quâ illa respergit; ita ut hæc omnia exigui vel nullius meriti sint in oculis Dei, utpotè, ut plurimum, ex naturali affectione assumpta, & naturali impetu peracta: hinc venit, quod etiam obedientia eam ægrè retrahere possit à similibus singularibus devotiunculis, & exercitijs, in quibus semel gustum reperit; sed illa furtivè etiam & clanculò facit; si superior eam à consuetis exercitijs impediat, conqueritur, quasi injuriam passa, dum pro suâ commoditate suis precatiunculis vacare non potest, vel per obedientiam, charitatem vel necessitatem aliquid aliud ad manum trahere cogitur, plurimùm sentit & dolet, perindè ac si impediretur epulari & genio indulgere; nec mirum; nàm sic ejus intentum præpeditur, & proprius amor, qui in illâ adhuc est valdè fortis & intensus, multum indè patitur; ad talem animam juvandam & ad spiritualem sobrietatem reducendam rursus bona remedia sunt necessaria; quarè sit.

Quæ propriâ voluntate sunt vitiatæ.

Etiam per obedientiam illas vix deserit.

Nisi cum magno dolore.

CA-

CAPUT XX.

Quomodò anima in nullâ creaturâ quiescere possit, sed per creaturas ad Deum essentialiter tendere debeat; perfectio non consistit in consolationibus & illuminationibus internis.

IN primis animæ proficientes maturè perpendant, & altissimè menti imprimant, Deum secundum suam essentiam esse suum ultimum finem, ad quem creatæ sunt; quod proindè nulla res creata illis licitè servire possit pro loco quietis permanentis, sed solummodò ad usum & ut media, per quæ ad Deum tendant & pertingant. *Deus est finis animæ; creaturæ media ad illum finem.*

Secundò sciant perfectionem non consistere in divinis consolationibus & miris animæ illustrationibus, sed eas solùm debere servire pro stimulo & calcaribus, quibus alacriùs, promptiùs & citiùs ad perfectionem perveniant. Eques quispiam stultè ageret, qui acceptis à Rege aureis calcaribus, ut pro ejus obsequio ad militiam iret, vel in certamen descenderet, sese contentaret respiciendo & admirando calcaria, absque eò quod equo calcar adderet, & propositum Regis promoveret: ita etiam, dum anima à Deo honoratur calcaribus spiritualibus sensibilis fervoris, ut illis exstimulata faciliùs decurrat viam mandatorum, aut consiliorum evangelicorum, valdè malè facit, dum putat sufficere, si oculos mentis, sensibilis devotionis consideratione pascat, ac ejus dulcedine sensualitatem mulceat; absque eo, quod suum cursum promoveat, & asino suo, seu corruptæ naturæ calcar addat ad celeriùs, citiùs & immediatiùs Deo appropinquandum. *Interna consolatio & lumen servire debent pro stimulo.* *Illis nefas est inhærere.*

In malam indubiè partem acciperetur, si sponsa aliqua donáta à sponso pretiosis monilibus, egregijs annulis &c. eadem pluris faceret, magisque amaret, quàm ipsum, cum ijsdem plus temporis insumeret, quàm ut ipsi complaceret, ac dilectionis signa exhiberet, sic ut ejus amor, non ad ipsum sponsum, sed ad ista monilia terminari videretur: eodem modo cives cœlestes, spiritus Angelici, simul & ipse Deus optimus maximus procul dubio pessimè capiunt, & spirituali ardent æmulatione, dum vident aliquam animam à cœlesti sponso donari pretiosissimis monilibus gratiarum, copiosissimè præveniri in benedictionibus dulcedinis, certissimâ amoris arrhâ assecurari, ut ipsa alliciatur ad reciprocam ac purissimam sponsi dilectionem, & tamen illis omnibus gratiarum charismatibus & favoribus abuti, illis vel omnem, vel potissimum affectum apponendo, nec se to- *Sponsa non potest plus amare dona Sponsi, quàm Sponsum.* *Angeli ægrè capiunt, dum donis Dei inordinatè adhæremus.*

tali;

Quomodò ijs utendum.

taliter ad amorem Dilecti convertendo: reverà anima, ut suo muneri satisfaciat, advertens summam Sponsi sui dignationem, & favorem, omnia ejus dona & munera ad partem seponere debet nec ad ea ullatenùs cor apponere, ut ab omnibus expedita & planè libera puriorem ad ipsum habeat conversionem; ut minùs illis utatur, ut ornatu sibi divinitùs concesso, quo Dilecto suo complaceat, & veluti sui ergà ipsum amoris pabulo, absque eo quòd in illis ullo modo quiescat.

CAPUT XXI.

Quomodò sensibilis devotio sit imperfecta; interna dulcedo sæpè nocet, causat amaritudinem, & anxietatem; in solo Deo satietas quàm bona sit indifferentia.

SCiat anima Deum quærens, quod quo sensibilis satisfactio major est, eò amor sensualior: minùs spiritualis & imperfectior sit; ideò potiùs ab internâ dulcedine & sensibili devotione aversionem habeat, utpotè cum illa sit pabulum & nutrimentum sensualitatis, ac purioris seu spiritualis amoris impedimentum: dum aliquis multum saccari comedit, aut alijs dulcioribus cibis vel potibus utitur, tum gustus corrumpitur, appetitus minuitur, stomachus malè disponitur, vermes generantur, qui faciunt totum hominem languêre, & omnis dulcedo vertitur in amaritudinem: eodem modo dum anima in suis exercitijs solummodò affectat saturari dulcedine teneræ devotionis, suavi divinæ visitationis favo, ac internæ consolationis ubere lactari, non cogitet se sanitati spirituali consulere; nam ejus gustus omninò corrumpitur, ne possit gustare quid sit Deus secundùm suam Essentiam; nescit discernere inter sensuale & spirituale, inter naturale & supernaturale, *nec sapit ea, quæ* purè *Dei sunt*; est enim adhuc animalis & infirma; infirma autem non judicant benè de saporibus; præterea ratio & voluntas ejus non rarò replentur amaritudine, dum illâ dulcedine carendum est; ac posteà generantur in ipsâ vermes maximæ angustiæ & anxiæ sollicitudinis, qui animam tempore internæ abstinentiæ, spiritualis penuriæ & ariditatis, non leviter rodunt, & ferè tabescere faciunt, quia jam cogitur carere eo, quod tantoperè appetit; sicque quantò anteà interna dulcedo erat major, tanto jam eam torquet major amaritudo; neque solùm vermes isti eam rodunt tempore internæ egestatis & inopiæ, sed etiam durante adhuc ipsâ dulcedine, non cessant eam inquietare vano timore illam dulcedinem amittendi.

Dulcia nocent sanitati.

Dulcedo spiritualis affectata nocet animæ.

Causat amaritudinem.

Vermes inquietudinis.

Ursi

Ursi insatiabili appetitu mellis ardentes immittunt caput alveario, sed simul cum favo mellis, illud retrahunt opertum & aculeatum ab examine apum: ita etiam aliquæ animæ plenæ amore proprio & appetitu sensibilis dulcedinis in vitâ spirituali, applicant intellectum, memoriam & voluntatem pijs exercitijs, non alio animo, quàm ut indè velut ex alveario referant favum divinæ consolationis; sed dum indè mel sugere opinantur, & caput retrahere volunt; dum, inquam ab oratione vel sacrâ Communione redeunt, & in pœnam suæ spiritualis gulositatis, inveniunt intellectum divino lumine privatum, memoriam bonis cogitationibus destitutam, & voluntatem sine actuali tractu supernaturalis motionis vel affectionis; tum sentiunt multos aculeos & punctiones inquietudinum, angustiarum & melancholiæ; nam sensibili devotione, & fervore spiritus (quibus anteà avidissimè inhiabant, vel inordinatè inhærebant) jam se carere sentiunt cum majori dolore.

Ursi mel affectantes, aculeantur ab apibus.

Animæ gulosæ similes ursis in appetitu mellis.

Prætereà meminerint animæ devotæ, quod nullæ creaturæ quantumvis excellentes, supernaturales vel divinæ, eas possint satiare; nam solus Deus ad hoc sufficit; eo quod creatura rationalis ad Deum sit creata, ut in ipso vivat, moveatur & sit, ut in ipso nutrimentum inveniat: & velut in centro suo quiescat, Regius Propheta omnia probaverat, sed in nullâ re creatâ, sive in cœlo, sive in terrâ, appetitum valens satiare, clamabat ad Dominum, *satiabor, cum apparuerit gloria tua*, insinuans, quàm præstans cibus homini sit paratus, scilicet gloria Dei, qui est Deus ipse: ex quo clarè colligere est, quàm viliter agat anima, quæ suæ nobilitatis oblita, nec attendens ad delicatissimum divinæ Essentiæ ferculum sibi paratum, contentatur aliquibus micis, & pro Creatore recipit creaturam; loco, quod ad finem diligenter tenderet, hæret in medijs.

Solus Deus potest satiare animam rationalem.

Psalm. 16. 16.

Insuper anima discat libenter carere omnibus, quæ Deus non sunt, summo studio conando extirpare omnem quæsitionem propriam, & proprium interesse; & velut pestem vitando omnem singularitatem propriarum devotionum & exercitiorum; hæc enim sunt pabulum proprij amoris, & effectus propriæ voluntatis: quarè in omnibus conetur se habere cum magnâ libertate spiritus, nulli rei alligata, sine electione, sine differentiâ, cum perfectâ indifferentiâ, exspectans, quidquid obedientia Superioris injunxerit, charitas exegerit, aut necessitas urserit, sive amarum, sive dulce; sive arduum, sive commodum; nam isto solo modo discet uti creaturis, sicut oportet, & ad suum ultimum finem perveniet; utetur creaturis tanquam medijs, quibus Deum essentialiter consequetur, & contemplabitur non solùm in suis creaturis *velut in speculo, & in ænigmate*, sed in se ipso, *sicuti est*.

Privatæ devotiunculæ vitandæ.

Nutriunt proprium amorem.

CAPUT XXII.

Anima ſine ſpirituali ſobrietate incidit in invidiam aliorum, in murmurationem contra Deum; & in anguſtias multas.

Ex gula ſpirituali oritur invidia ſpiritualis.

QUamvis anima ſæpiùs debeat ſpiritualiter jejunare, eò quòd Deus ad eam in humilitate conſervandam, ipſam relinquat in tenebris & ariditate; ità ut experiatur extremam paupertatem ſpiritûs, niſi tamen ſe in hoc voluntariè exerceat, & paulatim omni nutrimento ſenſualitatis cordialiter renunciet, nunquam ad virtutem ſpiritualis ſobrietatis perveniet, ſed ſemper manebit æquè guloſa, cum magnâ ſenſualitate anhelans ad internam ſatisfactionem, & ſenſibilem certitudinem; quam tentationem ſi non viriliter ſuperet, incidit adhuc in aliam non minùs perniciosam, ſcilicet in alieni profectus invidentiam: dum enim alios advertit præventos in benedictionibus dulcedinis, ad quam ipſa tantopere anhelat, illis invidet, dum videt alios tentationum difficultates facilè divertere, & ſe econtrà in illis tantoperè deſudare, alios ſine labore virtutes exercere, ſe humiliare, omnibus ſubjicere, aliorum obloquia ac dicteria manſuetè ſufferre; ac econtrà ſeſe magnam ſibi vim inferre debere, ut aliquod opus virtuoſum præſtet; ut ſe, ſuumque judicium in aliquo frangat, & abneget, ut unum verbulum digerat; alios ità eſſe zeloſos, ferventes, & intimè recollectos in oratione; & econtrà ſe tam flaccidam, aridam & diſtractam, ut multitudine indecentium cogitationum & repræſentationum obruta & devicta videatur; dum intelligit, quod alij magnâ cum devotione, tenerâ affectione, & doloroſarum, ſed ſuavium lacrymarum effuſione, ſacramenta frequentent; & ipſa econtrà cum magnâ cordis inſenſibilitate, ſine perceptione alicujus fomitis devotionis vel doloris de quotidianis defectibus; ità ut cor ejus videatur eſſe lapideum, quod conteri non poteſt; deniquè dum cernit, quod conſodales ſemper ſint vigiles, diligentes, & alacres ad omnia, quæ perfectionem queunt promovere, vel quæ Deo ſciunt placere; & quod econtrà, ipſa ſit tam ſomnolenta, pigra, negligens, & acedioſa in omni Dei obſequio, ut ſincerum virtutum exercitium cordi habeat, & Dei beneplacitum exequatur: tunc maximè inquietatur, & turbatur, aliquandò, ſibi-ipſi iraſcendo, quia non poteſt ità ſicut alij, ſe-ipſam vincere; aliquandò alijs ſuum profectum invidendo; ex quo etiam ſubindè venit, quod aliorum præſentiam pati non poſſit; imò omnes agendi modi, actiones & verba ipſi ſint quaſi totidem pugionum

Materia invidiæ ſpiritualis.

Invidentia profectûs alieni.

Invidia ſpiritualis affligit.

pugionum ictus cor ejus vulnerantes; ità ut illi sit molestum vel solum eos videre, audire, aut aliquid cum illis agere; quin etiam quasi adigitur, ut eorum modum loquendi illusoriè imitetur, vel etiam colaphum impingat, ità ut videatur impossibile, illis diutiùs cohabitare, vel aliquid de illis audire.

Subindè etiam interiùs movetur ad murmurandum contrà Deum, quarè alios suâ gratiâ ità præveniat, & se deserat; quarè aliorum laborem respiciat, tam liberaliter remunerando, ac suum laborem, sudorem & angorem, quibus se existimat divini beneplaciti executioni studere, non videatur æstimare, ideò clamat ad Dominum cum illis, quos refert Propheta Isaias, *quarè jejunavimus, & non aspexisti? humiliavimus animas nostras, & nescisti?* — Murmuratio contrà Deum ex invidia spirituali. — *Isa. 58. 3.*

Atquè ità inducitur in pejorem tentationem blasphemiæ contrà Deum, quasi non esset justus, nec fideliter redderet unicuique secundùm opera sua; in quo etiam miscet vanam de se præsumptionem, ac se alijs in meritis parem aut etiam majorem æstimat; aliquandò in alijs deprehendens aliqua signa fervoris, inclinationem ad divina, delectationem in pijs colloquijs, zelum ad promovendam in alijs perfectionem, videtur crepare præ malitia, & obrui tristitiâ, & pusillanimitate, quia se à similibus videt ità alienam, ac sibi persuadet omnem suum laborem esse frustraneum, cum Deus non videatur illi benedicere, hinc est sæpè lacrymabunda, & hinc indè varijs agitatur passionibus, nec ullibi quiescere posse videtur. — Blasphemia contrà Deum. — Invidia spiritualis.

Tum eo magis turbatur, dum omnes has passiones odij, iræ, invidiæ, malevolentiæ, doloris & immoderatæ tristitiæ pati cogitur contrà suam voluntatem cum magno tædio sui-ipsius; & tamen aliundè easdem cum tam vivis impressionibus, & repræsentationibus sentit, ut videatur ab illis pati violentiam, absque eo, quod possit resistere; quocircà extremè anxiatur, an non fortassis in omnibus delinquat, & illis consensum præbendo, continuò Deum offendat. Ubi iterùm videre est animam Deum quærentem molestissimis angi tentationibus, quas ut immunis evadat, bono indiget consilio; pro quo lege capitula sequentia. — Angustiæ animæ tentatione gulæ, invidiæ &c. vexatæ.

Caput XXIII.

Quomodò anima debeat se donis Dei indignam æstimare, ac Deum secundùm se, & non secundùm sua dona quærere.

Remedia contrà invidiam spiritualem, contrà murmurationem contrà Deum &c. Agnitio propriæ indignitatis.

Etiamsi devota anima insatiabiliter debeat esurire & sitire justitiam, ut indies proficiat sapientia & gratia coram Deo & hominibus; paulatim tamen eò humilitatis pertingere debet ut funditùs agnoscat se omnibus Dei donis & gratijs indignissimam, aliosque majoris apud Deum meriti existimet, quàm se: ideò semper manens immersa profundo sui nihili, sit semper parvula in oculis suis; alioqui enim ubi est ejus humilitas? an fortassis argilla dicet figulo, quarè me ponis super talem formam & non super aliam? an oculus ejus nequam est, quia Dominus alijs est bonus, & cum alijs facit misericordiam suam? an forsitan Deus illi debitor est? an non sæpissimè delinquendo à Deo meruit deseri? quo jure conqueritur? maneat ergò in profunda humilitate.

Pura quæstio gloriæ Dei in se.

Sine reflectione ad proprium interesse.

Deindè discat purissimè & sincerissimè quærere gloriam & honorem Dei secundùm se, de illa summoperè gaudens absque reflectione & differentia, an illa in se vel in alijs promoveatur; equidem Deus quærendus est secundùm suam essentiam, abstrahendo ab hoc vel illo: & non tam pro ut in illa, vel in alijs suam bonitatem ostendit, vel gloriam manifestat; Dei honorem zeletur in omnibus, sed æqualiter de illo lætetur in alijs ac in se; sanè lusus est proprij amoris, qui animam facit aliorum bonis invidere, eamque semper ad seipsam inclinat, ut Deum solummodò in seipsâ & pro seipsâ quærat; est propria quæstio, quæ facit, ut anima quasi sibi persuadeat, quod Deus tantò minùs seipsum illi communicet, quantò se magis alijs communicat; porrò in hoc se anima planè mortificet, & Dei gloriam puriori & à sui ipsius reflexione defæcatiori amore quærere discat, non ità attendendo ad proprium interesse.

De aliorùm profectu & gratijs gaudendum ut de proprijs.

Quocircà dum illi incidit, quod aliorum opera sint perfectiora, quàm sua; quod alij ampliores à Deo gratias obtineant, quàm ipsa; quod alij sint magis recollecti in oratione, ferventiores in Charitate, perfectiores in virtutibus, quàm ipsa; tunc illis ex corde congratuletur, & gaudeat in Domino, sumendo suam jucunditatem ex dignitate & operatione Dei circà illos, & in illis; sitque illi satis, quod Deus laudetur, honoretur, ametur, à quocumque & ubicumque hoc fiat; sic enim ostendet se purè & impermixtè

mixtè quærere gloriam & honorem Dei, sine mixturâ proprij commodi: saltem Charitas proximi eam doceat, quod debeat gaudere de bono proximi, sicut de suo; & verò quid ejus refert, ubi Deus operetur? sinat ipsum operari, ubi vult, & quomodò vult; sit ipsi indifferens ubi, & in quo, & per quos gloria Dei, ac honor divini nominis augeatur, magnificetur & sanctificetur, modò augeatur, magnificetur, & sanctificetur.

CAPUT XXIV.

Quibus medijs anima vincere debeat spiritualem invidiam, aliasque tentationes blasphemiæ, aut murmurationis contra Deum, &c.

VT anima hanc spiritualem invidiam seu zelotypiam fœliciùs superet; proderit imitari Sanctam nostram Magdalenam de Pazzi; quæ magis anhelabat ad perfectionem aliorum, quàm ad propriam, undè dicere solebat, quod dum quis à Deo postulat unum gratiæ gradum pro se, duos petere debeat pro alijs; cujus forsitan ratio esse potest; quia unusquisque per humilitatem sese agnoscere debet gratiâ Dei indigniorem, quàm alios; ac proindè, servetur justitia distributiva, sibi minorem, alijs utpotè, in opinione suâ, dignioribus & meliùs dispositis, majorem gratiam debet exoptare. Parvus puer non postulabit pro se magnam vestem, magnos calceos &c. sed potiùs minorem habitum, minores calceos, at pro alijs majores; advertit enim minora sibi magis esse proportionata, & alijs majora: ità etiam humiles animæ sibi persuasum habent, alijs ut in virtute majoribus perfectiorem gratiam competere, quàm sibi; cum enim sint parvi in oculis suis, non existimant sibi aliqua extraordinaria & magna convenire.

> S. M. de Pazzi dicit, quod alijs major sit gratia postulanda, quàm nobis ipsis.
>
> Ratio.
>
> Humilis putat sibi magnam gratiam non convenire.

Pretereà, dum anima tentatur ad blasphemias, & murmurationes, seu internas querelas contrà Deum, profuerit, illas inadvertenter sine voluntariâ reflectione præterire, quasi dedignata ad illas, utpotè nimis notoriè exorbitantes à ratione, oculum mentis conjicere; sicque hanc tentationem sinat abire sicut turbinem, ad quem solemus occludere oculos, ne corrumpatur visus.

> Modus superandi blasphemiæ tentationem.
>
> Non curare,

Insuper exerceat se anima in benevolentiâ ergà alios, in cogitationibus mansuetis, in benignitate, & suavitate Spiritus; tali quippè modo faciliùs superabit omnem internam amaritudinem, invidentiam, iracundiam, contumeliam, & quidquid fraternæ dilectioni contrariatur: dum fortè

> Contrà invidiam charitas fraterna exercenda.

In vehementi tentatione in humilitate latitandum.

hæc omnia non videntur multum juvare, sed vehementia passionum eam quasi propellere ad multas imperfectiones; tum cum magnâ humilitate sese occupet in internâ agnitione, suæ duritiæ, obstinationis, & immortificatæ naturæ, donec illæ passiones nonnihil sedentur; caveatque illas ullatenus fovere.

Aves in pluvia volantes nidum quærunt.

Dum exurgit aliqua tempestas, vehemens pluvia, grando, vel turbo; tum aves in aëre volantes quidem aliquantò tempore pergunt volare; sed dum sentiunt se fatigari, & in pluviâ vel turbine, vel grandine periclitari, descendunt, & quærunt alicubi suum nidum, vel asylum, ut ibi tutæ lateant, donec tempestas transierit: eodem modo animæ faciendum est: nam dum in parte ejus sensitiva oritur aliqua tempestas indomitarum passionum iracundiæ, odij, invidiæ, inordinatæ pluviæ lacrymarum: tunc quidem bonum est, aliquo tempore experiri, an volando, id est, virtutes exercendo, & positivè resistendo, hanc tempestatem poterit perfringere, has tentationes superare, & sese extricare; sed dum comperit, se per hoc magis turbari, & intricari: ità ut non videatur sine magnâ violentiâ virtutes posse exercere: tunc consultiùs descendet, & manebit in nido sui nihili, exercendo se in internâ humilitate & notitiâ sui, nec sibi vim inferendo, ut positivè resistat, cum firmâ tamen resolutione Deum in nullâ re offendendi; sed ei per omnia, pro posse, placendi; idque donec tempestas illa per rectam rationem, vel per radium divinæ illustrationis tranquilletur; & dissipetur.

Vehementi tentationi non semper positivè resistendum.

Sed in humilitate.

Tentationes contrà voluntatem non curandæ.

Deniquè quo anima has passiones & tentationes magis invita patitur, eò potest esse securior & tranquillior, ac delectari in Domino, cum firmâ fiduciâ, quod Deus illam semper per gratias fortificantes adjuvabit; nec cadere permittet; quin potiùs, ex hâc luctâ sumet occasionem eam uberiùs remunerandi, hìc per multiplices gratias, & in alterâ vitâ per coronam gloriæ.

CAPUT XXV.

Quomodò diabolus conetur impedire perseverantiam prætextu corporalium infirmitatum.

DUm anima timorata jam aliquo tempore sese arctè custodivit; & ad se suaque omnia strictam adhibuit reflectionem; dum jam plurimas sustinuit & perfregit tentationes, virtutesque strenuè exercuit; tum illi advenit alia tentatio, ut exitus hujus spiritualis profectûs tandem impediatur;

diatur; verùm illi exoptando, dico cum Regio Prophetâ, *Dominus custodiat introitum tuum*, in militiam spiritualem, *& exitum tuum*, in eâdem militiâ, seu palestrâ virtutum per gratiam perseverantiæ, *ex hoc nunc & usque in sæculum*; sperans, quod *qui dedit incipere, dabit & perficere*; verùm qualis est hæc tentatio? anima per jugem omnium virium suarum occupationem in Deo & in rebus ad salutem pertinentibus, eò quòd necdum hanc occupationem didicerit cum aliquâ industriâ facere sine fatigatione, facilè incidit in aliquos languores corporales; aliquandò percipit aliquem dolorem capitis, stomachus vix videtur ampliùs fungi suo officio in digerendo; dolet subindè pectore, laborat tussi; aliquandò sentit aliquam alterationem, &c. Satan hoc advertens, illicò est in opere, sperans hinc aliquem fructum; ideò hic cooperatur, illos exiguos, & (ut dicitur) religiosos languores exaggerando, vel etiam subindè pro majore parte causando, ut animam decipiat, & phantasiam ejus turbet; ità ut illas debilitates triplo plus ponderet & æstimet, quàm in se sunt: sentit se valde flaccidam, & debilem; sic ut vix possit respirare, dum gradus aliquos ascendit, & videatur indigere aliquâ requie ut vires recuperet; ideò videtur ipsi discretio dictare, ut sibi tantisper indulgeat in quiete, vel in ijs, quæ corpori sunt commoda & delectabilia.

Psal. 120. 8.

Phil. 1.

Virtuosi religiosi incidunt facilè in corporales languores.

Diabolus auget infirmitates, & exaggerat.

Tentatio occasione infirmitatum ad nimiam corporis curam.

Ipsi incidit, quod indies expediat jentare manè, & à meridiè merendam sumere, ut corpus confortet; non attendendo ad jejunia regulæ; videtur ipsi ad sanitatem conducere usus conservarum, confortativorum aromatum; & quia illam pudet singulis vicibus à Superiore veniam petere, tentatur ad ea citrà ejus scitum procuranda & usurpanda, uti & ad jentandum, dum datur occasio.

Ad sensualia.

Ratione hujus debilitatis corporalis, conatur eam diabolus perducere ad pigritiam & regularis disciplinæ negligentiam: quocircà dum aliquod commune opus, nonnihil laboriosum faciendum est, desiderat planè ab illo declarari exempta; etiamsi intereà per domum vagari, passim silentium frangere, & aliter tempus inutiliter terere non erubescat: de nocte vel manè excitata, ut cum alijs Choro intersit, videtur dolere capite, vel stomachi debilitatem sentire; & diabolus illi persuadet, quod possit diutiùs quiescere, ut majorem infirmitatem evitet; quod posteà Superiori rationem dabit; sicque decepta negligit regularitatem: sub prætextu alicujus debilitatis, sed reipsâ pigritiæ; si posteà percipiat Superiorem nihil scire de suâ absentiâ, nil illi dicit, & simulat se cum alijs divinis adfuisse; ac generatim, dum alicubi apertam videt occasionem, facilè se subtrahit actibus communibus; utque id faciat cum majori libertate; in consortio aliorum sese debilem eventilat, ac de quotidianis suis languoribus libenter loquitur, qui potiùs latent in ejus apprehensionibus, quàm reipsâ sint; quò sic

Ad regularitatis negligentiam.

Ad pigritiam.

Ad libertatem.

ſic ſuam deſidiam, & vitæ mollitiem meliùs coloret, & proſequi poſſit abſque aliorum obloquio.

CAPUT XXVI.

Quomodò diabolus ſub ſpecie boni multos tentat ad deſerenda ſtudia; quibus à Superioribus applicantur; per quod ad multos defectus alliciuntur.

Tentatio ad deſerenda ſtudia.

QUid dicam de illis, quos obedientia ſtudijs deſtinavit, ut cum tempore doctrinam conjungentes pietati, fructum faciant, primò in ſe, deindè in alijs? ut procurent ſalutem multorum, ut veluti data lumina ſuo tempore ſuper candelabrum poſita luceant omnibus qui in domo ſunt? hic ſatagit diabolus ponere baculum in rotâ; quocircà illis ſuggerit, quod ſtudia & ſcientiæ non ſint neceſſaria & utilia ad ſuam ſalutem, nam ſcriptum eſt, *ſcientia inflat* & facit ſuperbire; illis perſuadet ſtudia eſſe difficilem obedientiam, quâ impediuntur, ne ſequantur internum tractum Spiritus ſancti: ipſis proponit quod præſtaret tempus ſtudij impendere lectioni librorum ſpiritualium, orationibus, & meditationibus; quâ ſpecie boni facilè decipiuntur & inducuntur, ut ſtudia deſerant, vel hinc indè aliquod tempus ſtudij pro ſuo guſtu, particularibus devotionibus impendant, vel etiam tam exiguum ergà ſtudia affectum retineant, ut ſe illis vix queant applicare; ſicque neutrum faciunt, ſed tempus ſuum tepidè & inutiliter terunt.

Prætextu quod diſtrahant & inflent.

1. Cor. 8,

Prætextu ſtudij pietatis.

Titulo infirmitatis, ratione cujus doctrina ad nihil ſerviet.

Hæc tentatio in illis augetur etiam per minimam apparentiam infirmitatis, tunc enim apprehendunt ſtudia non ſolum nocere ſpirituali ſanitati, ſed etiam corporali; tunc perſuadet illis diabolus, quod incident in thyſim; quod proinde fruſtrà tempus terant volvendis libris, vel ſcribendis, utpotè cum doctrina ipſis ad nihil ſerviet; quandoquidem veroſimiliter citiùs portabuntur ad tumulum, quàm dabitur illâ utendi occaſio, ex quibus hanc formant concluſionem, fruſtrà ſunt media, quorum finis eſt impoſſibilis, ergo fruſtrà ſunt ſtudia, quorum fructus, ſcientia ad nihil poterit ſervire: hac ratione moventur ad deſerendum totum, & ad proprium profectum in virtutibus (ut ajunt) deinceps unicè cordi habendum: unde, qui anteà ſedulò ſtudebant, qui erant diligentes in multis libris legendis, multis rebus annotandis, ac tempore juxta exigentiam obedientiæ impendendo, jam hæc omnia dimittunt, cogitantes, quod nunquam erunt concionatores, quod nunquam ad aliquid erunt idonei; verùm quia hæc omnia

nia veniunt ex fraude & factione diaboli, degenerat falsa eorum pietas in pigritiam & acediam: multum temporis insumunt in rebus ad se non pertinentibus, incidunt in graves melancholias, ad quas divertendas utuntur varijs modis illicitis, & multis immoderationibus dant locum, puta, confabulationibus, ridiculis, risibus, corporis agitationibus & similibus, sibi perperam persuadentes hæc omnia esse secundum discretionem.

Prætensa pietas degenerat in acediam, & malam libertatem.

Prætereà molestant Superiores, ut liberentur à studijs; & eheu! non cogitant, quod talentum suum quod acceperant à Domino, sic velint abscondere; cùm tamen de eo rigidissimam sint reddituri rationem in die judicij, non sine periculo damnationis: non attendunt, quàm caducum iaciant fundamentum, & pessimum initium faciendæ per totam vitam propriæ voluntatis, cum privatione omnis actualis gratiæ Dei; sine quâ tamen nemo vehementes tentationes constanter perfringere potest, nec sese exercere in bonis operibus cum perseverantia. Vultis id clarè videre? audite, & facite cum ejusmodi tentatione proventum.

Molestant superiores, ut amoveantur à studijs.

Quàm hoc sit periculosum.

CAPUT XXVII.

Quàm periculosa sit hæc tentatio ad faciendam semper propriam voluntatem, & Dei gratiam amittendam.

POsito, quod Religiosus aliquis ab obedientia applicetur studijs, quæ diligenter prosequendo posset evadere in virum doctum, qui suis concionibus peccatores convertere, virtuosâ suâ conversatione plurimos ædificare, suum ordinem in honore conservare, & per confluxum personarum capacium in vigore constituere, suos confratres ad perfectionem dirigere, atque ità, suam & plurimorum salutem lucrari esset idoneus; verùm ipse ad hæc non attendendo, nec pensando, quod Deus in isto introitu & exitu studiorum decrevisset illi impertiri copiosum gratiæ suæ auxilium, illudque denegare in quavis aliâ vivendi methodo (cum studium cordi non habeat) cogitat hoc obedientiæ jugum humeris excutere; atque ideò à Superioribus extorquet aliam obedientiam sibi magis placentem; superiores propter bonum pacis & quietis, aut aliter, sinunt se persuaderi; eum à studijs absolvunt; ille manet stupidus asinus; animæ, quas suâ doctrinâ lucrari potuisset, pereunt, vel manent in peccatis; defectu ejus vitæ ædificativæ Ordo ipsius patitur, plures alioqui vocandi, divertuntur à professione vitæ religiosæ; Religio, ejusque Regulæ flaccescunt; atque ità plurimis est occasio damni spiritualis; considerare licet, quomodò istæ animæ illius occasione vel pereuntes, vel à virtute retardatæ contra eum in-

Religiosus aptus ad studia.

Non attendens ad paratam in illis sibi gratiam.

Petit à studijs amoveri.

Amovetur à studio cum suo & aliorum damno.

ſurgent, & improperabunt in die judicij; penſandum relinquo, quàm durum ei in agone timendum ſit judicium.

Cum periculo damnationis.

Præterea, perpendite totius ejus vitæ decurſum, & invenietis eam eſſe plenam propriæ voluntatis cum continuâ ſubtractione divinæ gratiæ & periculo damnationis ipſius: quid ità? nonnè deinceps obedientiam & conſequenter voluntatem Dei poterit adimplere in alijs rebus & obſequijs, ſicque ſalutem ſuam operari? valdè difficultèr; cujus hic adjiciam rationem; ratio autem eſt, quià talis Religioſus ædificavit ſupra malum fundamentum propriæ voluntatis, quod poſuit in deſertione ſtudiorum; nam licet impoſterùm præſtet multa, etiam ex mandato Superioris, quæ illi ſunt ad mentem, vel contra mentem; omnia tamen pullulant ex hoc peſſimo fundamento, quo ſublato aut non poſito, ipſi talia non fuiſſent mandata, & ipſe talia præſtans, propriam potius facit voluntatem, quàm Superioris, quem in ſuam traxit voluntatem: fortè cum magnâ diligentiâ Sacriſtiæ intendet, cum magnâ inquietudine miniſtrabit infirmis, vel hoſpitibus, cum magnâ ſollicitudine procuraturam exercebit, multum curret, & alia moleſtiora faciet; ſed omnia cum exiguo vel nullo merito, eò quod in omnibus miſceat propriam voluntatem; vel ſaltem omnia ejus opera in propriâ voluntate velut in venenatâ radice vitiantur.

Propria voluntas inficit etiam bona.

Laborat ſine merito.

Studia ſponte deſerentibus non datur gratia.

Deindè, quià ſeſe intruſit in alium ſtatum & ordinaria exercitia, quam divina providentia, mediante religioſâ obedientiâ, diſpoſuerat; ideò non eſt mirum, ſi illi Deus non det auxilium gratiæ ſuæ; & conſequenter, nec mirum, quod defectu illius auxilij, continuò labatur de unâ imperfectione in aliam, de uno peccato in aliud, vel ſaltem omninò naturaliter & ſine concurſu gratiæ ſupernaturalis omnia ſua, etiam in ſpeciem bona, faciat, & conſequenter ſine merito. Quod ſi quis operarius à patrefamilias conductus, ut operetur in vineâ, illo opere neglecto, aliquid aliud contra vel præter illius voluntatem faceret, meritò illi victus quotidianus, vel denarius diurnus negaretur, quia non præſtaret id, ad quod erat conductus: ita etiam Religioſus eſt à Deo ad Religionem vocatus, ut ibi ſequatur obedientiam & voluntatem alterius; atque hoc faciendo à Patre cœleſti, durante hâc vitâ, Dei gratiâ refocillabitur ac ſpiritualiter nutrietur, & poſteà vitæ æternæ mercedem conſequetur; verùm ſi, prætermiſſo opere ſibi ab obedientiâ injuncto, ex propriâ voluntate alteri operi manum applicet; etiamſi id, quod vult facere, non ſit malum, imò fortè de ſe bonum; veroſimile eſt, quod debebit carere gratiâ cooperante & fortificante, cujus defectu omnia ſua opera faciet ſine merito vitæ æternæ, cùm ad opus meritorium & ſupernaturale non ſufficiat gratia habitualis, ſed inſuper gratia actualis præveniens & cooperans, quam non eſt veroſimile, quod Deus det ad opus propriâ voluntate aſſumptum, neglecto opere obedientiæ;

Naturaliter operatur.

Simile ab operario conducto, qui facit contra voluntatem Domini.

Sine obedientia operãs, fruſtra laborat ſine gratiâ.

quâ

quâ etiam deficiente Religiosus facilè succumbet oneri diversarum tentationum.

Ad meritum requiritur gratia actualis.

Ex quibus sequitur, quod talis Religiosus, qui propriâ voluntate se multis implicaverit, vel potissimam vitæ partem in extortis obedientijs transegerit, in fine vitæ inveniet manus meritis vacuas; cui proinde dicetur; *seminasti multum, & intulisti parum, manducasti, & non es saturatus*; id est, in multis te occupasti & fatigasti, sed opera tua non tibi proderunt ad salutem: quidni? *quia in jejunio tuo*, in laboribus tuis, *invenitur voluntas tua*; quia contra vel præter Dei voluntatem instituisti vitam tuam, iuxta tuam voluntatem: quid igitur de similibus expectandum? sanè non parum est timendum, ne ut servus infidelis, *qui abscondit pecuniam Domini sui, projiciatur in tenebras exteriores, ubi erit fletus & stridor dentium.*

In fine vitæ sine meritis, qui non fecit obedientiam

Aggai. 1. 6.

Isa. 58.

Videte hìc exitum mali principij; videte hìc perditionem multorum Religiosorum, qui suis passionibus excœcati, tam facilè & inconsideratè deponunt jugum obedientiæ, ut sequantur propriam inclinationem, quasi nihil aut parum referret; videte, quàm mala conscientia veniat ex principio & antecedenti malo propriæ voluntatis; hìc etiam colligere licet pericula Religiosorum in similibus tentationibus: nisi assumant valida arma, quibus se defendant; & quærant opportuna media, ut illæsi evadant: at quæ arma? quæ media? quid consilij?

Cœcitas religiosorum obedientiam recusantium.

CAPUT XXVIII.

Quomodò Religiosus assuescere debeat durioribus & simplicioribus, paucis contentari, & parvas infirmitates non curare.

SAnè prædictæ tentationes graves sunt, & valdè molestæ, ita ut non sit mirum, quod illis multi succumbant: nam imprimis, quantum ad languores corporales, dum pro illis non sunt solliciti, timent malè facere, & se ad omnia inutiles reddere; si verò circà illos sollicitudinem gerere incipiant, incidunt in pericula multorum defectuum, de quibus mentionem fecimus; sic ut nesciant, quid agere, ut benè agant; deindè quoad periculum faciendi propriam voluntatem in deserendis studijs & alijs, illud clarè evincitur ex jam dictis; nunc opus est, more nostro, contra perniciosas istas tentationes præscribere remedia.

Religiosus assuescat durioribus & simplicioribus.

Primò igitur, quicumque piè in Christo vivere desiderat, conetur assuescere rebus durioribus, & quantum in se est, eligat semper simpliciora & viliora tam in victu, quàm in amictu; assuescat calori, & frigori, fami &

Assuescendum incommoditatibus.

siti; contentetur cibis grossioribus, nec affectet delicatiores, nec inter cibos faciat differentiam; imò viliora ipsi adhuc videantur nimis bona, ex humilitate & sanctæ paupertatis zelo; discat etiam patientiam exercere in multis incommodis perferendis: præterea caveat cogitare, & multò minus umquam dicat, iste cibus mihi non est salubris, vel est nimis durus pro meo stomacho, ista portio est nimis duræ digestionis, ista olera causant talem corporis dispositionem, vel aggravant sanguinem, istud est nimis salsum, hoc nimis piperatum, & similia; dum enim aliquis ita liberè sinit ludere suam phantasiam, facilè sibi ipsi videbitur esse debilis vel infirmus, quod proindè aliquid delicatius ipsi conveniat, ut suæ teneritudini subveniat, ac vires restauret, & roboret.

Non conquerendum de cibis.

Econtrà, dum aliquis non est delicatus, sed paucis contentus; dum aliquis curæ habet paupertatem spiritus; tum accipiet gratissimo animo omnia, quæ ipsi ad usum concedentur, quamvis vilia & abjecta; nec facilè sibi persuadebit se esse infirmum; aliqualem capitis dolorem nihili faciet, non ponderabit aliquam stomachi debilitatem, quam subìndè sentit; etsi pallidum habeat colorem, & licet ipsi dicatur, quod videatur esse infirmus, vel valetudinarius; non facilè credit; sicque omnia quasi sine advertentiâ, vel fixâ reflexione præteriens multos evitabit languores, & infirmitates, quas diabolus illi exaggerat, & facit apparere majores, quàm in se sint, ut eum in desperationem adducat, ut eum à cœptis studijs avertat; vel in illis flaccescere faciat; sicque impediat fructus salutis, quibus invidet, quosque cum tempore à tali Religioso prævidet producendos.

Paucis côtētus, non facilè credit se infirmum.

CAPUT XXIX.

Quomodò Religioso vitanda sit omnis singularitas, instar pestis, à qua liber est, qui sequitur Communitatem.

Singularitas in religione fugienda.

BOnus Religiosus fugiat omnem singularitatem in comedendo & bibendo, sumatque cum Communitate libentiùs siccum panem & aquam, quàm extrà illam, gallinas, & capones, bonum vinum, & alia delicatiora: nam præterquam quod morosus & singularitatis amans Religiosus sit illa bestia, de qua canit Propheta, *singularis ferus depastus est eam*, scilicet vineam, ità ut quisquis ducit singularem vitam in comedendo vel bibendo, in sua conversatione vel alijs exercitijs, in quacumque Religione comparetur feræ pessimæ, quæ corrumpit & depascitur vineam Religionis; istæ singularitates

Psalm. 79.

Est fera pessima.

ritates sunt illi occasio multorum malorum, defectuum, & inordinationum, puta murmurationum, internarum afflictionum, gulæ, inquietudinis; dum imaginatur aliquid sibi deesse, vel non pro voto inserviri; & quidem hæc inquietudo & afflictio faciunt ipsum infirmiorem, quàm reverà erat.

Est causa multorum malorum.

Econtrà qui libenter sequitur Communitatem, nec ob levem causam ab eâ se subtrahit, evitat omnes hos defectus, inquietudines, & afflictiones; sicque perfringit omnes suos parvos languores animo generoso; pertransit omne fastidium, omnia incommoda, & quotidianas corporis indispositiones absque ulla ferè, saltem angustiante ad illas reflexione, aut notabili dolore; quin-imò, dum similia ei contingunt ex factione diaboli, vel saltem pro magnâ parte ab eo augentur, ea paulatim per constantiam vitæ regularis superat, & plenam consequitur sanitatem; dum enim diabolus offendit partem tam generosam, & natura deprehendit omnes suas querelas, & lamentationes parum curari, tum pacat se ipsam, quasi in vanum laborans; nec non diabolus fugit, ac relinquit talem religiosum in pace, timens illi dare ulteriorem merendi, & spiritualis victoriæ occasionem.

Communis vita liberat religiosum à multis inquietudinibus.

Languoribus.

Quâ ratione.

Prætereà discat Religiosus omnia sua peragere cum tranquillitate & maturitate animi, sine inquietudine & anxietate cordis; cum suavitate vultûs, & serenitate mentis, sine violentatione spiritûs; sic enim evitabit multam lassitudinem cerebri, & dolores capitis, facietque sua cum majori facilitate, & interna satisfactione; assuescat etiam omnia facere suo tempore, ac suo corpori dare necessaria, non plus, nec minus, juxtà regulas discretionis; ideò statuto tempore quiescet, & alio tempore somnolentiæ resistet; debito tempore necessitati corporis serviet, alimentum congruum sumendo, de illis, quæ divina providentia erogarit, sive sint bona, sive simplicia, juxtà exigentiam & naturæ necessitatem; alio tempore libenter jejunabit, & abstinebit; sic ut noverit abundare & penuriam pati.

Omnia cum tranquillitate facienda.

Ac ordinato tempore.

Tali autem modo communem modum vivendi sequendo, non est quod anxietur pro sua sanitate; nec illum facilè deserat, nisi fortè in notabilem aliquam incidat infirmitatem, vel in manifestum ejusdem periculum; nec etiam multum curet parvas indispositiones, vel languores, quibus fortè, occasione vitæ communis, fit obnoxius; neque enim Religiosum decet ità attendere suæ sanitati, & vivere secundùm regulas medicinæ, pro ut faciunt sæculares, qui suam quærunt consolationem in hoc sæculo: sed si quid illi superveniat, accipiat id de manu Dei, velut proprium & ordinarium vitæ pœnitentiali, cujus facit professionem.

Communitatem sequens non timeat infirmitatem.

Religiosis proprium est pœnitentialem vitam agere.

Religiosi infirmi meminerint paupertatis.

Deindè quidquid illi evenerit, naturæ minùs gratum vel commodum, meminerit promissæ Deo paupertatis; & quàm multi pauperes infirmi passim inveniantur, quibus non obtingit sexta pars commoditatis, & necessariorum, sicut ipsi; & quomodò nihilominùs ipsi benè convalescant, vel in suis infirmitatibus patientiam exerceant: hoc autem intelligo de infirmitatibus, quæ hominem lecto non affigunt, vel gressum impediunt, quales non rarò pro magna parte proprius amor solet fingere vel exaggerare, cum magno præjudicio profectus spiritualis & scandalo plurimorum, dum quis pro illis nimium est sollicitus; verùm in magnis infirmitatibus licet medicorum consilia sequi; ità tamen ut Religiosus caveat esse morosus, querulosus, aut molestus, dum illi aliquid videtur deesse, vel non omnia secundùm plenam exigentiam administrari; ità etiam, ut dum incipit convalescere, quàm primùm paulatim conetur sequi Communitatem, quantum vires & discretio permittent.

Non sint querulosi.

Ament regularitatem.

Deniquè cordatus Religiosus magno semper zelo feratur pro regularitate; hæc quippè est regula religiosæ perfectionis, quam sequendo aberrare non poterit à viâ salutis, & extrà eam, rectitudinem bonorum operum tenere est impossibile.

CAPUT XXX.

Quomodò Religiosus in omnibus obedientiam & Dei voluntatem sequi ac in Regularitate punctualis esse debeat sine differentiâ operum; & quâ intentione studendum.

Remedia in tentatione relinquendi studia.

IN tentatione, ex propriâ quæsitione à se abdicandi onus studiorum, fidelis Religiosus sese gerat hoc modo.

Antè omnia id altissimè menti impressum habeat, quod à die emissæ professionis non sit ampliùs sui juris, sed filius obedientiæ, Religioni ut Matri obligatus, uti Religio tamquam Mater ipsi; quod propterea in obediendo debeat esse simplex, cœcus, ad omnia resignatus, & ad quævis sine discrimine, vel electione, sine mixtione propriæ voluntatis planè indifferens; verum est, *scientia inflat*, sed additur, *Charitas ædificat*, ut discat Charitatem seu pietatem cum studio litterarum connectere, nam utroque clarescere pulchrum, Deo gratum, & proximorum saluti utile: Deindè ritè consideret, *quia melior est obedientia, quàm victima*; ac proindè sciat, se Deo magis placiturum, juxtà exigentiam obedientiæ, studijs operam dando, quàm

Religiosus non est sui juris.

Scientia pietati jungenda.

1. Reg. 15. Obedientia omnibus præferenda.

quàm ex propria voluntate sublimia meditando, arcana contemplando, vel alia opera quantumvis bona exercendo; ideoque speciem furti reputet, aliquod tempus studijs subtrahere, & alteri rei impendere contrà vel præter obedientiam.

Secundò, certissimè credat voluntatem Dei esse regulam perfectionis, quam potissimè cognoscere debet mediante obedientiâ; quocircà dum hæc alicui præcipit studere, voluntas Dei est, ut diligenter studeat; & dum aliud agit, à regula perfectionis declinat: quid refert, quid quis agat, modò Dei voluntatem faciat? & quid prodest multum contemplari, vel egregia opera patrare, si Dei placitum non perficiat? reverà scriptum est, quia *ira in indignatione ejus, & vita in voluntate ejus*, id est, faciendo id, in quo Deus habet occasionem indignationis, facilè incidimus in ejus iram; at si quis vult consequi & conservare vitam gratiæ, illam inveniet in adimpletione voluntatis ejus, extrà quam etiam hanc vitam facillimè amittet: ut quid igitur Religiosus alijs se implicat, quàm quæ Dei voluntas per obedientiam illi injungit? sanè operam perdit, & jacturam temporis incurrit.

Obediens facit voluntatem Dei.

Psal. 29. 6.

Religioso nihil faciendum extrà obedientiam.

Propterea, secundò assuescet bonus Religiosus omnia obedientiæ opera, v. g. studere, concionari &c. facere purè propter voluntatem Dei, nihil aliud in illis intendendo; non studeat ut fiat doctus, sed solùm ut, implendo obedientiam, faciat voluntatem Dei; sic enim faciendo, semper æqualem rationem habebit sedulo studendi; non attendendo, an doctrina sequatur, nec nè, fortè defectu ingenij: ideò dum illi incidit, quod sit ineptus, qui studia prosequatur cum fructu, vel, quod studium ejus sit in vanum, eò quod sit debilis complexionis, nec apparenter diu victurus, ut scientiâ acquisitâ uti possit; tum cogitet se non studere, quia ad hoc est idoneus, nec ut cum tempore suam Doctrinam eventilet, sed solummodò, quia novit id Deo placere juxtà determinationem obedientiæ.

Omnia obedientiæ opera æqualiter æstimanda, ob voluntatem Dei.

Qua intentione studendum.

Qui cum tali intentione vitam institueret, non faceret differentiam inter opera; non oraret libentiùs, quàm studeret; nec libentiùs studeret, quàm oraret; sed tempus ad unum & aliud concessum, uni & alteri fideliter impenderet; in quantumcumque intimâ recollectione, vel sublimi contemplatione occuparetur, illicò totum desereret, dum tempus studij advenisset; & econtrà, licet subtilissimâ aliquâ speculatione detineretur, illam relinqueret ad orandum statuto tempore; neque aliud quæreret, nisi voluntatem Dei; & si posteà deprehenderet suum subtile argumentum evanuisse, vel post studium orationem non tam intimè successisse, quàm anteà, id totum cogitaret esse voluntatem Dei; imò intimitatem & fervorem orationis, vel etiam subtiles considerationes extrà tempus obedientiæ reputaret tentationem, qua eum diabolus vult seducere à regula perfectionis, ut

Perfectus in obedientiâ omnia æquè libenter facit.

Ejus punctualitas in omnibus.

pro-

propriam ibi misceat voluntatem, sicque incidat in varios defectus proprij amoris, vanæ gloriæ, propriæ complacentiæ.

Æquè libenter moreretur studendo ex obedientiâ quàm orando.

Hinc etiam venit, quod talis tam libenter morte præoccuparetur studendo, quàm orando, vel aliud faciendo; siquidem illi videtur, quod non meliorem ad mortem possit habere præparationem, quàm adimpletionem divinæ voluntatis, quæ tam benè habetur studendo ex obedientiâ, quàm orando; confidit se fore beatum etiam moriendo in pleno studio; nam *Beatus vir, quem cùm venerit Dominus, invenerit vigilantem*; atqui studendo etiam vigilaret, ergò etiam Dominus tunc veniens eum visitatum morte subitaneâ, inveniret illum vigilantem juxtà suum beneplacitum, ergò esset beatus æquè studendo moriens, ac orando: ex quo patet, quomodò superanda tentatio deserendi studia, & aliam obedientiam quantumvis bonam ex propriâ electione procurandi; undè etiam colligere est damnum similium tentationum Religiosis advenire solitarum, ut eligant & discernant inter opera obedientiæ, ut potiùs hoc faciant, quàm illud, ut malint hìc habitare, quàm illìc, & sic de alijs; nam hæc propria electio innumerarum inquietudinum & defectuum est origo & initium faciendi semper propriam voluntatem cum jactura meritorum & periculo salutis; hìc etiam ad manum sunt remedia ad similes tentationes superandas. Deniquè ex hactenus dictis de tentationibus proficientium patet, quia *tentatio est vita* talium *hominum super terram, & omnes, qui piè volunt vivere in Christo, persecutionem patientur*; quarè induant proficientes armaturam Dei, ut possint in omnibus victoriosi evadere per Jesum Christum Dominum nostrum. Amen.

Religiosi aliam obedientiam extorquendo stultè faciunt.

Nunquam sunt quieti.



TRA-

TRACTATVS IV.

De tentationibus eorum, qui in pia vita in Christo perfecti nominantur.

CAPUT I.

Perfecti facilè superant omnes crassiores tentationes, multum tamen retardantur à subtili amore proprio; nam Deus zelotes est, vultque purissimè amari, & purissimâ intentione quæri.

ETsi pleræque tentationes proficientibus & perfectis sint communes, ac de illis jam multa dixerimus, quia tamen tentationes perfectorum ordinariè sunt subtiliores, & deprehensu difficiliores, nisi lumen veritatis eas animæ detegat, & notas faciat; ideò non abs re erit, nonnulla hic de illis referre, quantum experientia, & directio sancti Spiritus suggerent; ubi imprimis sciendum, quod amor proprius adhuc clanculo latitans in animâ perfectâ, sit harum tentationum principalis origo; siquidem anima per vitam purgativam & illuminativam, seu per statum incipientium & proficientium, plenariâ reportatâ victoriâ de diabolo, mundo, & sensualibus carnis concupiscentijs, jam fruitur internâ pace, & quiete, ac experientiâ edocta novit cum industriâ detegere omnes insidias & subtiles adinventiones ejusdem; verumtamen, quantumcumque advigilet, & conetur, nihilominùs in eâ plerumque adhuc remanet aliqualis amor proprius, qui utpotè illi ignotus, eam plurimum impedit ab immediatâ conversione seu unione cum Dilecto, & retardat transformationem animæ in Deum, absque eo tamen, quod id possit deprehendere.

Tentationes perfectorum subtiliores.

Ratione proprij amoris latitantis.

Quidem verum est, quod pars sensitiva corruptæ naturæ adhuc subindè agat suam partem; siquidem etiam perfecti non rarò infestantur impudicis tentationibus, vel subitaneâ cholerâ, vel gulâ, vel alijs ad vitia inclinationibus; sed cùm jam in virtutibus sint radicati, & in militiâ spirituali probè

Perfecti facilè superant crassiores tentationes.

probè versati, eas valdè parum curant, tenentque mentem suam in Deum fideliter erectam, & illi perfectâ charitate unitam; solummodò unica deinceps illis cura est, ut paulatim magis & magis detegant occultas insidias & subtiles corruptæ naturæ proprias quæsitiones etiam in spiritualibus & supernaturalibus Dei donis; equidem ritè norunt divinum spiritum esse admodùm tenellum, & etiam vel minimâ imperfectione facilè interturbari: oculus corporeus adeò tener est, ut ne festucam sine dolore & læsione toleret; amor carnalis etiam per exiguam personæ amatæ ergà alterum affectionem seu conversionem mutatur in amaram zelotypiam; eodem modo amor Dei in animâ amorosâ est adeò tener & delicatus, ut etiam per minimam inordinatam ad quamvis creaturam conversionem aut affectionem lædatur, & cælestem Sponsum ad quamdam zelotypiam provocet;

Spiritus Dei est tenellus.

Hac de causa clamabat Sponsus ad Dilectam suam, *vulnerasti cor meum*, id est, meum ergâ te amorem, *Soror mea Sponsa, vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum, in uno crine colli tui*: quid enim hæc verba sibi volunt? Sponsa adhuc retinebat unum aspectum ad aliquam creaturam, adhuc aliqualem ad aliquid extra Dilectum suum servabat reflexionem; atque hoc ipse pati non poterat; hic ad aliquid extra ipsum aspectus vulnerabat cor eius; ista vel tantilla sponsæ ad aliquam creaturam conversio avertebat amorem Dilecti; unus crinis colli, id est, etiam vel minima imperfectio sufficit ad alienandum affectum Dilecti, etiam vel unicus ad aliquid extra Deum adhæsivus aspectus lædit amorem, & Dilectum fugere facit, audite ipsum loquentem, *averte oculos tuos à me, ipsi me avolare fecerunt*; fortassis oculi Sponsæ non erant omninò puri, & subindè ad creaturas conversi; ideò, dum eos ad dilectum reflectere volebat, non sibi in illis Dilectus complacebat, sed zelotypiâ captus cogebatur aufugere, more amatoris carnalis, qui suam sponsam amplexurus advertit ejus oculos ad quempiam alium amorosè conversos; etsi enim ipsa tum statim suum ad dilectum aspectum amicabiliter flectere sustinet, facilè tamen torvo ab eo oculo pro tunc respicitur; & duriusculis verbis excipitur, eo quod ejus oculi ad alium conversi verum sponsum alienent & velut aufugere faciant: quocircà si anima devota cælesti Sponso complacere desideret, unicè attendere debet, ut oculos suos jugiter ad eum conversos teneat, nec unquam avertat.

Sponsi cælestis zelotypia. Cant. 4. n. 9.

Minimæ imperfectiones impediunt amorem Dei.

Zelotypia amantium.

Vultis scire, quales oculos debeat habere? tales, quales Dilectus laudabat in Dilectâ, quandò dicebat, *ecce tu pulchra es amica mea, oculi tui columbarum*; itaque sponsa Dilectum suum debet respicere oculis columbarum, id est, columbinâ innocentiâ, simplicitate, & vitæ puritate, Deo in spiritu adhærere, in eoque unicè figere oculum fidei, & purissimæ intentionis; de his etiam oculis loquebatur Sponsus, *oculi eius sicut columbæ, quæ lacte sunt*

Oculi Sponsæ ad Sponsum. Cant. 1. 14. Columbini.

Cant. 5. 12.

lota

lue, ut innotescat supermagna bonæ intentionis puritas, quâ velut simplicissimo oculo anima devota Deo semper debet intendere, & ad eum in omnibus agendis jugiter collimare.

Verum puri hi & simplices oculi facillimè læduntur & caligant, etiam vel minimâ festucâ proprij amoris; hic enim instar subtilissimi aëris ubique se ingerit, & cum dilectioni Dei planè contrarietur, internum ad sponsum aspectum debilitat; & amorosam ad eundem conversionem flaccescere facit; imò paulatim in anima accrescit instar pessimi cancri, qui serpit, rodit, & omne divini amoris incrementum absumit; porrò ad perniciosum hunc cancrum & mortiferum corrosivum tollendum, opus est maximâ circumspectione; ita ut anima devota, quantumcumque in semitis justitiæ & perfectionis profecerit, hìc omnes suas vires exerere,& omnem cum Dei gratiâ industriam adhibere debeat, ut abstrusas & solâ apparentiâ bonas proprij amoris vias exploret, detegat, & fugiat: de his, Deo aspirante, in sequentibus agemus, ut cognoscentes impedimenta perfectionis, illa majori cum fervore vitemus, & sic faciliùs ad jugem & perfectum cœlestis Sponsi amorem perveniamus.

Oculi Sponsæ tenerrimi.

Amor proprius ut cancer serpit.

Omni studio proprij amoris insidiæ detegendæ.

CAPUT II.

Discretio est planè utilis & necessaria; defectu cujus etiam perfecti à satanâ facilè decipiuntur per falsas illuminationes.

Regula nostra Carmelitica, non sine ratione, discretionem appellat virtutum moderatricem; & sanctus Antonius eam extollebat super omnes virtutes morales & media necessaria ad fœlicem in perfectione perseverantiam; quippè sine illâ, etiam viri sanctissimi, persæpè turpiter fuerunt elusi, & nisi ponat modum & mensuram in omnibus exercitijs quantumvis de se bonis, ea valere, aut Deo placere neutiquàm possunt, aut saltem spiritum in suâ ad Deum amorosâ conversione plurimùm retardant: defectu discretionis, animæ cæteroquin valdè perfectæ remoram patiuntur in studio vitæ contemplativæ vel supercontemplativæ, dùm nempè necdùm norunt discernere inter bonas & malas, inter veras & falsas illustrationes & internas affectiones.

Discretio virtutum moderatrix.

In omnibus planè necessaria,

Invenire est multos his hærentes, qui à vitâ activâ sese ad contemplativam & unitivam convertere anhelantes satanam facilè excipiunt pro Angelo lucis, & manent quiescentes in naturâ, ubi sibi persuadent se quiescere in

Deceptio multorum, qui falsò putant se in Deo quiescere,

re in Deo: dùm hi percipiunt aliquam illuminationem circà arcanum aliquod mysterium, aut etiam circà internam alienæ conscientiæ constitutionem, statim existimant Deum sibi aliquid singulare reservare; & sua arcana velle revelare; subindè vel unicam solummodò alicujus actionem advertentes, illicò formant judicium de totâ ejus vitâ, ejusque in se vivam faciunt repræsentationem sive in bono, sive in malo; quod judicium, quam imaginationem non facilè deponunt, etiamsi fortassis totum vitæ decursum viderent contrarium; credunt enim primam suam opinionem à Deo venisse, & ferè habent loco prophetiæ, quam à Deo inspiratam fuisse non dubitant, imò ut talem, proprio sanguine tueri essent parati.

Adhæsio ad falsas illuminationes.

Circà vitam aliorum.

CAPUT III.

Quomodò perfecti decipiantur in sagacitate phantasiæ, & lusu sensualitatis, quasi à Deo illuminarentur & consolationibus perfunderentur.

HIc anima incidit in periculum duplicis oppugnationis, scilicet, sub pallio sublimis illuminationis circà arcana Dei mysteria, & nimiæ reflexionis ad vitam aliorum: quantùm ad illuminationem, dùm subinde Spiritus sanctus aliquod in animam lumen immittit; ità ut jam plus, quàm unquam, aliquas veritates deprehendat, aut percipiat; tùm non quiescit mens ejus, imò, nec phantasia; sed hæ potentiæ instar simiarum nituntur imitari intellectum supernaturalem, quo Deus subindè in anima dignatur operari, utentes propriâ industriâ & activitate ad penetrandas alias veritates; dùm audiunt aliquam scripturam, occupantur fingendâ aliquâ peregrinâ interpretatione, quâ effictâ anima obliviscitur sui in curiositate, & inani circà illam complacentia, illam annotat, de illa cum fervore disputat, eamque defendit mordicùs contrà opinionem magis sensatorum; aliquandò arbitratur Deum istam veritatem eò usque occultam, ipsi revelasse.

Phantasia est simia intellectus & gratiæ.

Propria activitas naturalis scrutatur arcana Dei.

Decipit animam.

Dum ratio naturalis novâ hâc, sed naturali illustratione fovetur, & pascitur; tum etiam voluntas rationalis repletur bonis, at similiter, naturalibus affectionibus, efficitur ferventior, ac majori ardescit zelo ad mirabilia opera; istis novis speculationibus adhæsivè afficitur; & quia imaginativa hic etiam colludit, atque istas apparentes veritates appetitui sensitivo vivaciter proponit (nam phantasia appetitui sensitivo instar faculæ prælucet, sicuti intellectus voluntati) ideò ad se attrahit alias potentias sensitivas, easque exsti-

Ex naturali activitate & illuminatione sequitur naturalis affectio, fervor &c.

exſtimulat; ità ut hinc in animâ oboriantur multæ ſenſibiles affectiones; indè in ſe anima deprehendit vehementes impetus amoris, repleri videtur benedictionibus dulcedinis; videtur anhelare ad amoroſam cum Deo unionem, in fictis vel ex parte fictis veritatibus contemplandis tranſigeret facilè integros dies, imò illis immergi, & extrà ſe rapi videtur; at dum totum benè perpenditur, ac ad pondus ſanctuarij libratur, in omnibus his animæ operationibus, natura & propria ſenſualitas habent potiſſimam partem, & ſpiritus Dei exiguam vel nullam; porrò remedia contrà has deceptiones dantur in ſequentibus. Devotio mixta naturâ & ſenſualitate.

CAPUT IV.

Quomodò anima activitate & ſagacitate potentiarum ſenſitivarum decepta, fiat proprij cerebri tenacior, & in proprijs opinionibus obſtinatior; undè à Deo alienatur, eumque ſolùm cognoſcit ſenſualiter, ſeu naturaliter.

DUm anima amoroſa ad prædicta non benè attendit, in multos ſenſim labitur defectus, & loco amoroſæ cum Dilecto unionis magis ab eo alienatur, abſque eo, quod id advertat; fit tenax proprij ſenſus, ſic ut vix à propria opinione retrahi poſſit; quidquid illi incidit, à Deo ſibi inſpirari putat; undè frequenter habet in ore; didici hoc, vel illud in ſpiritu; Spiritus hoc mihi non dictat, ſed illud; non poſſum Spiritui meo reſiſtere; illud non incidit in meo Spiritu, & ſimilia. Anima ex falſo lumine fit proprij judicij tenacior.

De ſublimibus materijs libenter diſputat; & quamvis illi quiſpiam, bonis rationibus, proponat interpretationes Sanctorum Patrum, & communem ſenſum Sanctæ Eccleſiæ, vix tamen intellectum ſuum ſubjicere, & à ſuo conceptu deſiſtere poteſt; quin potiùs multas apparentes adducit replicas; imò ſubindè periclitatur incidere in hæreſes: ipſi apparet, quod multas novas ſententias poſſet proferre in lucem, quas exiſtimat ab omnibus recipiendas, imò aliorum ſenſum ut minùs in ratione fundatum reſpuit: & (quod pejus eſt) per has falſas illuminationes eò devenit, ut putet ſe obligatum illis adhærere, nec ſibi fas eſſe, eas rejicere, ſed oportere continuò auſcultare, quid ille ſpiritus in illa loquatur: id quod plurimùm nocet ſpirituali profectui talis animæ; nam in tali conſtitutione manens, nunquam immediatè poteſt Deum adorare in ſpiritu & Veritate, utpotè cum plurimæ propriæ & naturalis activitatis adinventiones, imaginationes &c. medient inter Deum & ipſam. Putat ſe à Deo in omnibus dirigi. Temeritas & obſtinatio ex falſo lumine.

Operationes partis sensitivæ causant nebulam inter Deum & animam.

Vultis scire quomodò? omnes istæ effictæ rationes, & voluntatis motiones, præcipuè verò, operationes potentiæ imaginativæ, & appetitivæ, utpotè fundatæ in objectis sensibilibus (dum anima illis adhæsivè afficitur) causant in ea velut condensam nubem, seu obscuram nebulam, qua impeditur oculus fidei, nè purè, simpliciter, & perseveranter in Deum feratur; ac

Deceptio ex falso lumine.

voluntas, nè stabiliter ad eum conversa maneat: Attamen non rarò contingit, quod talis anima sibi persuadeat, se à Deo immediatè agi, oculum fidei in se esse planè defœcatum, seque Deo esse proximam; at decipitur; siquidem necdum didicit Deum adorare in spiritu, nec eum contemplari secundùm suam essentiam, sed per aliquid sensibile, aut corporeum repræsentat sibi Deum, aliter, quàm in se est. Dum quis per vitrum rubrum respi-

Deus non invenitur per sensibilia aut sensualia.

cit solem, aut aliqua alia, videntur illi sol, & alia omnia esse rubra; neque enim ista videt, pro ut in se sunt, sed pro ut per istud rubrum vitrum repræsentantur: ità etiam, dum anima per sensibiles imaginationes, velut per condensam nebulam, aut crassum vitrum conatur contemplari Deum, non

Sensualis amor Dei imperfectus oritur ex notitia Dei sensuali.

videt eum immediatè secundùm se, seu essentialiter, sed sensibiliter, & secundùm quod illi per imaginationem repræsentatur: & consequenter, cum interna affectio sequatur notitiam, ideoque ubi notitia est imaginaria, & sensualis, ibi etiam affectio sit sensualis, anima sensibiliter seu sensualiter Deum contemplans, eum etiam diligit sensibiliter, seú sensualiter.

Ex naturali notitiâ Dei sequitur naturalis amor & devotio.

Deindè, posito, quod anima, mediante suo intellectu naturali, & per lumen humanæ rationis, divinam essentiam contempletur; si tamen hæc contemplatio seu notitia non habeat principium supernaturale, sed in sola natura fundetur, affectus seu amor Dei ex tali contemplatione seu notitia consequens, est etiam dumtaxat naturalis: ex quo patet, quàm facilè anima possit decipi in internis illuminationibus & affectionibus, existi-

Naturalis devotio vix dignoscitur à supernaturali.

mans fortassis se in viâ unitivâ & perfectâ charitate multum profecisse, ubi adhuc forsitan hæret in purâ naturâ, in vanis speculationibus, in sensualibus affectibus, & necdùm pedem figere cœperit in viâ supernaturalis notitiæ & dilectionis; nunc igitur discite discretionem Spirituum, ut omnes illusiones possitis cognoscere, & vitare.

CA-

CAPUT V.

Illuminationes boni Spiritûs dignoscuntur ex fructibus Spiritûs.

QUid ergò consilij ad assequendam hìc aliquam discretionem Spirituum, quâ subtiles naturæ tricas & insidias, sine periculo deceptionis, detegamus? undè poterimus dignoscere illuminationes & animæ affectiones, an à Deo sint, an à natura? reverà opus est, ut Pater luminum hanc discretionem in anima operetur; solummodò vos moneo, *nolite credere omni Spiritui, sed probate Spiritus, si à Deo sint*: at quomodò id melius probabitis? *ex fructibus eorum cognoscetis eos*: quales fructus proveniunt ex spiritû Dei; Apostolus eos commemorat in hunc modum, *fructus autem Spiritûs sunt, Charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas.* Quocircà, dum anima jam in vita activa benè exercitata vocari videtur ad vitam contemplativam, attendere debet ad fructus, qui ex contemplatione, ex intima Dei & divinorum notitia, ac internis Spiritûs operationibus aut affectionibus proveniunt; si enim illa contemplatio, divinorum notitia, tractus Spiritûs &c. sint à Deo, in anima exardescet tenerrimus & purissimus Dei amor, quia *est*, *qui est*, id est, purissimus affectus ergà Deum secundùm se, sine ulla admixtione propriæ quæsitionis, sinè reflexione ad proprium interesse; similiter sincerus amor proximi, propter Deum, non fundatus in aliqua re sensibili aut naturali, sed in solo Deo, aut in imagine ac similitudine Dei, quæ resplendet in omni creatura rationali.

Non omni illuminationi credendum.

1. *Ioan.* 4. 1.

Gall. 5. 22.

Illuminatio bona cognoscitur ex fructibus spiritus.

Purus amor Dei & proximi.

Deindè, dum illuminatio aliqua à Deo est, tum anima interiùs fruitur magnâ pace & quiete; nam Spiritus Dei *benedicit populo suo in pace*, & *in pace factus est locus ejus*; item, *loquitur pacem in plebem suam*: Deus etiam est Deus pacis, cujus proindè ad animam devotam inspirationes & allocutiones sunt pacis annuntiativæ, non relinquentes ullam in ea turbationem, aut inquietudinem; ità ut de tali anima verificetur illud Isaiæ, *delectabitur in pulchritudine pacis*: ex quo nec mirum, si talis anima continuò habeat gaudium in Spiritu sancto, & gaudeat in Domino semper.

Pax interna ex bono lumine.

Psalm. 28.
Psalm. 75.
Psal. 84.

Isa. 32.

Prætereà, dum anima divino lumine irradiatur, paulatim magis, & magis venit in notitiam veritatis in omni re, discit perfectè vanitatem & caducitatem rerum terrenarum, divitiarum, honorum & deliciarum; incipit penetrare dignitatem bonorum cœlestium & æternorum, aspicit summam bonitatem, sapientiam, omnipotentiam, & clementiam Dei, ac quomodò

Vera patientiæ origo ex bono lumine.

modò ex Charitate infinita à Deo sit creata, ut eo in æternum perfectè frui valeat: hinc venit, quod nulli labori parcat, nullas difficultates reformidet, in omni tribulatione sit patiens, & quidquid illi acciderit, quantumcumque triste, vel tædiosum, non conturbetur, quin omnia gaudenter,

2. Cor. 4. 17. & longanimiter sufferat, sciens, *quia momentaneum & leve tribulationis nostræ,*

Rom. 8. 18. *æternum gloriæ pondus operatur in cælis*, & *non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis*; undè & fit, quod sit tota benigna, paratissima operari bonum ad omnes, mansueta & humilis; quantò enim lumen divinæ gratiæ, intus magis accrescit, tantò exteriùs bonitatem suam magis manifestat, tantò sese in sua conversatione modestiùs, circumspectiùs, mitiùs, humiliùs, continentiùs gerit; nam fideliter observat mo-

Benignitas, bonitas, modestia, humilitas, &c. à bono lumine.

Rom. 13. nitum Apostoli, *sicut in die, honestè ambulemus*; nec mirum, quippè juxtà

Joan. 12. consilium Salvatoris, *ambulat in lumine*, id est, vivit conformiter lumini

Joan. 11. gratiæ, juxtà illud, *dum lucem habetis, ambulate in luce, ut filij lucis sitis*; & sicut scriptum est, *si quis ambulaverit in die, non offendit*: sed ambulat confidenter, & continet se ab omnibus, quæ Deo possent displicere, summoperè cordi habens non solùm castitatem corporis, sed & mentis. Hi sunt fructus, ex quibus dignoscere licet, an internæ illuminationes sint à bono Spiritu, nec ne; si enim à maligno & falso proveniant, tales fructus non deprehendetis, sed planè contrarios, pro ut facilè docebit experientia.

CAPUT VI.

Quomodò falsæ illuminationes dignoscantur ex contrarijs fructibus, proprij amoris, inquietudinis, morositatis, &c.

Signa falsæ illuminationis amor proprius, creaturarum, &c.

ITaque anima, cui apparet satan, transfiguratus in Angelum lucis, quæ falsas illuminationes loco verarum passim suscipit, easque sequitur: semper hæret in sua natura, in ea amor Dei non sumit incrementum, dilectio proximi exulat, amor proprius dominatur; undè venit, quod istis illuminationibus abutatur ad propriam satisfactionem, ad satietatem suæ vanæ curiositatis, ad propriam complacentiam, ad fomentum sensualitatis: quod si forsitan illi deficiant etiam hæ falsæ illustrationes, eam videre est tristem & melancolicam, eò quod, nimirùm, sine dolore carere non possit, quod cum propria quæsitione, & vana complacentia possidebat: deindè cum illæ falsæ illustrationes fundatæ in naturali sagacitate, aut provenientes à principe tenebrarum, sint fallaces, nec stabiles, & illis nihilominùs anima indiscretè

discretè adhæreat, non potest exindè in ea oriri interna pax & quies, sed potiùs continua turbatio, & inquietudo: nam quidquid vel à naturâ, vel à dæmone venit, tenet animam extrà Deum, qui solus est unicum ejus centrum & locus quietis: quidquid lapidem in sublime tenet; & impedit cadere, illi violentiam facit; quidquid canem famelicum & ad latrandum propensum impedit à latratu, vel voratione offæ, eum inquietat, & furere facit; ità etiam, quidquid animam non dirigit ad Deum, sed ab eo avertit, natum est illi causare inquietudinem; undè & extrà Deum semper manet inquieta, & in plenâ turbatione.

Origo inquietudinis animæ.

Extrà Deum nulla quies.

Hinc etiam venit, quod talis anima non sit benigna, sed morosa, non spiritu hilaris, sed tristis, non obstantibus omnibus suis illuminationibus & internis affectionibus sibi vel ex industriâ naturali, vel ex cooperatione satanæ advenientibus: dum illi aliquid inexspectatum accidit, aut quidpiam ejus sensui & sensibili devotioni contrariatur, tum manifestat facilè suam impatientiam; procul ab eâ exulat longanimitas; nam cholera eam obruit, & facilè se læsam conquæritur; bonam enim de seipsa habet opinionem, se præ alijs in omnibus veritatem attigisse, & de omni re meliùs instructam existimat, ac proindè sibi in aliquo vix patitur contradici, alios verò ut inexpertos & ignaros, ac suo sensui contrarios ægrè tolerat per hanc morositatem facilè etiam delinquit contrà modestiam & bonos mores.

Morositas, tristitia, impatientia &c. ex falso lumine.

Præsumptio de se ipso, & aliorum vilipensio ex falso lumine.

Dum etiam nimis sensualiter adhæret internis suis instinctibus &c. affectibus; multipliciter sui obliviscitur in custodienda puritate cordis; imò Deus, ut eam humiliet, & in sui erroris ac spiritualis sensualitatis notitiam inducat, utque eam doceat Deum quærere spiritualiori modo, & non secundùm sensualitatem, subindè eam permittit incidere in graves contrà castitatem tentationes, & sensuales ejus affectiones mutantur in carnales; ità ut dum se putat spiritu cœpisse, in carne consummet.

Adhæsio ad falsas illuminationes lædit puritatem cordis, causat carnis tentationes.

Hìc videtis fructus falsarum illustrationum planè contrarios fructibus verarum: quocircà; dum aliquis in oratione vel in sacræ Scripturæ lectione circumfusus videtur extraordinario aliquo lumine, aut singulari impetu & tractu spiritûs agi; cautè & prudenter attendat, quales indè in animâ suâ operationes seu fructus deprehendat; nam si illud lumen, ille tractus, illæ affectiones à bono Spiritu proveniant, corrupta natura paulatim consumitur, vetus homo sensim exuitur, & induitur novus, qui secundùm Deum creatus est; uno verbo, totus homo alienatur ab omni amore proprio, ab omni sensualitate evacuatur, ac si sit totus spiritualis econtrariò; dum veniunt à maligno spiritu, anima remanet tota viva in Passionibus, immoderata in concupiscentijs, indiscreta in suis exercitijs, sensualis in omnibus, uno verbo, vetus Adam, seu corrupta natura in ipsa dominatur.

Vndè discernendi Spiritus.

CAPUT VII.

Quomodò præterea veræ illuminationes à falsis discerni possint; suspectæ habendæ, quæ Regularitati contrariæ.

Status multarum animarum.

VErumtamen notandum est, multas reperiri animas, quæ subindè bono spiritu, subindè malo sub specie boni, subindè proprij ingenij activitate ducuntur; & quia non discernunt, quandonam agantur à Spiritu sancto, & quandò ab alio peregrino; ideò sunt semper instabiles in suis exercitijs: sequuntur enim omnem impetum cujusvis spiritûs, aut certè frequenter decipiuntur, rejiciendo bonas inspirationes tamquam malas, & malas suggestiones admittendo pro bonis: tales animæ imprimis prudenter debent attendere ad constitutionem, quæ post internam illustrationem & affectionem in illis remanet; etenim si postmodùm se inclinatas sentiant ad humilitatem, mansuetudinem, longanimitatem, sive ad sui abnegationem, ad sui nihili cognitionem, ad abstractionem à creaturis, ad opera Charitatis & similia possunt esse quietæ, & securæ, ac cum magnâ spiritûs libertate internis Dei operationibus, & gratiosis tractionibus locum dare: at, si econtrariò experiantur sese; non obstante suâ sublimi, & ut apparet, ferventi oratione, remanere æquè immortificatas, & proclives ad magnam sui æstimationem, ad aliorum vilipensionem, ad dedignationem, ad impatientiam in aliorum defectibus supportandis, & in propriâ opinione obstinatas, meritò omnia sua interna exercitia debent habere suspecta, seque in profundâ humilitate continere; consultò etiam facient, si alicui viro experto, & Patri Spirituali omnes suas internas inspirationes, affectiones, impetus spiritûs, & inclinationes candidè aperiant, ejusque in omnibus consilium sequantur.

Discernendus spiritus ex constitutione consequente.

Quandonam spiritus suspectus.

Bonum est habere patrem spiritualem.

Spiritus obedientiæ contrarius non est sequendus.

Prætereà tales animæ internis spiritûs operationibus aut inspirationibus nequaquam possunt dare locum, dum illæ regularitati aut obedientiæ contrariantur; hæc enim est indubitata regula perfectionis, & infallibilis index divinæ voluntatis, quam regulam, quem indicem sequendo à recto tramite non possunt aberrare; at verò in istis illuminationibus semper potest subesse fraus: quocircà eas sequi nefas est cum præjudicio Regularitatis; nisi Deus speciali modo, suum beneplacitum etiam Superiori, aut aliter de ejus permissione, dignaretur manifestare: alioqui enim non est tutum, aut consultum certam Dei voluntatem dimittere ad sequendam incertam.

Ex

Ex quibus colligere est, quantâ discretione opus sit, ut in omnibus debitus servetur modus, nè decipiamur.

Caput VIII.

Quomodò operationem Spiritûs sancti propriâ activitate corrumpere non liceat, sed circà eam se magis passivè habere oporteat.

Dum animæ Dei fideles incipiunt subindè agi divino Spiritu, sollicitè caveant, ne Dei in se operationem sive in intellectu, sive in voluntate, impediant propriâ operatione; hanc enim addendo vel intrudendo quasi miscent aquam vino, & frangunt lusum: quandò trivialis pictor vult penicillum suum apponere alicui insigni picturæ, vel in pingendo dirigere manum egregij pictoris, indubiè corrumpet totum; si aliquis inexpertus velit eleganti statuæ aliquid addere aut demere, aut experti sculptoris manum in sculpendo ducere, ex pulchrâ statuâ monstrum efficiet: ità etiam Spiritus sanctus instar optimi pictoris aut sculptoris, desiderat in animâ, dilectâ suâ, ad vivum exprimere & reformare elegantissimam imaginem sanctissimæ Trinitatatis, in quem finem operatur in memoriâ, intellectu & voluntate, per claram manifestationem Veritatis, & intimas inclinationes ad eam inveniendam & retinendam; at anima hîc non benè consulta, aliquandò sese vult intrudere, ut hanc Spiritûs sancti in se operationem propriâ & naturali industriâ & activitate prosequatur; etiam dum Spiritus sanctus ab operando desistit, nititur ipsa cum violentiâ progredi, & instar simiæ illam imaginem sanctissimæ Trinitatis antè tempus in se vult perficere, sicque propriam seu naturalem operationem miscendo supernaturali operationi Spiritûs sancti, aut naturali industriâ volens opus promovêre, dum ipse ab opere cessat, nihil aliud facit, quàm Spiritum sanctum in suo proposito impedire, vel si quid faciat, facit informem & naturalem tantum imaginem, ad nihil valentem nisi ut opus Spiritûs sancti brodiet vel interturbet.

Operatio Spiritûs sancti propriâ activitate non est impedienda.

Spiritus sanctus operatur in animâ imaginem Sanctissimæ Trinitatis.

Naturalis sagacitas corrumpit opus Spiritûs sancti.

Hinc venit, quod plurimæ animæ retardentur à consecutione perfectæ Deiformitatis, quia nempè suâ activitate impediunt, nè Spiritus sanctus hanc Deiformitatem in illis operetur: dum celebris aliquis artifex advertit aliquem suo operi velle contradicere, aut suum conceptum, abjectâ aliquâ inventione immutare, vel quod aliquis in suâ absentiâ manum suo operi admovendo, illud corruperit, tum illud dimittit, nè sibi vertatur dede-

Naturalis activitas est causa internæ derelictionis.

Spiritu sancto gratiam subtrahente.

dedecori, aut tempus in eo corrigendo terat: ità etiam Spiritus sanctus, advertens animam auscultare falsis suggestionibus, aut per naturalem activitatem aut sagacitatem impedire divinam suam in ea operationem, nonnumquam eam in sua natura relinquit, permittens illam in tenebris mentis, absque eo, quod lucem Veritatis percipere valeat; atque tunc anima, quidem videtur esse bonæ voluntatis, ut quærat verum lumen, sed instar noctuæ vel vespertilionis, lumen circumvolando, non potest illud in pleno die contemplari, ac manet in internâ caligine cum magno tædio sui ipsius; relinquitur etiam in molestâ ariditate, absque eo, quod vix aliquam bonam sentiat motionem, aut pium affectum elicere posse videatur, etsi ad hoc omne suum posse adhibeat; & sic eam videre est vitam suam transigere in obscura & tristi nocte internæ derelictionis; idque eo quod Spiritum sanctum in se operari incipientem impediverit, vel interturbaverit.

Status derelictionis.

Ideò dum Sponsus Dilectam suam ab hoc infortunio volebat præservare, illam præmonendo dicebat, *averte oculos tuos à me*, id est, ne me impedias, naturalem tuum in me aspectum figendo, aut oculos naturalis ingenij ad me convertendo, ac me ratione naturali volendo contemplari; quia *ipsi* naturales oculi *me avolare fecerunt*; eò quòd nimirùm, Sponsus cælestis nolit habere commercium cùm natura, nec puro amore uniri animæ, quæ oculos naturalis sagacitatis needum abjecit, ut eum simplicissimo fidei oculo possit contemplari, eoque frui extrà omnem naturalem aut sensibilem affectionem in supernaturali intimitate Spiritus.

Cant. 6. 4.

Sponsus vetat usum rationis naturalis in intimâ operatione spiritus.

Quid ergo aget anima, ne impedimentum ponat, & opus Spiritûs sancti corrumpat: audite; dum alicubi ab aliquo excellenti artifice aliquod opus est inceptum, nullus aliorum illi præsumit apponere manum, eò quòd sese sufficientes non agnoscant, qui cum honore illud prosequantur: eodem modo, dum supereminentissimus Artifex, Spiritus sanctus incipit in anima operari; tum ipsa sese debet continere in cordiali agnitione propriæ insufficientiæ, nec præsumat aliquid aliud aggredi, aut etiam nimis activè se gerere in interna cognitione aut affectione, quàm Spiritus in ea vult operari; multò quippè melius est permittere ipsum solum operari cum omni libertate, pro suo beneplacito, ac magis passivè sese habere; eò quòd tum Spiritus incomparabiliter spiritualiùs & diviniùs operetur, quàm dum anima propriam activitatem commiscet; atque hoc satis sit de deceptionibus in illuminationibus circà divina mysteria & similia.

Spiritu sancto operante anima magis passivè se habeat.

CA-

CAPUT IX.

Quomodò ex bonâ illustratione, quâ anima seipsam cognoscit, naturalis ratio occasionem sumat attendendi ad alios, & quomodò hic simplicitas sit exercenda.

QUantum ad notitiam, quam subindè anima acquirit de statu aliorum; dum anima devota in via illuminativa jam didicit ponderare gravitatem suorum peccatorum; videt supermagnam Dei secum & cum omnibus peccatoribus misericordiam; ac consequenter dum reflectit ad obligationem, qua ipsa, omnesque homines tenentur Deum super omnia diligere ex toto corde, ex totâ mente, ex totâ virtute; tunc strictissimè incipit attendere, quid eam ab hoc possit præpedire; jam experitur pravos habitus in malo inveteratos, immortificatas suas passiones, & inordinatas concupiscentias sibi plurimùm nocere; ex effectibus autem earum cognoscit eas sicque acquirit profundam sui notitiam: quâ notitiâ acquisitâ, illicò phantasia, imò & intellectus suâ activitate feruntur, capiunt occasionem formandi similem notitiam circà vitam & internum statum aliorum, arripiendo ad hoc ansam ex istis, quæ anima in seipsâ, experientiâ didicit; cum enim ingenium humanum sagax sit & subtile, ac phantasia non nimis abundet in suis operationibus, fit ut homo acquisita vel sibi infusa alicujus rei cognitione, facilè hinc trahat multas consequentias, ut indè pertingat ad notitiam multarum rerum similium; eò quòd prior notitia illi quasi serviat loco faculæ, qua ulteriora videat: id satis superque docet experientia, quarè abs re foret, hæc latiùs deducere.

Quomodò anima illuminetur, ut seipsam cognoscat.

Notitia sui dat ansam attendendi ad vitam aliorum.

Solummodò advertendum est, similia etiam reperiri in anima illuminata, cum periculo magni præjudicij in spiritu, nisi præcaveatur: equidem dum Deus animam devotam irradiare incipit lumine suæ gratiæ; ità ut usque ad minima, omnia cognoscat, quæ in se dant vel remotissimam occasionem mali, vel impedimentum boni, tum ratio ejus naturalis ex supernaturali illa illuminatione sumit ansam ulteriùs speculandi, etiam ea, quæ se non concernunt: undè subindè sibi videtur penetrare omnia interiora variorum hominum; sibi persuadet quod medio oculo ex eorum physionomia, oculis, vel constitutione membrorum, perspiciat omnia, quæ interiùs in alijs geruntur, & quamvis non rarò videat veritatem, sæpiùs tamen decipitur; tum tentatur ad alios temerè judicandos, idque sine remorsu conscientiæ, existimans id ab Apostolo permissum omnibus vitæ spiritualis

Tentatio animæ illuminatæ ad aliorum interiora judicanda.

1. Cor. 2. Quo sensu homo spiritualis omnia judicet.

lis professoribus, nam *spiritualis*, inquit, *homo iudicat omnia*; cum tamen id dumtaxat verum sit secundùm opera; nempè, quod bona opera viri spiritualis satis significent, & publicè manifestent, quod opera hominis carnalis mala sint.

Hic animæ advigilandum est, illi præcipuè, cui cura aliorum non est demandata, ne in varios & multiplices incidat defectus, in sinistras suspiciones, malas de alijs præsumptiones, temeraria judicia, despectuositates, detractiones, dedignationes, &c. quocircà auscultet, & se conformet lectioni Apostolicæ, *in quo alium judicas, te ipsum condemnas*; &, *quis te constituit judicem super fratrem tuum*? siquidem, qui est furtis assuetus, in luxurijs consumptus, in astutijs versutus, ad iracundiam, invidiam, aut gulam propensus; etsi jam fortassis cum Dei gratiâ hæc vitia emendare conetur, tamen de alijs facilè suspicatur, quod sint tales, & ex levibus indicijs facilè eos tales esse judicat, atque ità de istis vitijs alios judicans, seipsum in ijsdem condemnat; eò quòd hæc proclivitas ad alios judicandos, ordinariè sit manifestum indicium, quod ipse in similibus sit, vel aliquandò fuerit culpabilis & condemnabilis.

Rom. 2.
Act. 7.
Periculum multorum defectuum.
Qui alium judicat, seipsum condemnat.

Porrò ut anima tale malum evitet, debet claram illam sui-ipsius seu propriæ fragilitatis notitiam statim convertere ad profundam sui, coram Deo & hominibus, humiliationem, ut se contineat in valle sui nihili, planè in se introversa, ad nullos alios reflexa, utpotè cum mores & vita aliorum ad eam non pertineant, & intrà se abundè inveniat, quæ emendet, & circà quæ interiùs occupetur: sic enim agendo faciliùs vitabit omnem non necessariam multiplicitatem, & discet manere in simplicitate; quæ quo fuerit perfectior, eò de alijs minùs curabit, eritque ad amorosam cum Deo unionem & familiaritatem magis idonea; nam *cum simplicibus sermocinatio ejus*.

Tentatio judicandi alios vincenda per humilitatem & simplicitatem.
Prov. 3.

CAPUT X.

Anima per divinas illuminationes à creaturis alienatur; & quomodò cum anxietate quietem quærendo, minorem requiem inveniat; & malè distinguat inter opera obedientiæ.

QUandò coruscationes Dei incipiunt animæ devotæ illucescere, atque per eas variæ & sublimes veritates ei manifestantur, tum earum pulchritudine & excellentiâ plurimùm allicitur; eas benè vellet cum otio contem-

Anima illuminata abstrahitur à creaturis.

contemplari; ad quod quia summoperè conducit interna & externa quies, unicum ejus desiderium est, ab omni creatura affectum abstrahere, ab omni humano consortio se sequestrare, ab omnibus externis occupationibus sese extricare, atque ità majori cum intimitate & solitudine, vitæ contemplativæ animum applicare.

Huc usque omnia benè; equidem totus homo ad hoc est necessarius cum omnibus suis sensibus & corporis ac animæ viribus; ideoque ab omnibus debet expediri & evacuari, ut totus divinis contemplationibus possit vacare; verumtamen hic rursus commonenda est anima Deum amans, ut impedimenta contemplationis & amorosæ cum Deo unionis volendo fugere, & toto cordis desiderio perfectam quietem invenire, hoc ipso non offendat novum in suo proposito impedimentum: vultis scire, quomodò id fieri possit? dum anima nimis anxiè quietem affectat, aut inventâ, pro voto; quiete, cum nimia adhæsione & adhæsiva complacentia, fruitur, eamque nimio studio manu tenere nititur; tum, putans evitare omnem inquietudinem, labitur in novam inquietudinem, quam illi nimia adhæsio, illa adhæsiva complacentia, illud anxium studium in ea causant; tum magnam incipit apprehendere distinctionem in operibus obedientiæ, aliqua enim libenter amplectitur ut conducentia ad suam desideratissimam requiem, ad eaque velut impetu spiritûs fertur; ab alijs verò sentit quasi horrorem, quia ipsi adferre videntur seminarium distractionum, & inquietudinum; quapropter ea ab humeris suis excutere sollicita est; atque, ut patet, faciendo talem distinctionem inter opera, & per hoc putando stabilem animi pacem & quietem adipisci, in majorem labitur inquietudinem & turbationem, dum sæpè vel aliqua ex obedientiâ debet facere contrà cor, vel metuit, ne similia ipsi injungantur.

Anima nimis anxiè quærens quietem magis inquietatur.

Tentatio ad faciendam distinctionem in operibus obedientiæ.

CAPUT XI.

Quomodò talis anima ad omnia debeat esse indifferens, sine electione, & omnia ut unum in Deo, & Deum, ut unum in & cum omnibus creaturis respicere, ut illi immediatè adhæreat; & quomodò sic nulla eam creatura distraheret.

VUltis scire; quomodò in hoc sese anima debeat gerere? discat in omnibus stare sine electione, sine velle, aut non velle, in plenâ indifferentiâ; sicut neque ob vitam, neque ob mortem nesciret dicere, quid

Indifferentia in operibus obedientiæ servanda.

Creaturæ immediatè in Deo accipiendæ.

Quomodo?

Deus in omnibus.

quid ex propriâ electione in operibus obedientiæ mallet facere: deindè assuescat omnes creaturas immediatè videre & accipere in Deo, & Deum immediatè in omnibus creaturis, ut secundùm suam essentiam, in ipsis intimè penetratam; ita ut (sic dicam) solum Deum in omnibus, & omnia ut unum in Deo invenire & contemplari discat. Anima, quæ hoc stabiliter sciret practicare nesciret loqui de ulla distractione, sed supervolaret; nam etiam cogitationes, sensibiles in malum inclinationes, & omnia, quæ alijs molestias, distractiones, aut tentationes causarent, ipsa nosset immediatè & indistinctè in Deo sumere; ita ut ea non reflecteret tamquam ad aliqua à Deo distincta, sed in illis divinam essentiam cum reverentia, & intimo amore amplecteretur, & adoraret, sicut in alijs etiam perfectioribus creaturis, eo quod non ampliùs faceret discrimen inter creaturas, sed eas solummodò attenderet secundùm essentialem suam dependentiam à Deo, aut potiùs, solummodò attenderet ad essentialem earum dependentiam à Deo, quæ dependentia quia in omnibus creaturis est eadem, & singulis æquè essentialis; ideò in animâ nullam distractionem, aut multiplicitatem cogitationum, aut varietatem specierum causaret, sed summam simplicitatem, præsertim dum anima hanc dependentiam sciret respicere præcisè secundùm suum principalem terminum Deum, conando inadvertenter præterire omnes res creatas secundum quod sunt aliquid à Deo distinctum.

Distractiones, tentationes, &c. in Deo acceptæ non nocent.

Quo sensu perfecti non habeant distractiones.

Omnis distractio, anxietas &c. ex acceptione creaturarum extra Deum.

Omnes creaturæ in Deo sunt unum, & ut sic non distrahunt.

Ex his colligere est, quod omnes nostræ distractiones, tentationes, imaginationes, sollicitudines, anxietates, & inquietudines nobis obveniant, ex eo, quod creaturas ut aliquid distinctum, extra Deum respiciamus, nam reverà quo creaturæ magis extra Deum considerantur, eo, in quantum sunt objecta nostræ phantasiæ aut intellectûs, magis declinant ab infinitâ simplicitate & immutabilitate Dei, & ut tales nobis representantur; verùm quò eas magis & essentialius in Deo contemplamur, eò simpliciores nobis apparent; quin-imò omnes omnium temporum & locorum creaturæ, in cælo & in terrâ, in quantum respiciunt Deum, aut ejus simplicitatem aut æternitatem, sunt omnes unum in Deo, sine ullâ multiplicitate, & sunt tantummodò multæ & multiplices, magis uno tempore, quàm alio, magis uno loco, quàm alio, in quantum comparantur ad invicem, aut ad invicem referuntur: ex quo patet creaturas nos dumtaxat posse distrahere, inquietare, turbare, dum eas consideramus extra Deum, & consequenter ut multiplices & nostro sensui contrarias, & non, ut quid unum in Deo, & quid simplex in sanctissimâ ejus voluntate; ut sic enim omnes unum sunt, nec nobis contrariæ, sicut Deus quid unum est, omninò simplex, nec nobis contrarius.

CA-

CAPUT XII.

Quomodò omnes creaturæ animæ possint servire, ut clara specula, in quibus radij divinarum perfectionum relucent; & quomodò per hoc anima creaturas inadvertenter relinquere possit sine distractionibus.

ALio insuper modo animâ illuminata assuescere potest, sine ullo impedimento vacare quibusvis operibus, quantumcumque externis, quem modum discere licet ex hac similitudine: Dum aliquis speculum directè opponit radijs solaribus, & in eo solem contemplari desiderat, oculi ejus reverberatione radiorum solarium ità afficiuntur & replentur, ut jam non ampliùs reflectat ad speculum, sed in speculo immediatè contempletur ipsum solem: eodem modo omnes creaturæ sunt animæ illuminatæ, velut clara specula, in quibus communicatæ perfectiones, quæ singulis sunt propriæ, velut totidem radij increati Solis divinæ Essentiæ relucent: dum ergò, ista anima partim per lumen à Deo infusum, partim per fidele exercitium consecuta est irretortum & fortem oculum fidei, eumque assuevit stabiliter figere & dirigere ad occultos radios divinitatis, quos paulatim magis & magis, plures & plures deprehendit in omni creatura; tùm habet satis, quod agat, ut hos radios v. g. divinæ sapientiæ, providentiæ, bonitatis, omnipotentiæ in creaturarum naturis, proprietatibus, diversitatibus, operationibus, effectibus, &c. relucentes contempletur; qui radij, uti & divinæ Essentiæ omnibus rebus intimè præsentis, subinde in ejus oculis ità scintillant, ut creaturas inadvertenter præteriens, solem ipsum, seu divinam Essentiam omnium communicatarùm perfectionum veluti totidem radiorum scaturiginem, unicè & immediatè in omnibus contempletur; sic ut nihil præter Deum obvium habere videatur.

Creaturæ sunt animæ illuminatæ ut specula divinitatis radijs micantia.

Anima illuminata soli Deo intenta ad creaturas vix reflectit.

Dùm anima eò pervenit, tunc nullæ ei nocent creaturæ, sed omnes ei nobilissimè cooperantur in bonum, eamque mirabiliter promovent in suo proposito, illi servientes loco speculi, in quo divinæ perfectiones ei clarè emicant & resplendent: verùm quidem est, quod hic modus Deum essentialiter contemplandi, inveniendi, adorandi in creaturis, proprius esse videatur Beatis in cælesti patriâ, eò quod lumen gloriæ & visio beatifica Deum sic illis repræsentet, *sicuti est*, intuitivè, *facie ad faciem*, atque id in omnibus, præsertim Spiritibus beatis (est enim *illis Deus omnia in omnibus*, & *vident eum sicuti est*) attamen etiam in hâc vitâ potest cum Dei gratiâ anima

Illi nullæ nocent creaturæ, sed in omnibus Deum scit invenire.

Proprium Beatorum est Deum stabiliter & intui-

tivè in omnibus videre.

ma fidelis eò pertingere, ut (quamquàm non ità clarè, nec intuitivè) per lumen fidei Deum stabiliter, & amorosè contempletur in suis creaturis, veluti in speculo, in ænigmate, posteà autem revelatâ facie; pro quo indies orantes dicimus, *ostende nobis faciem tuam & salvi erimus*.

Perfecti imitantur beatos.

CAPUT XIII.

Quàm purus amor Dei ex prædicto exercitio sequatur, & quàm differat amor creaturarum in Deo; maximus ergà Virginem Matrem.

Ex contemplatione Dei in creaturis sequitur purissimus amor. *Rom. 1.*

EX hac immediatâ contemplatione Dei in creaturis, quasi lucidissimi solis in pellucidis speculis, sequitur etiam purus, simplex & immediatus amor ejusdem Dei in omnibus creaturis; ità ut dum *invisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur* ab animâ devotâ modo prædicto; tum etiam in ipsa exardescat tenerrimus, & intimus Dei amor, quo velut placidissimo igne paulatim consumitur & languescit; imò subindè ergà divinum Sponsum amore languens à seipsa deficit; atque per hanc contemplationem amorosam, dum vehemens est, vel etiam singulariter intima, contingunt extases, raptus, deliquia, & anima levat se in spiritu suprà se.

Indè etiam raptus, extases, deliquia.

Perfectiores creaturæ magis in Deo diligendæ, quàm imperfectiores.

Qui taliter Deum amat, eum nobilissimè diligit in creaturis & has in Deo plus vel minus, secundùm quod dona & perfectiones Dei plus vel minus illis sunt communicatæ, in eisque relucent velut clari radij Solis divini; quocircà plus diligit creaturas rationales, quàm irrationales, magis justos, quàm injustos; majores Sanctos plus quàm minores; Virginem verò Matrem super omnes alios; aut potiùs, diligit, miratur, veneratur Deum magis in rationalibus, quàm in irrationalibus, & sic de cæteris; eò quòd nimirum in creaturâ rationali magis eluceat imago & similitudo Dei, quàm in irrationalibus; charismata, gratiarum dona & perfectiones divinæ magis resplendent & excellunt in justis quàm in peccatoribus, & sic de alijs; sed suprà modum & incomparabiliter amplius emicant & plusquam in omnibus alijs Sanctis & creaturis simul supereminent in Matre amabili, Reginâ cœli & terræ; ac propterea ipsa velut speculum lucidissimum & immaculatum in se colligens innumeros radios divinarum perfectionum ad extrà communicatarum, eosque circumquaque dispergens; incomparabiliter plus ad se pellicere & provocare debet oculos nostros, reverentiam, & amorem, quàm omnes alij Sancti simul; seu potiùs, oportet nos Deum

D. Virgo magis in Deo amanda & honoranda, quàm omnes Sancti simul.

in illâ plusquam in omnibus alijs Sanctis & creaturis simul admirari, venerari, adorare, diligere, utpotè cum Deus per communicationem suarum gratiarum & perfectionum plus sit in illa, quàm in omnibus alijs Sanctis & creaturis simul: hinc est, quod Theologi unanimiter doceant, eam, præ omnibus Sanctis, singulari cultu, utique hyperduliæ, ab omnibus honorandam. Cultu hyperduliæ.

CAPUT XIV.

Quomodò creaturas in Deo essentialiter possimus contemplari & amare, pro ut unum Idæis divinis, vel ut divinâ essentiâ penetratas, sicut cristallus radijs solaribus.

ADhuc alius superest modus valdè divinus amandi Deum in creaturis; & creaturas in Deo, quem hìc libenter explicabo: in præcedentibus ostendimus, quomodò omnes creaturas in creatore respicere liceat ut unum in ipso & quid simplex cum ipso; quod fieri potest dupliciter; primò si eas consideremus ut inclusas seu quasi depictas in Idæis divinis ab æterno; atque ità omnes creaturæ sunt essentialiter unum cum Deo; sunt enim unum cum Idæis divinis, atqui hæ Idææ divinæ sunt unum cum Deo, utpotè quæ nihil sint aliud, quàm divina essentia, quatenus instar lucidissimi speculi essentialiter (& non accidentaliter tantum, ut alia specula) repræsentat omnes creaturas; ergò omnes creaturæ sunt essentialiter unum in Deo: quo posito, quid impedit, quò minus omnes creaturas & consequenter proximum diligamus, in quantum, modo dicto, ab æterno sunt unum in Deo & cum Deo? atque hoc sensu diligere creaturas in Deo, est diligere Deum in Deo, sive Deum, quatenus in seipso essentialiter repræsentat easdem creaturas. Creaturæ considerandæ & diligendæ ut unum cum Deo. Creaturæ sunt in Idæis divinis, unum cum ipsis, & consequenter cum Deo. Ideæ divinæ quid sint.

Prætereà, cum in divino hoc speculo sine maculâ (quod est æternum Verbum Patris) diversimodè repræsententur omnes creaturæ, unaquæque secundùm suam perfectionem essentialem & accidentalem in naturâ & gratiâ; benè hinc sequitur, nostrum amorem posse & debere esse majorem ergà creaturas, quæ ibidem repræsentantur ut perfectiores in naturâ & gratiâ; nisi fortassis omnes creaturas, omninò essentialiter, sine ulla differentia, in Deo considerare lubeat, & ut unum cum ipso; sic enim formaliter eodem amore diligemus creaturas, quo diligemus Deum, imò diligemus in seipso, etsi virtualiter plus diligemus unam creaturam quàm aliam. Creaturæ in Deo diversimodè apparent. Perfectiores plus amandæ per se loquendo.

Creaturæ Deo penetratæ ut cristallus radijs solis & ut sic amandæ.

Secundò contemplari licet creaturas in Deo, ut divina essentia penetratas; sicuti enim phiala cristallina pendens in radijs solaribus, ab ijsdem undiquè penetratur, & qui oculos in eam conjicit, magis videt radios solis, quam phialam ipsam, utpotè quæ sic irradiata oculis apparet & resplendet, quasi quid unum cum radijs; ità etiam omnes creaturæ pendent, & sunt in Deo veluti in immenso lumine, ab eo undiquè irradiatæ & penetratæ; dumque anima illuminata in eas conjicit oculum fidei, tum in eis statim conspicit latitare radios divinæ essentiæ quam deprehendit esse omnia in omnibus, & operari omnia in omnibus, eò quod rebus omnibus intimè penetrata, eas in esse conservet, ac omnia ab ipsa in esse, & operari essentialiter dependeant.

Deus est, & operatur omnia in omnibus.

Fidei exercitatione deteguntur magis in creaturis radij divinitatis.

Quantò diligentius & fidelius anima exercet vivam fidem circà Dei in omnibus præsentiam; tantò magis ei sensim deteguntur radij divinitatis, qui & magis ac magis interioribus ejus oculis resplendescunt; undè etiam tunc fit, ut facilè inadvertenter se habeat ad creaturas, utpotè habens abundè, quo contemplando & amando occupetur, imò quasi necessitata, ut Deum, ejusque splendores ubique & in omnibus, saltem simplici intuitu contempletur; verùm neque hoc perfectissimè fieri solet in hac mortali vita; utpotè cum lumen fidei quantumvis clarum, ex natura tamen sua semper sit obscurum; at post hanc vitam perfectissimè per lumen gloriæ; aut etiam subindè aliquo usque in hac vita per lumen quoddam quasi in intermedium inter lumen fidei & lumen gloriæ, seu per extraordinariam illuminationem & veritatis revelationem.

Lumen medium inter lumen fidei & gloriæ.

CAPUT XV.

Ex notitiâ creaturarum ut Deo penetratarum oritur purus amor & æstimatio illarum; major tamen ad perfectiores, Deus penetrat creaturas, uti ignis ferrum; & cum eis omnia operatur.

Amor perfectus ex notitiâ creaturarum in Deo.

PRæfatus modus contemplandi creaturas in Deo, veluti vasa cristallina appensa in radijs solis, indubiè est valdè excellens, & confert animæ valdè perfectum amorem creaturarum in Deo; cùm enim amor alicujus boni sequatur notitiam ejusdem, & cognitio creaturarum, hoc modo, in Deo magis pro suo objecto habeat Deum ut in creaturis penetratum, quàm ipsas creaturas, sequitur, quod amor ex ista cognitione pullulans magis feratur in Deum, quàm ad ipsas creaturas, utpotè cum in has non feratur, nisi in quantum ab Essentiâ divinâ sunt penetratæ.

Ulte-

Ulteriùs, quemadmodùm plus æstimatur vitrum purum & subtile, aut cristallus, quàm vitrum grossius, eò quod clarius transpareat, & luminis sit magis susceptivum: ità etiam, quo creaturæ magis excellunt in natura & gratia, eò magis illas decet honorare, æstimare, amare, v. g. creaturas rationales, & sanctitate præditas; hæ enim sunt instar cristalli mundissimæ aut unionis pretiosissimæ, quæ sunt magis participativæ & de facto plus participant de perfectionibus divinis, velut de splendissimis radijs divinæ Essentiæ, utpotè speciali prærogativâ, factæ *divinæ consortes naturæ*. Simili modo possumus etiam cognoscere & diligere creaturas in Deo, & Deum in creaturis; si assuescamus considerare creaturas ut divinâ Essentiâ conditas, aut etiam velut metallum candens in medio fornacis ardentis: nam reverà sicuti conditura quasi facit evanescere, & immutari naturam alicujus rei, puta, pomi, vel etiam amaræ nucis, absque eo tamen, quod omninò auferat naturam sed tantum palato gratiorem efficit; ità etiam Essentia divina videtur in oculis animæ illuminatæ quasi condire omnes creaturas, earumque naturam quodammodò immutare & annihilare, nam *omnes creaturæ, quasi non sint in conspectu ejus*; ità tamen ut natura & essentia creaturarum absolutæ remaneant; & quamvis aliquæ per accidens sint odibiles, amaræ & amore indignæ, nihilominùs dum anima illuminata eas considerat ut divina Essentia conditas, & alicujus divinæ perfectionis participes, tum in illis nil advertit, vel deprehendit, nisi amabilitatem, bonitatem & excellentiam; ac proindè omnes creaturæ illi serviunt pro objecto perfecti amoris.

Perfectiores creaturæ magis in Deo amandæ.

Sancti multum honorandi in Deo, ob participationem divinæ naturæ.

Creaturæ condiuntur divinâ Essentiâ.

quo sensu.

Etiam mala in Deo considerata bona apparent.

Deindè, sicut metallum seu ferrum candens, in igne, naturam ignis videtur induisse, easdemque cum igne operationes habet; ità etiam ut in eâdem materiâ simul remaneat forma & natura ferri; ac proindè operationes hujus ferri candentis adscribuntur tam ferro, quàm igni; eodem etiam modo omnes creaturæ in Deo velut in igne (*Deus enim ignis consumens est*) eodem sunt imbutæ, & ut tales apparent animæ illuminatæ: porrò propter mirabilem hanc Dei in creaturis præsentiam, omnes earum operationes attribuuntur tam Deo, quàm illis, & actiones creaturarum non minus, imò magis, sunt à Deo, quàm ab ipsis creaturis; Deus enim est causa universalis, prima & principalis omnium; itaque divina Essentia, & essentia cujusque creaturæ simul sunt penetratæ, & simul operantur, multò magis, quàm essentia metalli & ferri, & essentia ignis simul sunt in eodem metallo vel ferro candente, & simul operantur;

Creaturæ in Deo ut ferrum candens in igne.

Hebr. 12.

Actiones creaturarum etiam à Deo sunt.

Creaturæ & Deus simul operantur.

CAPUT XVI.

Quàm purus amor creaturarum ex prædictâ contemplatione oriatur in animâ illuminatâ.

Amor creaturarum in Deo quàm perfectus.

DUm anima devota assuevit omnes creaturas videre in Deo, veluti statuas æneas candentes in medio fornacis ardentis, tum vix discrimen facit inter Deum & creaturas, sicut vix fit discrimen inter globum æneum candentem & ignem; quocircà dum anima prædicto modo considerans creaturas in Deo, easdem in Deo diligit, plus Deum diligit in creaturis, quàm creaturas ipsas; nam eas diligit, pro ut ipsi repræsentantur, atqui ipsi repræsentantur ut unum cum Deo, sive ut aliquid divinum, ergò eas diligit ut unum cum Deo, aut ut aliquid divinum, & consequenter Deum ipsum in ipsis; quippè eas ut aliquid à Deo distinctum non diligit; cum in ipsis, ut à Deo distinctis, nihil boni videat, quod suo amore dignum reputet.

Creaturæ extrà Deum non amandæ.

Creaturæ in Deo amatæ non mediant vel impediunt animam à Deo.

Animæ perfectæ in omni re inveniunt Dilectum suum.

Earum indifferentia ad omnia.

Ex omnibus jam dictis discere licet, quomodò Deo immediatè adhærere oporteat in spiritu; & quomodò possimus creaturas considerare, diligere, eisque uti perfectissimo modo, nè medium ponant inter Deum & nos, nec ullatenus nostram ad Deum conversionem impediant: quo obtento anima nulli ampliùs obnoxia est inquietudini, anxietati, aut labori in quærendo Dilecto suo; siquidem eum ubique & in omnibus obvium habet, pro voto amplectitur, amoris Brachijs constringit, illo fruitur, illi immediatè unitur; atque ideò ipsi est indifferens, quid ei ab obedientiâ injungatur, ubi ejus opera requiratur, quibus occupetur, ubinam locorum sit; omnia quippè ei nobilissimè cooperantur in bonum, in omnibus didicit sine medio invenire Dilectum suum; & amicabiliter osculari osculo oris sui, vel etiam in ipso aëre, quem respirat: ô Bone JESU, qualia sunt hæc mysteria! quis nos docebit stabilem hujus exercitij praxim? reverà caro & sanguis eam nobis non relevabit, sed tu ô dulcissime JESU, cujus unicum votum & desiderium est, ut omnes Electi tui tecum unum sint, sicut tu & Pater tuus unum estis: igitur JESU Sponse animæ nostræ doce nos; JESU operare hoc in nobis; JESU fac nos unum tecum; JESU instrue nos, æstimare omnes creaturas, quasi non essent, quatenùs non illis, sed tibi soli immediatè adhærentes, unus tecum spiritus efficiamur, qui es Benedictus in sæcula. Amen.

CA-

CAPUT XVII.

Defectu prætactæ considerationis & dilectionis creaturarum in Deo, anima incidit in multas anxietates; & optat vitam solitariam.

DUm anima Deum amans necdum didicit ità simpliciter & immediatè considerare & amare creaturas in Deo, plurimæ in eâ oriuntur angustiæ, formidines, & anxietates, nè in multis delinquat contrà puritatem cordis, sicque per multos atomos seu festucas parvarum imperfectionum impediatur, vel ullatenùs remoram aut medium aliquod patiatur in suâ intimâ ad suum Dilectum introversione;ipsi videtur,quod commercium cum hominibus, etiam spiritualibus, ei magnum in hoc causet impedimentum; ideò magnam in colloquijs cum alijs sentit contradictionem, sinendo facilè sibi elabi, quod alij sint contrariæ sibi complexionis, humoris, & inclinationis, aliumque à se habeant spiritum; undè & contingit eam nonnihil inquietari; cujus inquietudinis vitandæ gratiâ, atque, ut se in purissimâ(ut ait) cordis simplicitate assecuret, toto cordis affectu anhelat ad vitam planè solitariam, extrà omnem humanam societatem, degendam: hoc unicum ejus votum & desiderium; idcircò, etiam licitis loquendi temporibus cupit servare silentium; imò sibi persuadet sese à Spiritu Dei ad hoc impelli, eumque id à se postulare; eò quod speciali aliquâ mediante illuminatione, spiritui ejus revelari & ad oculum monstrari videantur multiplicia defectuum & imperfectionum inter colloquendum pericula: dum adest occasio unum verbulum loquendi, etiam ad ædificationem, vel fortè aliquid dixit, sentire videtur internam aliquam monitionem, ut sileat, vel abstineat, ex formidine, nè malè loquatur; aut conscientia eam remordere videtur, quod non fuerit satis circumspecta, volendo alios docere, de seipsâ aliquid præsumendo, ad ostentationem, vel cum vanâ complacentiâ, vel aliorum displicentiâ aliqua dicendo, & similia; quo remorsu nonnumquàm ità anxiatur & premitur, ut omnis generis mortificationes mallet subire, quàm ordinarijs colloquijs interesse.

Teneritudo animæ amorosæ,& formido, nè puritatem cordis lædat.

Solitudinis in ea desiderium.

Similiter & silentij.

Ejus angustiæ, nè loquendo in aliquo delinquat.

Horror à colloquijs.

Quod si illi suadeatur, ut non sit adeò taciturna in consortio, sed aliquod verbum ædificationis cùm bonâ gratiâ in medium proferat, quo alij ædificentur, & spiritu exhilarentur, seu ut aliqua pia hilaria referat; ipsa existimans id sine præjudicio sui profectus spiritualis vix fieri posse, respondet dilectionem à seipsa incipere, ac propterea præstare, ut à loquendo omninò abstineat, quàm cum proprio damno ad aliorum utilitatem loquatur;

Tentatio ad nimiam taciturnitatem, sub specie boni.

imò

imò cum nonnumquàm ſit experta, ſe loquendo, etiam de rebus pijs, in aliquos defectus lapſam fuiſſe, ægrè illi perſuaderi poteſt, ut ampliùs loquatur, dicit enim non licere facere malum, ut indè in alijs eveniant bona; ecce anguſtias animæ bonæ voluntatis; quis dicet eam non eſſe conſultam; & eſſe perfectiùs, ſi ſibi ſinat perſuaderi? præſertim cùm axioma Sapientum ferat; *ſæpè, locutum fuiſſe, pœnitet, tacuiſſe nunquam*; ſanè niſi Pater luminum hîc velamen tollat, & illi animæ detegat majorem aliquam perfectionem, eique inſpiret convenientia media eam conſequendi ſine notabili proprio intereſſe, videtur habere jus & cum bono fundamento procedere, præſertim ſi illi ex officio vel ſenio non incumbat alios inſtruere: nihilominùs, ſi ſit magnanima ad profectum ſpiritualem, poterimus illi cum Dei gratiâ porrigere manum auxiliatricem in omnibus; at, ante omnia, conſideret malum, quod ex ejus intempeſtivâ taciturnitate & extrinſecâ moroſitate cauſari poteſt in communitate, ubi Regula vel ſtatuta aliud ordinant; ac deindè attendat ad modum tenendi mediocritatem in loquendo ſine nocumento aut impedimento ſui profectus ſpiritualis; in quem finem, cum manſuetudine audiat, quæ ſequuntur, ut de omnibns plenius inſtruatur, & à ſuis anguſtijs liberetur.

CAPUT XVIII.

Diabolus optimas animas exſtimulat ad vitam abſtractam, & nimiam taciturnitatem, ut ſic multa bona impediat, & mala cauſet in religioſâ Congregatione.

Diabolus invidet profectui ſpirituali, & eum conatur impedire.

DUm invidioſus *ſatan* advertit, quod ingenioſa aliqua, virilis & Deum amans anima jam in proximo ſit, ut Deo adhæreat ſine medio, & per fidelem ac amoroſam adhæſionem ab ipſo planè regatur & dirigatur in omnibus ſuis agendis, & omittendis; ità ut non ſolùm deſperet ſe eam poſſe decipere, ſed etiam ſummoperè metuat, nè à divino ſpiritu directa multos alios in ſpiritu efficaciter promoveat, tùm undiquè conatur colligere apparentes floſculos, & adinvenire modos, ut ſub prætextu timoris Dei, vel proprij in ſpiritu profectus aſſecurandi, eam à fructu in alijs faciendo deterreat, & zelum ſalutis alienæ in ipsâ extinguat: in quem finem accendit in eâ ardens deſiderium & vehementem inclinationem ad ſtrictum ſemper tenendum ſilentium, & ducendam vitam planè ſolitariam.

Sub ſpecie boni ſuadet vitam ſolitariam, & nimiam taciturnitatem.

Vultis ſcire, quid mali indè intendat, & de facto fortè operetur? ſi ſit Religioſus, eum aggreditur, & per hanc intempeſtivam taciturnitatem & moro-

morositatem satagit suis confratribus reddere odiosum & tædiosum; sic ut ubique per suum exoticum & peregrinum conversandi modum sit invisus, fraternam confidentiam tollat, omnes ejus consortium fugiant, vel abhorreant; timent enim ab illo in omnibus observari, & taxari, nec sciunt quid in illo lateat, aut quomodò ad ejus gustum cum eo conversandum, undè nec affectum ad eum, quin potiùs aversionem ab eo sentiunt: fortassis cum tempore, alios regere esset idoneus ratione suæ doctrinæ & boni zeli honoris divini, disciplinæ regularis, in quâ etiam omnibus alijs salutaria & quotidiana constanter præbet exempla; sed quia iste zelus non est secundùm scientiam, quia ipse non est socialis, nec accommodabilis, nec affabilis vel amabilis conversationis, ideò confratres ab eo concipiunt horrorem, nec eum pro Superiore vellent eligere, existimantes eum forè nimis austerum, indiscretum & intolerabilem, non bonum pastorem aut benignum Patrem: atque hoc modo non raro multa bona impediuntur in Congregatione religiosâ, dùm scilicet minùs idonei & flaccidi Superiores eliguntur; defectu, quod qui sunt capaciores & zelosiores, non utantur debitâ discretione in suâ conversatione, ideoque à paucis amentur.

Mala à diabolo intenta per nimiam taciturnitatem & morositatem.

Indiscreta taciturnitas in Communitate odiosa, impedit multa bona.

Vituperatur in Superiore.

Quod si talis forsitan ad alios regendum assumatur, sed intereà se non reddat affabiliorem, sed consuetam teneat morositatem & abstractionem, non conando subditis dare aliquam satisfactionem, fit illis insupportabilis, & reputatur pro indiscreto; quæ causa est, quod subditi admonitiones vel exhortationes talis Superioris parvi faciant, imò ejus ordinationes ut sine discretione factas negligant; præterea nullum ergà ipsum animi candorem habere possunt, undè nec interiorem animæ statum illi unquam aperiunt, aliquod ab eo consilium petere, vel in angustijs solatium postulare non audent, sicque sunt veluti membra, quæ non habent cum capite communicationem, nec proindè ullum ex eo nutrimentum spirituale trahere possunt.

Morosi & non affabiles Superiores sunt ingrati, & non faciunt fructum.

Ecce quantum malum oriri, & quantum bonum impediri possit per intempestivam taciturnitatem, & externam morositatem; præterquàm quod multi inutiles & fortè nocivi discursus impedirentur, si juxtà monitum Apostoli, illi, qui spirituales sunt, cum dexteritate affabili se tempore ordinati colloquij gererent, & alios instruerent in spiritu lenitatis; si, inquam, tales cum suis confratribus, aut existentes Superiores, cum suis inferioribus, debito tempore & loco, familiariter, amicabiliter, & affabiliter agerent, cum industria de rebus utilibus loquendo, aut inutiles aliorum discursus divertendo; sic enim omnibus fierent chari, & dilecti, nemo fraternam vel paternam eorum correctionem ægrè ferret, quisque sana eorum consilia libens sequeretur, omnes ipsis subesse gauderent, libenter illis cor aperirent; imò fœlices sese reputarent, dùm tales pro Superioribus habere contingeret,

Affabilitas bonorum impedit multa mala.

Est omnibus grata.

Conciliat dilectionem mutuam & in Superiore necessaria ut cum fructu regat.

tingeret, parati plura præstare propter unum verbum talis Superioris, quàm propter centum verba aliorum; cum illis etiam candidè & confidenter agerent non sinè magno animarum profectu: Ex quibus liquet, quod isti Deum amantes, discreti, & amicabiles Religiosi in suis communitatibus sint veluti patres & matres, nati ad consolationem, instructionem & satisfactionem omnium; isti sunt etiam, qui in congregationibus maximè fovent fraternam charitatem, sedant aliorum malam intelligentiam, discordias moderantur, omnes verbo & exemplo ædificant; sicque multis sunt occasio bonorum operum, multa mala impediunt, & multis cooperantur ad salutem.

Affabiles & discreti in communitate sunt velut Patres & Matres.

CAPUT XIX.

Vt sine imperfectione cum alijs conversemur, oportet in hominibus videre Deum, & discursus audire, in quantum à Deo sunt.

Modus conversandi cum alijs sine detrimento spirituali.

IAm tempus est docendi, quomodò anima Deum amans suam cum alijs conversationem perfectissimè possit & debeat instituere, ut nè vel in minimo deficiat à maximâ cordis puritate, dum interim socialiter vivere satagit. Imprimis ergò, assuescat in omni creaturâ rationali considerare imaginem Dei (*ad imaginem quippè Dei factus est homo*) ad aliquid divinum, sive radium divinæ Essentiæ, quæ in omnibus, sed, ratione similitudinis & imaginis Dei, secundùm quam creatæ sunt, potissimè in creaturis rationalibus occultata est; præthereà discat in suis verbis & aliorum discursibus immediatè contemplari Deum, magis ad illos attendendo, in quantùm à Deo proveniunt, quàm aliter; eadem enim doctrina hìc usu venire potest, quam paulò antè generalius deduximus, de inveniendâ Dei præsentiâ immediatè in omni creaturâ; quam qui constanter posset practicare, non timeret in licitis colloquijs distrahi, vel animi inquietudinem incurrere, sed spiritu supervolaret; cùm enim nosset creaturas considerare in Deo, & ut unum cum Deo, uti suprà dictum est, sciret etiam ista colloquia intueri oculo fidei in suo principali principio seu origine, *Deo*, vix attendendo, aut saltem, sine adhæsione ea audiendo, in quantùm sunt in se, vel in aliquo creato principio, seu causâ secundâ; ac proindè indè non hauriret aliquas species distractivas, aut inquietativas, sed cordis simplicitatem & puritatem facilè custodiret.

Gen. 9. 6.

In hominibus consideranda imago Dei.

Discursus attendendi, in quantùm sunt à Deo.

Anima Deum in omnibus amorosè inveniens nullâ re distrahitur vel turbatur.

Sic agendo talis anima nè vel semel cogitaret, alios esse contrarij humoris, alterius complexionis, diversæ inclinationis, aut suo spiritui non convenire;

Sine tædio vel aliorum displicentiâ conversatur.

nire; ac proindè in necessariâ vel utili cum alijs conversatione non habere difficultatem, aversionem, inquietudinem, tædium, aut animi amaritudinem; nam unicum, vel saltem potissimum ejus objectum esset Deus; & reverà creaturæ nobis nullatenùs sunt contrariæ, nisi in quantùm eas extrà Deum consideramus, vel in quantùm nostra phantasia, vel intellectus eas extrà Deum consideratas nobis proponit ut nobis contrarias, vel molestas; quarè si quis posset cohibere & recolligere suam phantasiam, & intellectum à Deo, is facilè sciret vivere inter creaturas cum pace, & stabili quiete.

Phantasia corrigenda, ut non habeas molestias inter creaturas.

CAPUT XX.

Affectus adhæsivus ad propriam quietem etiam in Deo, causat inquietudinem in colloquendo; præstat in communitate statuto tempore affabilem esse.

Nimius affectus ad quietem, etiam in Deo, causat quietudinem.

PRæætereà, si anima devota vereatur loquendo amittere suam internam quietem, attendat; & deprehendet, quod non tam ipsa loquela ipsam inquietet quàm benè subtilis quædam adhæsio, ad internam quietem etiam in Deo affectatam; quàm quietem anxiè quærere, & nimiâ activitate propriâ velle conservare est reipsa inquietudini in animâ locum dare; atque hinc talis anima sæpè est in timore, sollicitudine, & anxietate: ut quid enim ità formidat desideratam in Deo quietem amittere, nisi quia illa quiete cum nimiâ satisfactione propriâ fruitur? ad hoc igitur benè attendat; & confido forè, ut paulatim cum Dei gratia eò perveniat, ubi nulla eam creatura impedire, aut ejus in Deo quietem interturbare poterit; quin potiùs etiam in externis occupationibus & necessarijs cum alijs colloquijs discet simplicitatem & unitatem cordis servare, loquendo cum alijs quasi non loqueretur, audiendo, quasi non audiret.

Eò tendendum, ubi nulla creatura nos distrahat vel inquietet.

Fortè dicet se timere, ne vel leviter hinc indè inter loquendum Deum offendat; verùm, ipsum etiam offendit, vel minùs ei placet nimiâ suâ & invisâ taciturnitate, ac tristi morositate, insuper, ut visum est, multa bona impediuntur; quod dicat se non posse facere malum, ut eveniant bona: verùm est, sed tempore & loco sese affabilem & in conversatione benignum ac amicabilem exhibere nòn est malum, at bonum: quod si fortè hinc indè aliquæ imperfectiones, humanæ conversationi intermisceantur, id est per accidens,& præter intentionem, utpotè cùm simplex sit,& per se feratur in bonum; econtrariò, nimia taciturnitas, seu morositas est mala, præter-

Affabilitas in conversatione est laudabilis.

Morositas odiosa,& causa malorum.

quàm

quàm quod mala indè manantia non sint ità per accidens; & verò, uti sobrietas non consistit in non comedendo, sed in comedendo tempore & loco, secundùm regulas temperantiæ; ità taciturnitas non consistit in non loquendo, sed in loquendo tempore & loco, debito modo & juxtà regulas prudentiæ: quocircà discat anima devota in Communitate vivere sine singularitate, sit inter alios placido & hilari vultu, affabilis, amicabilis, benevola & benigna in colloquijs, sibi certò persuadens id Deo forè gratius, quàm singularem ac tædiosam taciturnitatem; siquidem in Communitate communiter & socialiter vivendum est, quò sic fraterna Charitas melius foveatur, quæ est vinculum perfectionis.

Virtus in medio consistit.

Modus conversandi.

Hæc socialitas in fraterna dilectione fundata, *operit multitudinem peccatorum*, sic enim *alter alterius onera portat*, ut *sic adimpleant legem Christi*; sanè dum totum benè inspicitur, est amor proprius, & propria quæsitio, quæ utpotè juratus hostis fraternæ Charitatis, sub prætextu majoris perfectionis semper gaudet adinvenire aliquam singularitatem, quæ instar pestis, religiosam congregationem inficit & corrumpit, de qua scriptum est, *singularis ferus depastus est eam*: quapropter attendat anima devota, quid sibi sit agendum, & discat in Communitate irreprehensibiliter vivere sine querelâ, & Deus benedicet illi in pace.

1. Pet 4. Gall. 6.

Socialitas fraterna.

Singularitas fugienda.

Psalm. 29.

CAPUT XXI.

Praxis benè conversandi cum omnis generis hominibus; quomodò mutua Charitas fovenda; & quàm perfectè anima se gerere debeat in loquendo.

Prudenter hìc attendat fidelis anima, nè omnes alios velit metiri suo pede; volendo, ut omnes alij suo sese genio conforment; nec inter colloquendum sit alijs molesta discursibus, suo soli spiritui convenientibus, non sit etiam importuna ad loquendum de rebus spiritualibus & internis exercitijs, dum non est spes alicujus utilitatis; neque enim licet panem filiorum, seu Verbum Dei, passim omnibus sine discretione proponere; non etiam attentet alios omnes suo agendi & vivendi modo imbuere, seu ad sui genij imitationem inducere, utendo ad hoc sermonibus inopportunis, quasi unumquemque volens omni tempore instruere & docere; sed præter prædictas praxes omnia in Deum trahendi, imprimis attendat ad dispositionem & conditionem eorum, quibuscum agit; siquidem cum spiritualibus de spiritualibus, ac spiritualiter conferre licet, cum doctis humiliter, optans

Accommodabilitas in conversatione, & discretio necessaria.

Omnium complexio sufferenda.

Modus conversandi cum diversi gene-

tans magis ab alijs doceri, quàm alios docere; cum sæcularibus prudenter & circumspectè, ut discursus exorbitantes cum bonâ gratiâ in bonum convertat sine contristatione, confusione aut offensione cujusquam; si fortè aliquid mali in medium proferatur, quod impedire non potest, tum conetur audiendo, ut dicitur, surdescere, aut etiam benigno, vel nonnihil maturiori vultu modestè insinuare, quod similes discursus displiceant: cum tristibus debet esse tristis, flere cum flentibus, gaudere cum gaudentibus, infirmari cum infirmis, uno verbo, noverit se ad omnem formam mutare, & omnibus humoribus accommodare, ut possit omnibus omnia fieri, exemplo perfecti istius, Christi imitatoris, Apostoli; quem lubeat audire loquentem, & imitari; qui enim ipsum secuti fuerint, non poterunt aberrare, *omnium*, inquit, *me servum feci, ut plures lucrifacerem & factus sum Iudæis tamquam Iudæus: ut Iudæos lucrarer; ijs qui sub lege sunt, quasi sub lege essem; ut eos, qui sub lege erant, lucrifacerem; ijs, qui sine lege erant, tamquam sine lege essem - - - factus sum infirmis infirmus - - - omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos.* Ex quibus colligere licet, cum quanta industria & accommodabilitate cum omnis generis hominibus agendum sit, conformando nos non proprio spiritui & genio, sed genio ac complexioni aliorum ut pacificè vivamus, & alterutrum ædificemus ad salutem secundum leges Charitatis; equidem fraterna Charitas est, quæ non parcit incommodis, aut laboribus, quæ propriam satisfactionem & quietem negligit, ut alijs commoda, satisfactionem, & quietem procuret; Charitas non cogitat malum, non malè suspicatur, aliorum inconsiderationes, imprudentias, & defectuositates libenter dissimulat, & suffert; inclinatur ad benevolentiam omnibus exhibendam in verbis, factis & modis agendi; ipsa sese exenterat ad juvandum alios; ipsa est velut Mater & nutrix spiritualis, propensa ad cordialem affectum omnibus exhibendum, ad benignè & amicabiliter cum omnibus conversandum, ad alios honore, humanitate & obsequijs præveniendum.

[Margin: ris hominibus. — Apostoli Pauli exemplum in conversatione. 1. Cor. 9. — Charitatis fraternæ operationes in vitâ communi.]

Verumtamen anima amorosa hìc attendat, ut omnes hos modos agendi, & praxes, executioni mandet absque nimia spiritûs fatigatione, vel anxietate, purè, sincerè, & essentialiter, in Deo; sinè nimis anxia reflexione ad suas & aliorum operationes, cùm actuali attentione ad Deum, & ex inclinatione radicatæ virtutis: hæc quippè reflexio ipsam impediret in suo amore unitivo cum Dilecto; vitet etiam nimiam activitatem propriam, & innitentiam in propria industria aut diligentia; etenim in omnibus suis exercitijs, & colloquijs directioni divini spiritus in se locum dare debet; nec sit sollicita, quid loquatur; nec enim deinceps ipsa debet esse, quæ loquatur, sed Spiritus Dei per illam; quod dum fiet, facilè etiam cavebit de aliquibus rebus loqui cum naturali impetuositate, vitiosa adhæsione, sed loquetur cum magna cordis simplicitate, & libertate Spiritûs,

[Margin: Sine anxietate &c. conversandum. — Sibi diffidendum & directioni Dei innitendum. — Deo per animam loquente vitantur facilè]

imperfectiones. tus, quasi non loqueretur, & quasi de rebus, quæ ipsam non concernunt; eò quòd discat omnia in Deo irreflexè præterire, nè per aliquid à Deo medietur; quippè, etiam festuca, cui cum adhæsiva reflexione adhæretur extrà Deum, animam à Dilecto suo impedit, & mediat.

Imperfectiones quotidianæ nos non debent inquietare. Non obstante tamen, quod anima ad immediatam cum Deo unionem aspirans, in quotidianâ suâ conversatione deprehendat multos defectus & imperfectiones, quæ ipsam in suo bono proposito videntur retardare, nihilominùs non apprehendat in hoc difficultatem, nec locum præbeat anxietati, pusillanimitati, aut inani sollicitudini; hæc enim foret crassior imperfectio, quàm ea, quam vellet cavere; sed potiùs Deum in se, ac secum agere sinat, præstolans eum cum longanimitate; sciatque se nullo pro- Sine singulari gratiâ non possunt vitari. prio labore, activitate, aut sollicitudine ad suum intentum posse pervenire, nisi Deus eam speciali gratiâ ad hoc juvet, & efficaciter trahat; quod utique faciet, dum ejus bonitati ità visum fuerit, fortassis, dum id minimè cogitabit; solummodò caveat, ne unquam ad tractum Dei sequendum, Dei directioni anima aptanda. ejusque in se directionem admittendam imparata inveniatur; sed omni tempore & loco sese liberam servet ab omni eo, quod Deus non est, cum plenâ fiduciâ, quod benignissimus Dominus cum ipsâ, & in illâ operabitur, secundùm consilium voluntatis suæ, quidquid magis poterit servire ad ejus gloriam in tempore & æternitate.

CAPUT XXII.

Qualiter anima in divinis consolationibus attendere debeat, ut potentias sensitivas & proprium amorem excludat, nè alioqui decipiatur.

VIx anima illuminata gustavit guttulam divinæ Bonitatis; ità ut sensibilem aliquam vel spiritualem cum Deo unionem experiens gustare Psalm. 30. incipiat, *quoniam suavis est Dominus*, & cum Prophetâ facilè clamaret, ô *quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti diligentibus te!* Tempore dulcedinis cavenda quies in natura. vix anima amorosa à Dilecto suo semel accepit osculum oris ejus, ejusque divinos sensit amplexus, quin iterùm ei cavendum, ne decipiatur, quiescendo in natura, loco, quod quiesceret in Dilecto: vultis scire, undè immineat talis deceptionis periculum? audite; edisseram; dum anima semel gu- Periculum quietis in naturâ undè veniat? stavit favorem, seu suavissimam visitationem Dilecti, facillimè eâ inescatur, sibi persuadet deinceps in se semper fore dedicationem, seque indesinenter mansuram in tali fruitione; undè facilè existimat se à Deo continuò gratiarum influxu foveri, & pane Verbi Dei ab ipso-met Spiritu sancto interiùs

riùs cibari; at non rarò fallitur; siquidem divinos favores non ritè accipiens in spiritu, nec Patrem luminum in omnibus purè in spiritu sciens adorare facilè decipitur à proprio amore, qui in eâ adhuc latitat; atque per factionem seu subtilem collusionem illius, sensualitas sæpè miscetur; ità ut dum anima interiùs à Deo secundùm spiritum fovetur, delectatio sensualis, quies & complacentia naturalis facilè intrudantur; quam sensualem collusionem anima non benè discernens ab operatione divinâ, putat optimè secum agi, Spiritum sanctum mira in se operari, ac se jam incipere adhærere Deo cum magnâ stabilitate.

Collusio naturæ tempore dulcedinis.

Dulcedo spiritûs debet esse suspecta de collusione naturæ.

At ecce, fallitur; nec enim in spiritu elevata, sed manet hærens in naturâ; nam licet spiritu cœperit, consummat tamen in carne, aut ejus sensualitate: ratio est, quia spiritus à sensibus ex naturâ est alienus, & amat abstractionem ab illis, utporè sensualitati planè contrarius: quocircà dum ipse in animâ incipit operari, & anima suam sensualitatem illi operationi nititur miscere, tum ille aufugit, sinens potentias sensitivas, vel etiam rationales solas agere, eò quòd cum illis communicationem habere nolit.

Spiritus sensualitati contrariatur.

Porrò anima hanc divini Spiritus fugam ignorans (eò quòd potentiæ sensitivæ & rationales naturali suâ solertiâ & activitate adhuc continuent operationes, & divini Spiritus actionem, instar simiarum conentur imitari) manet quieta, existimans omnia secum benè agi, sicque quiescit in suâ naturâ, & non in Deo; affluere videtur spiritualibus delicijs, at sunt sensuales; nam jam non innititur super Dilectum, sed super seipsam, etiamsi ignoranter; quia per hanc partis sensitivæ collusionem in eâ quasi causatur condensa nebula, qua impeditur, ne detegat fraudem.

Natura ut simia imitatur operationes spiritûs.

Decipit animam.

Intereà, quamdiù anima nititur hoc inani & fragili fundamento, nihil in Spiritu potest proficere, sed de unâ sensualitate incidit in aliam; nam quo se melius in sensibili seu sensuali unione conservet, avet indies communicare cum magno desiderio & insatiabili siti; præsertim quia hinc subindè experitur in se oriri teneras affectiones: ideò ægerrimè à sacrâ hâc mensâ potest arceri, pro certo sibi persuadens, sese sine eâ omninò defecturam corpore & spiritu, ubi jam existimat se speciali quodam modo pasci, nutriri, & mente, quin-imò, & corpore confortari; undè etiam fit, quod nulla illi videatur major mortificatio posse advenire, quàm à divinâ hâc escâ ablactari: & quamquàm id laudabili ac bono ejus zelo tribuendum videatur, non tamen ad purissimam & mysticam unionem ei adminiculo esse potest; quia zelus ille fundatur in sensibili devotione, in proprio amore & quæsitione, quæ etiam in rebus divinis locum occupantes, animam obnubilant, & ab immediatâ cum Deo unione impediunt.

Collusio naturæ impedit profectum spiritûs.

Desiderium S. Communionis potest fundari in naturâ.

Seipsam in eâ quærens.

CA-

CAPUT XXIII.

Quomodò per mixtionem sensualitatis anima decipiatur in internâ consolatione, putans multùm proficere in spiritu, cùm hæreat in naturâ.

Natura spe internæ consolationis instigat ad exercitium orationis & pœnitentiæ.

PEr prætactam sensualitatis collusionem in verâ in Deum introversione; natura non parùm allicitur, & videtur anima roborari, ut multùm temporis orationi impendat, pœnitentiæ operibus se maceret, & juge mortificationis exercitium cordi habeat: quocircà advertens exercitium orationis sibi dulcescere, ac adminiculo aliquarum pœnitentiarum se subindè obtinere cor contritum & compunctum, nullum illi tempus ad orandum, nimium videtur, & nulla vitæ austeritas sufficiens, quin imò credens se ad austeriorem vitam singulariter à Spiritu impelli, cogitare incipit, an sit voluntas Dei, ut in suo statu perseveret, an verò, ut ordinem strictiorem ingrediatur, vel in aliquo eremitorio recludatur, quatenùs sic opportunius dies ac noctes divinis contemplationibus impendat, ac in abstinentijs extraordinarijs, & in jejunijs in pane & aquâ vitam consumat: Satan nonnunquàm etiam fovet similia desideria, & transfiguratus in Angelum lucis, similia vivaciùs & fortiùs animæ imprimit, ei persuadens, quod Deus talem vitam ab illâ exigat; & quod, si tale Dei beneplacitum negligat, nulla ei spes salutis supersit: undè aliquandò contingit, quod immoderatæ & excessivæ vitæ austeritati laxet habenas cum læsione cerebri, & notabili præjudicio sanitatis, absque eò, quod à quoquam ad moderationem & in suo vivendi modo discretionem reduci queat.

Diabolus sub specie boni excitat animam ad rigorem inordinatum.

Fervor suspectus de collusione naturæ.

Aliàs sentiens sese motam ad opera charitatis, aliquo modo in omne Dei placitum resignatam, & ad multa pro Christo toleranda resolutam, sibi videtur conformis fieri imagini filij Dei, ità ut nil ei deesse videatur, nisi in Deum transformari: subindè præ fervore divinæ charitatis, experiri videtur magnam spiritûs exultationem, & cordis jubilum, plena interno gaudio, ità ut putaretur inebriari vino dilectionis, cujus effectus seu operationes vix diutiùs possit occultare, &c. Verùm, si totum benè inspiciatur; omnes hi spiritûs impetus, desideria, affectiones, sæpiùs debili nituntur fundamento, & multum sensualitatis, ac naturalis activitatis in omnibus miscetur.

CAPUT XXIV.

Natura coacta carere consolatione corporali, seipsam quærit in spirituali; quomodò phantasia, & sensualitas sese hic gerant.

DUm natura per jugem mortificationem diù exercitata, jam frustratur spe habendi satisfactionem in rebus mundanis & sensualibus incipitq̀ue in spiritualibus aliquam consolationem & delectationem invenire; affectum quidem abstrahit ab omnibus, quæ in mundo sunt, & concupiscentiæ carnis conformia; at illum, cum multò majori complacentiâ, apponit spiritualibus; ipsi enim indifferens est, in quo quiescat & satisfactionem habeat, modò alicubi pedem intus figere queat: natura itaque sub tali conditione sinit se persuaderi, & se incipit accommodare; imò omnes suas vires & sensus exerere & superimpendere satagit, ut orationem, v. g. exerceat; hoc enim videt esse necessarium ad hoc, ut à tædio liberetur, & in spiritualibus consolationem & gaudium inveniat, quibus subindè in oratione vel alijs pietatis exercitijs degustatis, sibi persuadet, se non malam fecisse commutationem, abstrahendo affectum à mundo, & ab omnibus, quæ in mundo sunt, vel sensualitati conformia sunt, & ad spiritualia transferendo: quamvis autem id sit verissimum, attamen anima amorosa sublimiorem puritatem & perfectam debet intendere.

Natura à mundanis ablactata quærit se in spiritualibus.

Spe internæ dulcedinis ad ardua est parata.

Cæterùm natura hìc satisfactionem inveniens, forsitan multò majorem; quàm unquàm anteà, in ulla alia re, libenter se spiritui accommodat; imò jugi orationi cuperet intendere, ut spiritualis dulcedinis favum incessanter indè posset exsugere: tali motivo etiam natura allicitur ad desiderandam vitam abstractiorem, magis solitariam, & austeram; siquidem prægustatâ nonnihil internâ mentis dulcedine, eâque inescata, alitur spe, quod in tali vita frui licebit stabiliori quiete, & pace internâ, utpotè jam expedita & sequestrata ab omnibus occasionibus, quibus anteà solebat inquietari.

Consentit jugi orationi, & vitæ austeriori.

Vt in Deo solatium inveniat.

Præterea intellectus naturalis & potentia imaginativa, dùm coguntúr resecare & mortificare omnem curiositatem, & multiplicitatem cogitationum de mundanis, corporalibus & transitorijs; ac aliundè præveniuntur aliquibus illuminationibus, & cognitionibus rerum spiritualium, quæ sunt incomparabiliter nobiliores, & pulchriores, rationi planè judicant consentaneum, si deinceps suam curiositatem non ampliùs satient rebus

Curiositas sensualis in spiritualem mutatur.

vilioribus, ſed potiùs iſtis nobiliſſimis & ſumma æſtimatione dignis; ideò unicum talis animæ deſiderium eſt, ſublimia de divinis myſterijs meditari, ruminare & contemplari, quatenùs per ſpeculationem ſimilium ſuæ curioſitati meliùs obſequatur.

CAPUT XXV.

Natura ſeipſam in ſpirituali conſolatione quærens eſt parata ad hoc allaborare per pœnitentias, ſilentium, &c. & quomodò in hoc decipiatur & impediatur.

Natura ſpe ſpiritualis ſolatij auſteritatem amplectitur.

QUandoquidem natura deprehendat, ad conſolationem internam acquirendam, plurimùm prodeſſe, imò eſſe neceſſariam, ſobriam & abſtractam; vitam non recuſat impendere aliquem laborem & vitæ auſteritatem, ſciens, quia *dulcia non meruit, qui non guſtavit amara*; ideò ſe ultrò reſolvit ad auſteriora pœnitentiæ opera, quibus perveniat ad intentum etiamſi id ei conſtare debeat multis tribulationibus, infirmitatibus, imò, morte ipſa; præcipuè dum per aliquam falſam illuminationem ſibi perſuaſum habet, Deum ſimilia ab ipſa exigere, ut illam liberaliter remuneret ſtabili ac ſuavi ſuæ Divinitatis fruitione; equidem ſi quies temporalis ſperata pro annis ſenectutis, multos ſoleat exſtimulare, & animare ad indefeſſos in juventute labores ſubeundos; ſi deliciæ mundanæ mundi amatores efficaciter pelliciant, ad varia incommoda, tædia, injurias & moleſtias perferendum, dummodò ijs tandem fruendi ſpes affulgeat; ſi pro aſſe, ut dicitur, lucrando, mercatores tot anxietates, labores, & pericula ſuſtineant, ſi pro rebus rarioribus, & ſecundùm mundum curioſis videndis homines ſuas pecunias expendant, & dies, imò, & noctes cum magno incommodo tranſigant; quam vim & efficaciam non habebunt ſpirituales deliciæ, interna quies, & pax Dei, quæ exſuperat omnem ſenſum, ad exſtimulandam animam ad patientiam in laboribus, in anguſtijs, in preſſuris, in auſteritatibus; præſertim dum ſemel guſtavit, *quoniam ſuavis eſt Dominus*? quomodò bona cœleſtia & æterna animam non allicient, ut de illis die ac nocte meditetur, ſpecialiter dum eorum valorem, excellentiam & raritatem vel de longè ſubolfecit?

Mundana & temporalia animant ad ardua.

Spiritualia ſemel guſtata magis.

Senſibilis devotio internum gaudium &c. ſæpè fundantur in naturâ.

Indubiè anima, etiam naturaliter per conſiderationem ſimilium ſolet accendi, ac bonis deſiderijs repleri, quæ fortaſſis à naturâ dumtaxàt, & non à Spiritu ſancto, proveniunt; exultatio etiam ſpiritus & jubilum cordis, quibus aliquandò recreatur, pro majori parte fundantur in naturâ; utpotè

utpotè cùm similia maximè soleat experiri, dum aliquid ad ejus mentem, votum & desiderium prosperè successit; & consequenter, impetus amoris, desideria arctioris vitæ, & aliæ teneræ & efficaces animæ affectiones, ac etiam talium desideriorum & affectionum executiones, magnâ ex parte fundari possunt in naturâ, & non rarò pullulant ex radice mala proprij amoris, qui se ubique etiam in rebus divinis subtiliter solet ingerere; sicque fieri potest, quod omnia ista desideria objectivè pia, omnes istæ bonæ affectiones, & operationes, parum vel nihil de gratia habeant, nec eleventur ad esse supernaturale per cooperationem principij supernaturalis, vel saltem magis à naturâ, quàm à gratiâ originem, & motivum & fomentum hauriant, sicque valdè imperfecta maneant, eò quòd sensualitas & amor proprius plurimùm in illa influant, & majorem in illis partem teneant.

Amor sensibilis, desideria arctioris vitæ &c. sæpè radicantur in amore proprio.

Et sic merè naturalia, vel valde mixta.

Ex quibus videre est, quàm facilè anima possit decipi, existimando se mirum in spiritu progressum fecisse, ubi fortassis adhuc errat in principijs, & hæret in natura; at ubi, & per quid hæc illi fraus detegi poterit, quatenùs tandem fiducialiter inveniat & ingrediatur viam bonam, in quâ ambulet confidenter & securè sine periculo errandi?

Sensibilis fervor &c. sæpè animam decipiunt.

CAPUT XXVI.

Ad benè proficiendum non oportet metiri gratiam Dei secundùm sensibilitatem; sed seipsum & omne solatium abnegare sinendo Deum operari.

DE multis profectò animabus pijs, certo sensu, dicere liceret id, quod Propheta dixit de peccatoribus, *impij in circuitu ambulant*, omnem vitam suam terendo absque ullo profectu in via salutis: nam simili modo, dum quædam animæ post aliqualem in virtute progressum non cautè advigilant, ut sensualitatem & propriam quæsitionem ab omnibus suis exercitijs excludant, lamentabilem ambulant circuitum; ecce enim subindè pro aliquanto tempore incipiunt in spiritu, sed non circumspectè agendo, brevi redeunt ad sensualitatem; atque sic nonnumquàm multos annos transigunt, sæpiùs incipiendo & regrediendo sine notabili profectu; quocircà opus est, ut similes discant discernere inter vias spiritûs & vias naturæ seu sensualitatis, ne ampliùs devient, sed ambulent viam bonam.

Psalm. 11.

Multi in circuitu ambulant, sinè notabili profectu.

Imprimis igitur attendat anima Deum quærens, nè gratias supernaturales & Dei dona metiatur ulna sensibilitatis, aut mensura sensualitatis; hæc enim mensura non proportionatur aut quadrat rebus spiritualibus & super-

Gratia Dei ex sensibilitate non cognoscitur.

ſupernaturalibus, utpotè cùm invicem ex naturâ ſuâ contrarientur: quocircà non facilè, certò credat omnia ſecum benè & proſperè agi, dùm illi ſecundùm ſenſibilitatem eſt ſatisfactum; neque etiam durante hac mortalitate, prætendere expedit ſtabilem & ſuavem fruitionem Dilecti; nec enim jam tempus eſt erigendi & firmandi tabernacula in monte *Thabor*, ſed potiùs cùm Chriſto bibendi calicem paſſionis in monte Calvariæ.

Vita præſens eſt tempus paſſionis, non conſolationis.

Deindè, Spiritu Sancto incipiente gratiosè operari, anima devota ſeſe exerceat in cordiali ſui ipſius abnegatione, & in totali renunciatione omnium, quæ eam recreare, conſolari, alleviare, vel aliqualiter ſatiare poſſent; ita ut ex parte ſua ſeſe diſponat ad voluntariam carentiam omnium, quibus ſenſualitas ineſcari, paſci, vel foveri ſolet: procul ab ea abſit cogitare, quod perfectio conſiſtat in ſenſibili unione cum Deo, vel in alijs gratijs ſenſu perceptibilibus; hæ enim non ſunt, niſi ſuccus ſeu lac, quod parvulis in Chriſto in potum datur; à quo proindè anima debet ablactari, ſi debeat ſpiritu roborari, & forti dilectione confirmari, ut tandem excreſcat in virum perfectum, & ad ardua pro gloria Dei fiat idonea.

In ſtatu conſolationis abnegatio eſt neceſſaria.

Perfectio non conſiſtit in ſenſibili devotione.

Denique, ſinat anima Spiritum Sanctum in ſe operari cum ſumma libertate, juxta beneplacitum ejus, cavendo ſummoperè, ne nimiâ ſuâ activitate ejus operationem fortè interturbet; hoc enim ſciat ſemel pro ſemper, quod quo divini Spiritus operatio intimior, ſpiritualior, & ab omni ſenſibilitate alienior eſt, eò ſit perfectior, & divinior.

Operatio Dei propriâ activitate non impedienda.

CAPUT XXVII.

Quomodò anima ſe gerere debeat in dulcedine, & moderari fervens deſiderium Sacræ Communionis, & extraordinariæ pænitentiæ præter Regulam; diſcretio in omnibus eſt neceſſaria.

In dulcedine & fervore ſenſibili non eſt fidendum

POſito etiam, quod anima quaſi perfundatur torrente voluptatis, exæſtuet fervore charitatis, & paſſim ſuaviſſimo cordis jubilo repleatur; equidem cavere debet, ne ullatenus in illis quieſcat, quaſi certò exiſtimans hæc eſſe ſymbola divini amoris; ſed illa omnia in Deo ſuaviter immergere, & ſine reflexione adhæſivâ dimittere aſſueſcat, perindè ac ſi illam non concernerent; alioqui enim illa magno ipſi forent impedimento in ſuâ eſſentiali ad Dilectum converſione, utpotè quæ fieri debeat in ſolitudine ſpiritûs, ubi nulli ſenſus aut ſenſibilitates locum tenent, procul ab omni perceptione creaturarum, quantumcumque nobilium: Idcircò etiam anima

ma in se temperet nimium fervorem & anhelationem ad Sacram Communionem, pro certo tenens, quod Deus non alligetur his vel istis medijs, ut eam ad sublimem perfectionem deducat, vel in corpore & spiritu corroboret: teneat se igitur in verâ libertate spiritus, non innitens alicui determinato exercitio, sed manens libera & soluta ab omnibus, & consequenter parata ad omnia, quæ Dilectus in eâ, & per eam dignabitur operari, non se alligando, vel obligando ad quidquam aliud. *Temperandus fervor Communionis.* *Libertas spiritûs.*

Insuper, in operibus pœnitentiæ sit anima valdè moderata, nec credat omnia ad illa desideria, aut animi promptitudinem semper provenire à bono spiritu; aut si à Deo inspirentur, non semper ea intentione inspirantur, ut in opus exeant; sed ut anima illis exstimulata, suæ bonæ voluntatis tesseram exhibeat; quod, nimirum sit paratissima se Deo consecrare & immolare in hostiam viventem, & perfectum holocaustum, summè anhelando ad omnes vires & membra corporis, pœnitentiæ igne, concremanda, & ad ultimam sanguinis guttam in austeritate vitæ consumendam, modò Regula, & obedientia sic urgerent, aut permitterent; saltem occasione talium desideriorum se liberè ad hoc resolvere potest, ut corpus suum usque ad ultimam sanguinis guttam per moderatas, suoque statui convenientes pœnitentias paulatim consumat, non alia intentione, quàm amore Dilecti; sic enim faciendo, dat quidquid habet, non quod ad hoc debeat extraordinarias pœnitentias vel austeritates assumere; sed solummodò servet jejunia, abstinentias, & nonnullas alias corporis macerationes, quæ illi ex parte ordinationum regularium, vel ex præscripto discreti Superioris permittuntur; nam sic nihil faciet sine congrua discretione, quæ est virtutum moderatrix; sic etiam diuturnum, ac Deo placentissimum sacrificium jugiter poterit immolare, transigendo vitam suam, & carnem ac sanguinem paulatim totaliter consumendo ad Dei gloriam, & juxta ejus beneplacitum. *Pœnitentiæ desiderium moderandum* *Quarè Deus illud inspiret.* *Moderatâ pœnitentiâ corpus pro Deo consumendum* *Quæ sit illa pœnitentia.*

Denique anima devota in omnibus suis exercitijs utatur magnâ discretione; quippè sinè hac nulla opera Deo possunt placere; illa est sal, quod Dominus Deus in veteri lege ordinaverat addendum in omni sacrificio, innuens & significatum volens nulla sibi opera fore accepta sine sale discretionis: ideò sit temperata in suo modo orandi, non nimiam faciendo violentiam, ut juxta impressionem phantasiæ suæ orationem exerceat; nequè enim spiritus cogendus aut violentandus est, sed suaviter dirigendus, & sinendus in Deo fluere, non tam innitendo propriæ sagacitati aut diligentiæ, quàm directioni divini Spiritus, qui, *ubi vult* & quomodò vult, *spirat*; dum autem hic animam perflare incipit, tunc fluunt aromata illius, tunc, omnia sponte & benè succedunt; illo verò non spirante, anima in vanum laborat: porrò quantum est de se; solummodò sese coram di- *Sal discretionis in omnibus necessarium.* *Spiritus non est violentandus.*

Quid anima de se facere debeat in oratione.

vinâ Majestate annihilet, & cum profundâ humilitate præstoletur Dei in se operationem, eamque humillimè imploret: prætereà advigilet, ut in se tollat omnia talis operationis impedimenta; in quem finem renunciet omni curiositati, non solùm in rebus corporalibus, sed etiam in spiritualibus & supernaturalibus: mortificet etiam omnes suas inclinationes ad quietem, & internam satisfactionem; abneget proprij judicij sagacitatem, ac propriæ voluntatis vivacitatem; uno verbo, discat seipsam derelinquere, & omnia creata in Deo accipere, aut meliùs, perdere, modo supra-dicto; quatenùs sic in spiritu sine mixtura sensuum, sine admixtione omnium, quæ sub sensum cadere possunt, Deò immediatè adhærendo, unus cum eo Spiritus fiat per amorem JESU, & intercessionem MARIÆ Matris nostræ amabilis.

CAPUT XXVIII.

Aliqui loquendi modi nonnullorum mysticorum, qui non benè sonant, nisi benè explicentur, v. g. quod oporteat nos esse sine intellectu, sine cultu Sanctorum &c. ut Deo immediatè adhæreamus.

Modus videndi & diligendi Deum in creaturis.

PRocul dubio, valdè sublimis & divinus est modus contemplandi & amandi creaturas in Deo, seu potiùs, Deum in creaturis, de quo in præcedentibus latiùs egimus, demonstrantes, quomodò Deum ut unum cum creaturis, & creaturas ut unum cum Deo & in Deo contemplari & amare possimus; verùm, dum quædam animæ hunc modum cogitant redigere in praxim, incidunt in pericula variorum errorum, & doctrinarum malè sonantium; nisi valdè circumspectè & discretè ambulent, ac sese benè sciant explicare: siquidem audientes, quàm purè & impermixtè omnia creata in Deo sumere, & Deo immediatè in spiritu adhærere debeant, ut unus cum eo Spiritus fiant, opinantur id ita nudè debere fieri, ut in suâ ad Deum conversione nullas operationes intellectûs, memoriæ aut voluntatis, ac multò minus, potentiæ imaginativæ vel appetitus sensitivi, ullatenus possint admittere; ideò quidam asserunt, quod in tali statu unionis oporteat esse sine intellectu, sinè memoriâ, sine voluntate, sine ullâ repræsentatione seu specie expressa vel impressa in potentiâ imaginativâ; prætereà excludunt etiam omne exercitium virtutum, omnem attentionem ad inspirationes divinas, quìn etiam, operationes dilectionis Dei, contritionem de peccatis præteritis, proposita emendationis, directiones actionum ad Deum;

Error aliquorum mysticorū præscribentium malum otium.

In quo malum otium consistat.

Deum; vetant etiam orationes pro aliquâ gratiâ, sibi, vel alijs procurandâ; alioqui, inquiunt, anima nimis multiplicatur, in suis actibus, ubi econtrà debet studere simplicitati, quo infinitæ simplicitati Dei, qui est ens simplicissimum, possit assimilari, & uniri: existimant etiam quod omnes animæ operationes, quantumcumque excellentes & divinæ, seu supernaturales, eam à Deo medient; nam juxtà opinionem illorum; omnes creaturæ ponunt medium inter Deum & animam, ergò etiam hæ.

Putant omnes creaturas impedire animam à Deo.

Cuius dant rationem; eò quòd omnes operationes potentiarum internarum, exercitia virtutum, interior attentio ad vocem Dei, contritio de peccatis, bona proposita, actualis operum directio, impetus amoris, orationes, & similia, ex sententiâ illorum, sint manifestum signum, quod anima ad aliquid extra Deum reflexionem figat, aliquid aliud præter Deum desideret, aliquid aliud præter Deum quærat, in aliquo alio, quàm in Deo nitatur, sicque non possit esse planè annihilata: nihilum enim nihil operatur, & quidquid aliquid operatur, intelligit, vult, virtutes exercet, orat &c. est aliquid; si autem aliquid, ergò non est nihil; cùm tamen Apostolus dicat, *si quis putat se aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit*; quocircà putant animam sic non posse sese in Deo immergere, perdere & annihilare, cùm eius operationes eam à Deo distinguant, & omnia, ad quæ reflexionem dirigit, eam ab immediatâ cum Deo unione impediant.

Quarè aliqui præscribant tale otium.

Putant hominem utpotè nihil, nil debere operari.

Gal. 6. a.

A paritate rationis inferunt etiam in statu perfectæ unionis non invocandos aut colendos Sanctos, imò nec ad Virginem Matrem recurrendum; nec in spiritu seu mente nostrâ admittendam imaginem seu repræsentationem sanctissimæ Trinitatis, aut humanitatis Christi; nam inquiunt, quamdiu anima adhuc in se retinet imaginem alicujus rei, quantumvis eximiæ & divinæ, Deo sine medio frui nequit, eò quòd imago illa seu repræsentatio eam à Deo mediet.

Putant internas operationes à Deo mediare.

Quarè vetent cultum Sanctorum &c.

CAPUT XXIX.

Aliqui dicendo ea, quæ non benè intelligunt, vitam mysticam reddunt odiosam, & labuntur in multos errores, proprij judicij tenacitatem & defectus.

PRædictæ opiniones videntur satis mirabiles, peregrinæ & malè sonantes, & quasi tendentes ad hæresim; utpotè contrariæ pietati animarum timoratarum, & communi doctrinæ Sanctorum Patrum; quocircà attendere & videre oportet, quomodò tales opiniones & modos loquendi cum grano salis, & sano sensu intelligere, seu interpretari possimus, ne multis

Opiniones aliquorum mysticorum malè sonantes.

Cum grano salis intelligendæ.

Incauti vel indocti mystici reddunt vitam mysticam odiosam.

tis sint lapis offensionis,& petra scandali; equidem non rarò contingit,quod multæ etiam devotissimæ animæ similes discursus audientes concipiant aversionem à vita mystica, & ab omnibus illius sectatoribus; minoris faciunt & derident eos, qui sunt, ut ajunt altioris spiritus, eorumque videndi modum reputant periculosum, ac multis illusionibus & erroribus obnoxium, præcipuè dum vident eos solidam suæ doctrinæ non posse dare rationem, nec explicare, quæ asserunt se in spiritu experiri; idcircò tales attendant, quid dicant, aut doceant, præsertim qui sunt minùs docti; hi enim libros spirituales non fundamentaliter intelligentes, trahunt sæpiùs alios sensus seu doctrinas, quàm à pijs Scriptoribus intentas; & aliquandò in sua simplicitate, vel ingenij exiguitate, aliquid vel addendo, vel demendo, incidunt in turpes errores quos nonnumquàm, defectu Christianæ humilitatis, pertinaciter volunt defendere; & licet exteriùs sese subjicere videantur, quia se sufficienter purgare nesciunt, interiùs tamen non acquiescunt; imò etsi Angelus de cœlo eos aliter instrueret, vix à sua sententia recederent; eò quòd omnes alios facilè contemnant, tamquàm in vita mystica inexpertos nec benè versatos quasi illi à Deo ad vitam supercontemplativam non vocati, relicti sint inter vulgares, sinè ulla sublimiori illuminatione.

Incidunt in errores.

In pertinaciam,& aliorum contemptum.

Dum anima devenit ad talem aliorum contemptum, versatur in proximo periculo cadendi turpiter, & gravia committendi scandala; tum per malas doctrinas tum per actiones indiscretas & inconsultas; talis quippè nullius vult sequi consilium, sibi persuadens neminem suum spiritum intelligere; ratione similium vita spiritualis plurimis fit odiosa, & exponitur ludibrio & explosioni multorum; cui malo ut pro viribus remedium adferamus, adminiculo Patris luminum conabimur aliquo modo explicare doctrinas & modos loquendi superiùs allatos, qui meritò malè sonant in auribus multorum timoratorum & doctorum.

Cum periculo confusionum.

CA-

CAPUT XXX.

Anima debet se tenere quasi sine intellectu, memoriâ, voluntate, sine repræsentationibus, sine invocatione Sanctorum, &c. tempore intimi tractus, immediatæ unionis cum Deo, extraordinariæ simplicitatis, somni mystici, &c. anima tamen tunc non otiatur.

ANtè omnia sciat anima Deum amans, quod quò oratio mentalis est intimior, & simplicior, eò sit perfectior, & convenientior ad animam excellentissimo modo, Deo uniendum; dum enim anima est expedita à multiplicitate creaturarum, & nec illas, nec seipsam, sensu vel aliâ potentiâ percipere; sed potiùs illas & seipsam in illo perdidisse videtur per annihilationem activam vel passivam, tum ei videtur, quod omnes creaturæ, & ipsa cum illis in immenso oceano Divinitatis quasi guttula aquæ in dolio vini, evanescant; quapropter sicut gutta aquæ est optimè disposita, ut unum, cum vino fiat, dum in eo est quasi perdita, dispersa, & evanuit; eò quòd tunc vinum, suo vigore, proprietates aquæ faciliùs superet, & suas introducat, sicque substantiam aquæ in se convertat; eodem modo dum anima per intimitatem spiritûs jam in divinitate videtur quasi absorpta, perdita; & annihilata, tum maximè est idonea, ut unus cum Deo spiritus fiat, & in eum quasi transformetur; eò quòd tum Deus quasi sine impedimento corruptæ naturæ, animam suo lumine faciliùs possit irradiare, ac igneo sui amoris jaculo transverberare; sic ut anima tunc in Deum videatur transformari, & quid unum cum eo fieri; eo prorsus modo, sicut purissima cristallus lumine Solis irradiata in radios solares videtur conversa, & unum cum eis lumen facere.

Modus loquendi mysticorum intelligendus pro statu intimæ orationis &c.

Oratio mentalis quò simplicior, eò perfectior.

Anima per introversionem faciliùs Deo unitur.

Præterea cùm Deus sit essentia simplicissima, omninò indivisibilis, & superpurissimus spiritus; sequitur, animam non posse habere meliorem proportionem, ut fiat unum cum Deo, quàm per intimitatem, unitatem & simplicitatem cordis; nam quamdiù manet in multiplicitate, non potest cum infinitâ simplicitate Dei convenire: porrò dum anima assequitur perfectam illam simplicitatem, seque, sensu dato, perdit & annihilat in Deo; tunc versatur in oratione quietis, in somno mystico, in solitudine spiritûs, de quibus tract. 4. introd. in terram Carm. egimus; & sicuti patet, in talibus animæ constitutionibus possunt & debent habere locum supradictæ doctrinæ & loquendi modi aliquorum mysticorum, nimirùm, quod anima

Anima per orationem simplicitatis aptatur unioni cum Deo.

Locutiones mysticorum habent lo-

contem-

cum in intimâ introversione. contemplativa, vel supercontemplativa debeat temperare, & quantum in se est, suspendere omnes naturales operationes suarum potentiarum; ità ut debeat abstinere ab omni exercitatione memoriæ, intellectus, voluntatis, phantasiæ &c. pro tunc etiam non licet dare locum orationi affectivæ, invocationi Sanctorum, aut actuali & formali suarum actionum directioni ad Deum; tum etiam non est tempus fovendi activos impetus amoris, eliciendi bona proposita, contritionem de peccatis, formandi aliquas repræsentationes Sanctissimæ Trinitatis, aut passionis Christi; imò dum ipsi pro tunc aliquid simile occurrit, debet illud statim dimittere, quatenus ab omnibus planè expedita & libera, soli Deo immersa manere possit.

In illa omnis multiplicitas vitanda.

Anima in intimâ introversione non otiatur.

Ne tamen existimetis animam tunc esse omninò otiosam, & vacare ab omni operatione intellectus, & voluntatis; sed pro tunc ità simpliciter & abstractè exercere fidem & dilectionem ergà Deum, ut in isto exercitio se passivè magis, quàm activè gerere videatur; imò nec illos fidei & charitatis actus ullatenùs distinctè tunc percipit, nec scit dicere, qualiter sit constituta vel disposita: dum verò quidquam in hâc constitutione eam incipit interturbare, ad id non reflectit, sed in se & in Deo manet introversa, & est incomparabiliter meliùs occupata, quàm foret in alijs exercitijs, & activitatibus; itaque dum dicitur, quod anima contemplativa vel supercontemplativa debeat esse sine memoriâ, sine intellectu, sine voluntate, sine desiderijs, sine intentione, amore, contritione, bonis propositis, sine invocatione Sanctorum, sine imaginatione Sanctissimæ Trinitatis, passionis Dominicæ, &c. ista omnia vera sunt, & per certam ac frequentem experientiam probata, pro tempore intimæ & quietæ orationis; pro tempore somni mystici, silentij interni, solitudinis spiritus, &c. Eaque omnia tantò certiùs & securiùs debent sortiri locum in animâ, quantò ipsa est magis exercitata, ac se stabiliùs in intimis istis exercitijs, introversione, immediata cum Deo unione, simplicissima in unico, & summo Bono occupatione, continere potest & solet; alioqui enim, si tunc propriam activitatem in alijs, etiam optimis exercitijs, importunè vellet intrudere, plurimùm retardaretur, & summoperè in sua ad Dilectum suum, & Dilecti ad se conversione impediretur; prout Tractatu quarto introductionis in terram Carmeli clariùs ostensum memini.

Quo sensu tùm pati dicatur.

Explicantur modi loquendi mysticorum.

Pro tempore intimæ orationis, &c.

CA-

CAPUT XXXI.

Extra prædictas animæ constitutiones, anima contemplativa solùm debet esse sine voluntate, sine desiderijs, contritione, dilectione, &c. in quantùm seipsam in illis quærit, vel in quantùm illis adhæsivè afficitur; aliter docentes reprehenduntur.

Non pro alio tempore, nisi in quantum miscetur propria quæsitio.

Error suadentium malum otium.

Verùm, cùm fragilitas humana non permittat stabilitatem in prætactis intimis exercitijs, occupationibus in Deo extra perceptionem cujusvis creaturæ; non est consultum, imò valdè perniciosum est, velle hìc ponere regulas generales, prout nonnulli inconsideratè fecerunt, docentes, quòd anima se debeat evacuare ab omnibus prædictis exercitijs & operationibus, omni tempore & loco, sub pœna, nunquam alioqui perveniendi ad mysticam cum Deo unionem; licèt enim id sano sensu verum sit, non tamen tali, quasi toto die oporteret otiari & esse sine cogitatione, sine aliqua operatione voluntatis, sine bonis desiderijs, ac denudari ab omnibus affectionibus, & creaturarum quarumcumque repræsentationibus; at solummodò nos ab his omnibus expedire pro viribus debemus, in quantùm illis cum aliquâ propriâ quæsitione, & vana satisfactione adhæremus; juxta enim quod Propheta monet, *divitiæ si affluant, nolite cor apponere*; quod utique etiam in sensu mystico consulitur; quarè si quis extra tempus intimæ orationis affluat divitijs spiritualibus, putà, supernaturalibus exercitijs charitatis, vel aliorum bonorum operum, ea ità cordi habeat, ijs ità sobriè & discretè utatur, ut cor illis non apponat, sed ea faciat cum libertate spiritus; sic enim ipsum non impedient in intimâ suâ introversione & immediatâ quiete in Deo.

Propria quæsitio etiam in pijs vitanda.

Psalm. 61.

Divitijs aut delicijs spiritus, cor non apponendum.

Atque hoc etiam sensu intelligi possunt aliqui Scriptores mystici, dùm dicunt animam supercontemplatiuam debere esse sine ratione, sine voluntate, sine memoriâ, sine exercitio virtutum, sine dolore de peccatis, sine intentione, &c. nempè, in quantùm illis cùm proprietate inhæret, & non, in quantùm similia essentialiter in Deo potest & debet exercere; Ex quibus facilè colligere est, quod isti non sint benè consulti, nec audiendi, qui asserunt perfectionem esse sitam in dictâ denudatione seu exspoliatione, ac proindè volunt animas non solùm evacuare ab omni proprio amore, & quæsitione, ac omni proprio interesse, sed etiam exspoliare veste nuptiali charitatis; aut, si (uti aiunt) id non intendant, volentes illis relinquere

Quo sensu oporteat esse sine ratione, voluntate &c. n. quoad quæsitionem propriam.

Vetantes exercitium virtutum

 vestem

vestem nuptialem charitatis habitualis & essentialis; volunt tamen vestem illam privare ornatu lapidum pretiosorum, gemmis, inquam, operationum virtuosarum, quæ à charitate debent vel elici, vel imperari; videntur quidem in animâ velle relinquere fructuosissimam arborem divini amoris, qui esse debet, & de facto est radix omnium bonorum; sed volunt impedire, nè hæc arbor, aut radix fructus proferat; equidem quid faciunt aliud, dum prohibent interna exercitia virtutum, volentes, ut anima sese in illis mortificet, & ab illis abstineat, dùm ad ea sentit se inclinari? quid hoc sibi vult? quantùm capio; quid est hoc aliud, quàm resistere Spiritui Sancto, & inclinationi charitatis, quam sponsus ordinavit in anima sibi dilecta, de quâ ipsa testatur, *ordinavit in me charitatem*; quid hoc est aliud quàm charitatem à Sponso cælesti benè ordinatam turbare & confundere? nonnè dicit Veritas, *si quis diligit me, sermonem meum servabit; & qui habet mandata mea, & servat ea, ille est, qui diligit me*? quantò igitur magis ille diliget Deum, qui servat ejus consilia, & fideliter sequitur ejus inspirationes? nonnè Christus pastor bonus ait, *oves meæ vocem meam audient*? quam vocem? utique, quæ exstimulat ad exercitium virtutum; hanc vocem anhelabat audire Sponsa, dùm clamabat ad Dilectum, *sonet vox tua in auribus meis*, sed, ut quid istam vocem libenter audiret, si eam nollet sequi, sub prætextu mortificationis, abnegationis, & denudationis?

[Margin: Spoliant animam veste nuptiali. — Vel saltem debito ornatu & fructibus. — Error vetantium exercitia virtutum. — *Cant.* 3. 4. Resistunt Spiritui Sancto, & confundunt charitatem. — *Ioan.* 14. — Convincuntur. — *Cant.* 2.]

CAPUT XXXII.

Extrà intimam orationem non potest anima manere otiosa ab exercitio virtutum; alioqui charitati & directioni Dei resisteret.

Non video profectò rationem, quarè anima amorosa extrà tempus intimæ recollectionis aut introtractionis, cessare deberet ab exercitio virtutum in intellectu & voluntate; quarè enim charitas divina, quæ est regina omnium virtutum, & instar ignis, nunquam ab operatione desistere potest, in ipsâ privabitur suo dominio, ne possit animæ imperare omnis generis bona opera & exercitia virtutum, quæ instar pedissequarum, charitatem velut Reginam suam inseparabiliter comitantur? Deindè jure meritò, impudentem & temerarium illum censeremus, qui divinas in se operationes vellet impedire, & motiones supernaturales, & actuales Dei tractus doceret repellendos, seu sopiendos; id tamen faceret anima, quæ tali otio, & evacuationi bonorum operum locum daret; qui enim charita-

[Margin: Extrà orationem intimam exercendæ virtutes. — Qui malo otio locum dant, charitati & Deo resistunt.]

tem impedit in suis operationibus elicitis & imperatis, Deum impedit, nam *Deus charitas est*, ergò qui impedit charitatem, Deum impedit.

Nonnè scriptum est, *qui adhæret Deo, unus spiritus est cum eo*? item, *qui manet in dilectione, in Deo manet, & Deus in eo*? hinc sumo argumentum; cujus spiritus est unus cum Deo, in eo solus spiritus Dei habet suas operationes; ità ut à Spiritu Dei dirigatur in omnibus suis operibus, & jam cum Davide dicere possit, *Dominus regit me*; insuper anima, quam Deus inhabitat per veram charitatem, à Deo agitur, & exstimulatur ad exercitium omnis generis virtutum, ad quod procul-dubio, illi paratus est dare velle & operari; atqui valdè malum est, instinctus & directiones Dei ad bona opera impedire, ejus inspirationes negligere, ipsius gratias quasi suffocare; ergò etiam valdè malum est, dare locum otio virtutum & bonorum operum, ac velle suspendere omni tempore omnem operationem intellectus, voluntatis, memoriæ, imaginationis, &c. hoc quippè nihil aliud est, quàm Dei in anima directionem recusare, ac ejus inspirationes ex proposito negligere.

1. Cor. 6.
1. Ioan. 3.
Psalm. 22.
Directio Dei, & charitas exstimulant ad bona opera.
Malum otium contrariatur Dei directioni.

CAPUT XXXIII.

Anima tenetur Deum diligere ex totis viribus tàm partis inferioris, quàm superioris; quod fieri nequit per suspensionem illarum ab omni operatione; quarè assuescat omnes suas vires, etiam sensitivas, suo tempore in Deo occupare.

Forsitan putatis, Deum tali modo in anima nolle operari, dum meliùs potest, eò quòd ille modus sit nimis imperfectus; verùm scitote, quod Deus suo tempore ab omnibus animæ viribus sibi velit inservíri, & per eas operari; siquidem totus homo, quoad corpus & animam, quoad spirituales & corporales vires, est creatus ad laudandum Deum, & omnes suas actiones ad ipsum veluti ad finem ultimum referendas; atque hoc sensu tenetur homo diligere Deum ex totis viribus, easdem debito tempore operi applicando propter Deum, in Deo, & cum Deo; id quod fieri nequit per continuum conatum potentias rationales & sensitivas semper suspendendi à suis operationibus: Dicite, quæso, nonnè vult Deus, ut potentia vegetativa animæ, illi serviat, alimentum corporale introsumendo, & digerendo? nonnè Dei voluntas est, ut ei serviamus in sumptione cibi, in usu ac motu membrorum, ac in alijs operibus nobis cum brutis communibus? indubiè, quod

Deus vult sibi serviri per omnes animæ vires.
Quo sensu Deus amandus ex totis viribus.

Ex sensibilibus Deus cognoscitur.

ità; modò ea discamus facere in spiritu, & in charitate; eodem ergò modo, Dei beneplacitum est, ut subindè nostris sensibus ad ejus gloriam, & in ejus dilectione utamur, ut per ea, quæ sunt sensibilia, & in nostrum visum, auditum, gustum, olfactum & tactum cadunt, assurgamus ad notitiam insensibilium & spiritualium; juxtà quod ait Apostolus, *invisibilia Dei à creatura mundi, per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur; sempiterna quoque ejus virtus & divinitas.*

Rom. 1. 20.

potentiæ sensitivæ debent Deo servire operando, non otiando.

In istum finem etiam vult Deus, ut illi inserviant potentiæ, imaginativa, appetitiva, irascibilis, æstimativa; non per cessationem à suis operationibus; nam, præterquàm quod hoc juxtà communem naturæ cursum ferè sit impossibile, Deo nullum obsequium præstatur per continuum otium istarum potentiarum; sed per optimum & nobilissimum earum exercitium, conformiter directioni alicujus luminis supernaturalis, & imperio charitatis; hoc equidem sciendum, non raro animæ devotæ illucescere lumen aliquod supernaturale, quo circà usum istarum potentiarum ritè faciendum, & in ipso earum exercitio instruitur, ac dirigitur; atque, illius luminis directione mediante, habitus charitatis influit in operationes illarum potentiarum, quibus etiam utitur in actibus variarum virtutum à se imperatis: & reverà, si Deo teneamur servire in potentia nostra vegetativa ad amorem Dei, & in amore Dei consumenda; quid in potentijs nostris sensitivis licebit, imò subindè oportebit, uti in amore, & ad amorem Dei, cum hæ potentiæ sint alijs multò nobiliores?

Anima in usu illarum potest à Deo dirigi.

CAPUT XXXIV.

In statu Beatitudinis, & innocentiæ, etiam sensus sine imperfectione operantur; imò juvant animam; sic etiam in statu perfectionis.

In cælo etiam sensus habebunt gloriam suam & perfectas operationes.

NOn est dubitandum, quin post resurrectionem etiam sensus nostri interni, & externi habebunt suam delectationem; undè singuli versabuntur circà aliquod objectum juxtà exigentiam suam naturalem; tunc reducentur in actus suæ naturæ proportionatos sine ullâ imperfectione, ac sine impedimento beatificæ visionis ac dilectionis Dei; quin-imò ad hoc, animam non parum juvabunt, ut perfectiùs Deum videant & beatifico amore diligant: prætereà, in statu innocentiæ, hæ potentiæ sensitivæ juvissent ad jugem contemplationem, & amorem Dei, subministrando incentiva, quibus anima ex notitiâ sensibili creaturarum jugiter assurrexisset ad notiam supernaturalem Creatoris, in ejusque amorem indesinenter

Iuvabunt animam ad Dei contemplationem, & amorem.

ter exarsisset; quid ni ergò etiam in statu perfectionis (qui æmulatur statum innocentiæ, plus vel minus, juxtà quod est magis vel minus excellens) durante hâc vitâ, illas potentias sinemus operari congruo tempore, modò id fiat cum debitâ subjectione earum ergà spiritum & spiritus ergà Deum? verùm quidem est, quod sensus nostri plurimùm sæpissimè nos impediant in nostrâ ad Deum introversione; at hoc fit ratione corruptionis naturæ; & si sciremus eos in Deo recolligere; si ex visu, auditu, gustu, olfactu, vel tactu creaturarum, disceremus elicere occasionem inveniendi Deum in omnibus præsentem; si per exercitium perfectæ mortificationis paulatim assequeremur innocentiam vitæ per peccatum amissam, indubiè nostrorum sensuum operationes nos non impedirent, sed ad perfectionem multum prodessent.

Potentiæ sensitivæ juvabant in statu innocentiæ ad amorem Dei.

In statu perfectionis etiam juvant ad Dei contemplationem & amorem.

Hoc potest anima supercontemplativa didicisse experientiâ; loquatur ipsa & fateatur, an non frequenter audiendo, vel videndo aliquid, subitò quasi defecerit, & liquefacta fuerit præ teneritudine intimi amoris, quo cor ejus exultabat in Domino, vel etiam ferè extrà se rapiebatur; tali modo Sanctæ nostræ Sorores Theresia, & Magdalena de Pazzi, tam facilè rapiebantur in Spiritu, & perfundebantur torrente internæ consolationis, & amoris divini; eò quòd nimirùm, per operationem etiam externorum sensuum, simul & phantasiæ, conformiter directioni divini Spiritus, tam efficaciter trahebantur, & etiam in potentijs, imaginativâ, æstimativâ, & appetitivâ tam suaviter & fortiter afficiebantur, ut indè, accedente supernaturali aliqua illuminatione in intellectu, & piâ motione in voluntate, fierent in extasi, idque non rarò ad auditionem alicujus verbi spiritualis, vel visionem alicujus creatæ pulchritudinis.

Innocentia vitæ quomodò acquirenda.

Experientia docet visum, auditum, &c. juvare ad amorem Dei, & extasim.

Iuvant etiam ad hoc potentiæ sensitivæ internæ.

Verùm quidem est, quod sicuti alibi diximus, quo interna exercitia sunt spiritualiora & à sensibus alieniora, eò sint perfectiora; sed dum Deo complacet aliter in nobis operari, vel nos aliter secum operantes videre, puta, cum admixtione potentiarum sensitivarum, quid nostra refert? David in suâ ad Deum conversione dicebat, *homines & jumenta salvabis Domine*; id est, salvabis homines secundùm partem superiorem, seu potentias rationales, quæ homini ut tali ex naturâ sunt propriæ, & simul etiam secundùm partem inferiorem, seu potentias sensitivas, quas homo cùm jumentis habet communes; igitur, si etiam, hæ potentiæ, ex communi Ecclesiæ sensu, salvandæ sint, seu accidentali, ut minus gloriâ in cælo sint remunerandæ, debent à spiritu applicari ad congruos actus, & perfecto aliquo modo, ad amorem Dei impendi & occupari, quatenùs illam gloriam de condigno possint promereri, quod non fiet semper otiando.

Sensibilia exercitia minus perfecta.

In illis tamen Deo complacet.

Psalm. 35.

Potentiæ sensitivæ debent mereri suam mercedem operando, non otiando.

CA-

CAPUT XXXV.

Deo aliquandò complacet, videre potentias sensitivas cooperari rationalibus, & unà cum illis jucundari, ut sic totus homo reficiatur, & roboretur.

Deus aliquandò delectatur in operationibus sensitivis. Exemplo Patris-familias.

IN domo aliquâ delicijs, ac divitijs affluente, Pater-familias nonnunquam delectatur videndo felem cum mure ludentem, vel canem aliquas fasceetias exercentem, & tam huic, quàm illi projicit aliquem bolum, ut magis animentur: aliquandò pro suâ recreatione permittit, vel ordinat, ut famuli cum suis filijs exerceant aliquam actionem, & larvati simul ludant; omnesque tunc indifferenter & æqualiter reficit ac tractat; etsi enim ordinariè rebus magis serijs & honorabilioribus vacare soleat; ac velit, ut sui filij servent suam gravitatem, ac modestiâ, & morum maturitate, famulorum ergà se respectum trahant, cum abstractione, & sine aliquâ familiari cum illis conversatione, illis solùm utendo ad suum obsequium; attamen contrarium subindè permittit pro suo beneplacito; ità nihilominùs, ut famuli nunquàm agant Dominum, aut usurpent auctoritatem Magistri suprà filios, sed ubique eorum necessitatibus obsequantur, nec habenas laxiores trahant, quàm ipsis permittuntur de bonâ gratiâ: simili modo in animâ Deum amante, quæ est instar horti deliciarum, & velut domus spiritualibus divitijs affluens in conspectu Dei, complacet æterno Patri, ut pars sensitiva, seu potentiæ sensitivæ (quæ sunt velut catuli domestici) suo tempore simul ludant; ideò illis subindè aliquantulum indulget, illuminando phantasiam, fovendo, & suavissimo sensibilis devotionis ac amoris influxu replendo appetitum sensitivum, potentiam irascibilem accendendo ad ardua, concupiscibilem cumulandò pijs desiderijs, æstimativam in admirationem divinorum rapiendo; atque ex hoc lusu, & actione harum potentiarum Deus aliquandò sumit suam jucunditatem; & quis erit tam temerarius, ut Spiritui Dei in omnes, etiam sensitivas animæ vires, ità suaviter influenti easque in tam delectabili lusu; pro suo beneplacito occupanti, dirigenti, & cum illis, mediante suâ sensibili gratiâ, agenti deluctandum doceat?

Deus est auctor devotionis & delectationis sensibilis.

Cui proindè non resistendum.

Eodem sensu contingit subindè cum magnâ Dei complacentiâ, ut famuli & ancillæ, id est, potentiæ sensitivæ, ludant cum filijs-familias, seu cum potentijs rationalibus, memoriâ, intellectu & voluntate; quandò nimirùm, anima prævenitur suavissimis ebullitionibus divini amoris, & sensibilis fervo-

servoris; quippè tunc cognitio divinorum & amor Dei per specialem operationem, communicantur etiam potentijs sensitivis, quæ pariformiter saturatæ micis, quæ cadunt de mensa filiorum, utuntur confidentia unà accumbendi mensæ, exiliunt præ gaudio, & velut inebriatæ ab ubertate spiritûs, ac inconsueto vino divini amoris, colludunt cum potentijs rationalibus, agunt quasi histrionem, & dissoluuntur in plurimos, eosque excessivos affectus & gestus tenerrimi, amplexantis, osculantis, unitivi, languentis, &c. amoris; uno verbo, agitur in anima dies festus, indulgetur universalis licentia recreandi omnibus, nullis exceptis, animæ potentijs, & conceditur recreatio extraordinaria, porrò Deus pro tunc sibi complacet in tali omnium animæ potentiarum recreatione; imò hoc tali modo vult fieri, & unicus talis animæ dispositionis est auctor, quatenùs sic toti homini vires addat & animos ad fidele & diuturnum virtutum exercitium cordi habendum, ad generosam multarum internarum & externarum afflictionum tolerantiam, ad multas tentationes strenuè superandas, ad gravissimas difficultates perfringendas; alioqui enim quomodò sustineret, & in militiâ Christianâ persisteret, nisi aliquandò taliter à Deo refocillaretur, foveretur, & confortaretur?

Collusio partis sensitivæ cum rationali aliquandò permittenda.

Quomodò fiat ista collusio.

Intentio Dei concedentis sensibilem devotionem, &c.

CAPUT XXXVI.

Quomodò in hac potentiarum sensitivarum collusione cum spiritu, ratio & directio Dei semper prædominari debeant, ut omnia benè procedant.

SOlummodò tunc prudenti circumspectione & vigilantiâ opus est, nè famuli dominentur, & agant magistrum, nè, inquam, potentiæ sensitivæ nimium dissolvantur, & nimiâ libertate utantur; ità ut potentijs rationalibus prævaleant, ac dominentur; aut nimiâ aviditate internæ consolationis favo inhient, aut immoderatè se habeant in potando nectare divini amoris, eo fruendo cum nimiâ intemperantiâ, complacentiâ, adhæsione; alioqui enim multa cum confusione, sine directione, ac disciplinâ in animâ agerentur, cum notabili præjudicio purissimi secundùm spiritum amoris Dei, qui est vinculum perfectionis: in hoc communi totius hominis, superioris & inferioris gaudio & exultatione, caro semper debet subjici & subordinari spiritui, & spiritus Deo; nam sine hac subjectione ac subordinatione totum verteretur in sensualitatem cum magnâ alienatione Spiritûs Dei.

Pars rationalis dominari debet sensitivæ, etiam in sensibili devotione.

Subordinatio in anima est necessaria.

Plebei facilè exorbitant in occaſionibus gulæ.

Dum famuli ordinariè in arctâ ſubjectione conſtricti, & parcè tractati aliquandò favorabilem nanciſcuntur occaſionem, aut aliundè lautum bolum, aut largum hauſtum acquirunt, aut libertate fruuntur ingrediendi caveam, vel cum aliis opiparæ menſæ accumbendi, tum facilè obliviſcuntur ſui in materiâ gulæ, vel immodeſtiæ; at vir ſerioſus & benè morigeratus melius novit ſervare modum & prudentiam, vitando omnem exceſſum in cibo, potu, & exorbitantiam in moribus: ſimili etiam modo, dum potentiæ ſenſitivæ ordinariè coguntur ſeſe abſtinere ab omni naturali conſolatione, aut corporali delectatione, idque, ſivè per voluntariam mortificationem, ſivè defectu ſenſibilis devotionis; & poſtmodùm ex improviſo, unà cum ſpiritu ſeu parte rationali, ſupernaturali aliquâ delectatione foventur, internâ conſolatione perfunduntur ac dilatantur; ità ut hac occaſione acceſſum habere videantur ad cellam vinariam Dilecti, vel opportunitatem delicioſâ cum ipſo fruendi cœnâ, tum facilè excedunt in gulâ ſpirituali; nec mirum; etenim ſunt ſervilis, abjectæ, imò brutalis conditionis, nec de ſe virtuoſæ educationi aſſuetę; atque ideò totus earum affectus, & naturæ impetus fertur, ut alicubi ſivè viliter, ſivè honorabiliter ſaturentur; at voluntas rationalis velut matrona judicioſa, melius conſulta, & educata, circumſpectiùs ſe continet, nec eſt tam vilis conditionis, ſed rectæ rationi, imò, in animâ illuminatâ etiam directioni divini Spiritûs longè conformior; atque ideò ipſa, mediante directione rectæ rationis alias potentias debet in convenienti ordine, ac intrà limites virtutis continere ſub jugo imperij ſui, non nimium illis indulgendo, aut habenas laxando; dum enim, ut vulgò dicitur, illis tantummodò digitus porrigitur, totam manum conantur attrahere, niſi potentiæ rationales prudentiam ſervantes, fræno eas ducant, non plus, quàm decet, illud laxando.

Similiter potentiæ ſenſitivæ facilè excedunt in ſtatu ſenſibilis conſolationis.

Non ità pars rationalis.

CAPUT XXXVII.

Quomodò anima uti debeat potentijs ſenſitivis, & quandò eas excludere, abſque eo, quod illis unquàm multum tribuat.

Potentijs ſenſitivis non eſt multum indulgendum.

Cæterùm, quia ſenſus hominis in malum ſunt proni omnibus diebus vitæ ſuæ ac ſæpè agunt beſtiam, inſtar equorum contrà rationem recalcitrando; ideò non eſt conſultum illis multum indulgere; ſed convenientius eſt, ut potentiæ rationales ſolæ operentur, & potentias, imaginativam, appetitivam, aut alias ſenſitivas dumtaxat ſinant operari, dum videtur utile,

le, vel necessarium ad obsequium & promotionem Spiritûs; attamen sicuti Dominus quispiam vel Domina carere nequeunt opera famulorum, vel ancillarum, sed eâ utuntur pro sua commoditate & bene-placito, sive accumbant mensæ, sive suis negotijs vacent, sive venationi insudent, vel alia faciant, eos solùm excludendo, vel ad partem dimittendo, dum simul liberiùs, ac familiariùs volunt agere, aut dum obtentâ apud aliquem Magnatem audientiâ, cum eo loqui desiderant de rebus serijs & magni momenti, aut cum alijs de rebus secretis tractare, quarum notitia famulos aut ancillas non concernit; quoad usque eos nutu aliquo ad se vocent, vel ad eos redeant, eorum opera pro suo obsequio usuri: Itâ etiam ratio & voluntas durante hac vita, vix quidquam possunt sine adjutorio sensuum, nam *intelligentem*, ait Philosophus, *oportet phantasmata speculari*, & anima ferè in omnibus dependet ab obsequio potentiarum sensitivarum, ijsque, ubi debet, sive intendat audiendo Verbo Dei, sive mensæ assideat, id est, sive oratione vel Verbo Dei pascatur, sive velit se dare quieti intimæ meditationis, sive alijs spiritualibus & devotam vitam decentibus exercitijs vacare intendat; ac solummodò eas conatur excludere, vel in otio relinquere, dum cum Sponso cælesti in intima oratione per purissimos amoris amplexus desiderat uniri, & cum eo in mystico cordis suo thalamo familiariùs agere; aut quandò à Dilecto in solitudinem quietissimæ orationis deducta patitur divina, seu, dum Dilectus juxtà promissum suum, *ducit eam in solitudinem* Spiritûs, *& loquitur ad cor ejus*; itâ ut de rebus arcanis simul conferentes, intimiùs & à sensibus abstractiùs agant, aut in plena quiete invicem fruantur; quippè pro tunc excludendæ sunt, non solùm omnes operationes phantasiæ & appetitûs sensitivi, sed tiam multiplices actus intellectûs & voluntatis, retinendo tantummodò simplicem intuitum fidei, & suavem influxum, seu inclinationem amoris ergà Dilectum absque ulla multiplicitate actuum, discursuum, repræsentationum, &c.

Sensibus pro solâ necessitate vel utilitate utendum.

Quomodò pars rationalis agere debeat cum sensitivâ.

Dependet à sensibus in hâc vitâ.

Quandò sensus suspendendi à suis actibus.

Etiam intellectus quandoque suspendendus.

Porrò anteà & posteà licet animæ uti suis sensibus & potentijs, quemadmodùm Patri-familias opera famulorum suorum, nempè ad rationabile obsequium; quocircà in omnibus semper sese rectæ rationi conformare debet, agendo semper seriosè ac viriliter, absque nimia indulgentia & familiaritate cum famulis, seu cum potentijs sensitivis; alioquin enim perderet suum respectum, esset in periculo, ne à sensibus fascinaretur, & ad sensualia seduceretur: in quem finem planè expedit, ut anima non concedat magnam libertatem phantasiæ, nec liberum accessum indulgeat imaginationibus, ac rerum impertinentium repræsentationibus, quarum multiplicitatem ut faciliùs evitet, omninò necessarium est sensus externos, puta, oculos, aures, &c. jugi mortificationis studio continere, & à superflua evagatione custodire, quò sic sensus internos faciliùs recolligere illisque plenè dominari queat,

Quandò potentijs sensitivis utendum.

Periculosum est multum sensibus indulgere.

Cur sensus mortificandi.

 non

non finendo eos quaquaversum evolare, sed sub obedientiâ conservando, ut sic tempore intimæ orationis non adferant impedimentum.

Atque in hunc modum colligere licet, non semper esse necessarium, operationes sensitivas suspendere; neque verò id Sponsus à dilectâ sibi animâ postulat; sed potiùs, ut ipsa discat modum illis utiliter utendi in ipso, & cum ipso, ac conformiter ejus directioni, & beneplacito, solùm attendendo, nè inutiliter extrà Deum, sine Deo, ac difformiter ejus directioni & beneplacito eas multiplicet cum notabili præjudicio simplicitatis, ac internæ quietis. Mater-familias libenter videt ancillas operantes, modò juxtà ejus ordinationem, & non abs re operentur; sic etiam Deus delectatur in suâ mansione, in animâ sibi fideli potentias sensitivas suo tempore videre in opere, modò earum operationes conducant ad sanctum in Domino propositum; equidem novit id in multis occasionibus esse omninò expediens, imò necessarium ad vitandum malum otium.

In operationibus sensitivis discretione utendum, ut sint conformes directioni Dei.

Potentiæ sensitivæ sunt ancillæ animæ,

CAPUT XXXVIII.

Perfectius est, manere sine propria intentione, & habere Deiformem, seu quam Deus habet in suis operibus, exemplo Christi; non negligendo interim divinas inspirationes.

Quid diligere Deum ex totis viribus.

Ex totâ virtute.

QUandoquidem ex præcepto divino teneamur diligere Deum super omnia *ex totis viribus*, hoc sensu, quod omnes animæ potentias tam sensitivas quàm rationales in amore Dei debeamus impendere & consumere: insuper cùm Deum amare oporteat, *ex totâ virtute*, hoc sensu, ut *omnia nostra*, juxtà monitum Apostoli, *in Charitate fiant*, & omnis generis virtutes à Charitate Dei in nobis informentur, & ex ejus imperio ac influxu in actus redigantur; omninò convenit, ut investigemus congrua media, quibus id præstemus modo perfectissimo; ac attendamus, quomodò anima supercontemplativa sese divinè ac Deiformiter, tempore & loco in virtutibus exercere, bona proposita formare, actum contritionis elicere, Sanctos colere ac invocare debeat, &c. nam licet de hoc alibi adhuc egisse meminerim, hoc tamen servire poterit pro latiori explicatione. Quantum ad operationes phantasiæ, &c. sufficienter jam declaravimus, quomodò in statu perfectionis illis uti oporteat; jam verò quoad bonam intentionem, in quotidianis operibus, exercitio virtutum, &c. hìc cum Dei gratiâ, elucidabimus.

Dicunt

Dicunt aliqui, quod anima contemplativa, non debeat formare intentionem in suis actionibus; quod hoc sensu potest intelligi, quod non propriam, seu, propriâ quæsitione mixtam, sed Deiformem, & ab omni proprio interesse purissimam debeat habere: pro majori explicatione, supponamus; Deus ab æterno prævidit te mediante suâ gratiâ, forè Religiosum, ipse verò, cùm nihil faciat frustrà, confert tibi suam gratiam, in aliquem finem, sicque habet aliquam intentionem in omnibus operibus, quæ cum auxilio gratiæ ejus, successu temporis, exercebis; tu autem divino aliquo lumine instructus concipis Dei intentionem esse perfectissimam; quâ cognitione habitâ facis resolutionem firmam, & dicis, quidquid in statu Religionis facturus sum, desidero facere eâdem intentione, quâ Deus illud à me factum desiderat, nec alium opto finem, quàm à Deo intentum, qui me suâ gratiâ dignatur; ecce, sic procedendo, non habes propriam intentionem; annè idcircò existimas te malè procedere? nequaquàm, nam Dei perfecta sunt opera, ac consequenter ejus in illis intentio est perfectissima; neque verò alia quævis, & proprio seu naturali marte procurata intentio tibi foret tam utilis & perfecta, per illam enim fortassis intentioni Dei contraires; quocircà noli declinare à malo, vel facere aliquod bonum, ut assequaris devotionem sensibilem, vel ob aliquos fines tuo naturali genio vel inclinationi conformes, sed ut exequaris intentionem Dei, & assequaris finem ab eo intentum; non quod intentio acquirendi aliquam virtutem aut gratiam pro te aut aliquo alio, sit mala, modo eam accommodes & dirigas juxtà intentionem Dei; sed quia, ut melius simplicitati studeas, cum majori perfectione, directè & immediatè tibi licet intendere finem perfectissimum, quem Deus intendit, ut quid uti tot ambagibus? cur varijs intentionibus implicaris, cùm tantum una sit necessaria, nempè quam habet Deus?

Quo sensu anima esse possit sine propriâ intentione.

Deus in omnibus habet aliquam intentionem.

Intentio Deiformis,

Est multò melior quàm propria.

Conformitas cum intentione Dei laudabilis.

Salvator noster in toto vitæ suæ decursu non videtur habuisse intentionem aliam, quàm Patris æterni: nam à primo instanti suæ conceptionis *ingrediens mundum dicit, tunc dixi, ecce venio*, nempè victurus inter homines, *ut faciam, Deus voluntatem tuam*, ideò & alio loco ait, *meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me*; Item *descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me*: quid ni ergò exemplo Christi Salvatoris idem tibi facere licebit, omnia tua faciendo, propter voluntatem Dei, propter ejus beneplacitum, & finem ab ipso in operibus statui tuo convenientibus desideratum? quod si feceris, ecce jam eris sine propria intentione, sed non sine Deiformi, & divina.

Christus in omnibus habuit intentionem Patris.

Hebr. 10. 6.
Joan. 4. d.
Joan. 6. d.

Quo sensu possimus esse sine intentione.

Per abstinentias, & jejunia desideras consequi virtutem sobrietatis; benè facis, at melius facies, si cum intentione Dei abstineas, & jejunes: per opera pœnitentiæ vis hanc vel illam animam à pœnis purgatorij liberare;

Præstat in omnibus intentio Dei,

 benè

benè facis, ſed meliùs, cum intentione voluntatis Dei, qui utique melius novit, cui illa opera poſſint prodeſſe: fundis coram Deo preces pro re aliqua tibi, vel alijs impetranda; benè facis poſtulando quidpiam conducens ad ſalutem; ſed melius orabis, ut Dei voluntas in te & alijs perfectè compleatur; quid enim noſti, quid tibi aut alijs magis conveniat, *nam quid oremus* (ait Apoſtolus) *ſicut oportet, neſcimus*; itaque conſultius jactabis ſuper Dominum curam tuam, qui novit, quid tibi deſit, ut ipſe te enutriat juxtà beneplacitum ſuum.

Rom. 8.

Propria intentio permittitur, dum à Deo inſpiratur.

Verumtamen per hæc nolo prohibere, quo minus ſequaris inſtinctum Dei qui non rarò inſpirare ſolet, & interiùs excitare ad orandum pro aliquo, vel pro aliqua re, & ad alia bona opera; ſiquidem anima illuminata illis inſpirationibus morem gerere debet, ſeu potiùs Deum in ſe, & ſecum juxtà ſuum beneplacitum, & pro re ſibi beneplacita orare ſinat; etenim diverſimodè Deus ſolet in anima operari, nec certum ſervat modum: at ſolummodò moneo, quod non ſit neceſſe, ſeſe multum affligere, aut occupare multiplici intentione ex propria induſtria, ſeu ex naturali, & quaſi extorta affectione; nec tibi perſuadeas ad multas virtutes acquirendas eſſe magis meritorium & utilius, varias formare intentiones; ex eo quod merita multiplicentur & augeantur juxtà multiplicia bona objecta variarum intentionum; nam (præterquàm quod anima ex una parte per hoc patiatur multiplices fractiones capitis, & aliundè imperfectius ac cum pluribus diſtractionibus, & conſequenter cum minori fervore & merito ſua opera faciat) confidendum eſt, quod unica iſta Deiformis & divina intentio ſit melior, magiſque meritoria, quàm mille aliæ; cujus ratio eſt, quia iſta eſt velut egregia pars auri; aut pretioſa margarita, quæ eminenter continet plurimas alias partes argenteas aut cupreas imperfectiorum intentionum; eò quòd illa Deiformis intentio fundetur & radicetur in excellenti charitate; quâ fit, ut Deus & anima in omnibus agendis ſint ejuſdem voluntatis, atque in omnibus idèm velint ac nolint.

Intentio Deiformis æquivalet multis.

Eſt magis meritoria.

Fundatur in charitate.

CA-

CAPUT XXXIX.

Quo sensu possimus esse sine voluntate, ac eamdem cum Deo voluntatem habere; expedit etiam Deo committere dispensationem nostrorum meritorum, non negligendo interim occasiones merendi.

SEnsu dato homo etiam potest fieri expers voluntatis; nam renuntiando propriæ voluntati, divinæ in omnibus potest adhærere, quæ infinitè melior est & perfectior, quam quævis humana, quantumvis perfecta, extrà divinam; quocircà, quidquid feceris, fac cum tali voluntate, cum quali Deus illud factum desiderat; Si Deus tibi inspiret, ut pro aliquo ores, vel pro refrigerio animarum purgatorij aliquam mortificationem exerceas, aut similia; ora, ut voluntas Dei in illis & alijs adimpleatur; aut etiam, æterno Patri pro illis offer passionem Christi, in quantùm est ejus beneplacitum.

Quo sensu possimus esse sine voluntate.

Voluntati Dei in omnibus adhærendum.

Fortè etiam non erit inconsultum animæ Deiformi, ut nullam suorum meritorum curam habeat in ordine, ad ea his vel illis communicanda, quin potiùs eorum œconomiam ac distributionem Deo committere potest, ut ea pro suo beneplacito cuicumque applicet, sive agonizantibus, sive obduratis peccatoribus, sive animabus purgatorij, sive quibuscumque alijs, juxtà quod novit suæ gloriæ & animarum saluti meliùs convenire; sic enim faciendo, anima liberabitur à multa inquietudine & multiplicitate, instar divitis habentis fidelem œconomum, qui omnia optimè disponat; Adde, quod sic evitabit multa pericula vanæ gloriæ aut inanis complacentiæ, dum non suspicabitur suas preces aut merita alicubi profuisse, dum interim fortè multis agonizantibus actum contritionis, obduratis conversionem, hæreticis lumen fidei, afflictis consolationem, tentatis victoriam, ægris sanitatem, justis ampliorem gratiam suis precibus & meritis procuravit; licet id ignoret, ideoque vanè sibi complacendi, aut inaniter gloriandi occasionem non habeat.

Committenda Deo dispensatio meritorum.

Hoc conducit ad humilitatis conservationem.

Ex his tamen nemo colligat, quod liceat negligere occasiones merita accumulandi, aut indulgentias lucrandi, nè arguamur de defectu charitatis ergà animas fidelium defunctorum, ergà amicos & Benefactores, &c. quibus forsitan Deus, mediantibus nostris precibus, & meritis, decreverat adjutorium aliquod & benedictionem elargari; quin potiùs quisque noverit, animas Deo fideles debere indies magis & magis abundare in omni opere

Non negligendæ occasiones merendi.

Bona opera facienda juxta directionem Dei.

bonq

bono juxtà directionem divini Spiritus, sicque nihil eorum omittere, quæ gratiam & merita possunt augere; solummodò attendant, ut Deum de illis pro suo beneplacito agere, & disponere sinant, ejusque intentioni suam conforment; v. g. si suscipiant disciplinam, intendant per illam id, quod Deus intendit, qui disciplinam illam susceptam in unione flagellationis Christi, fortassis applicabit alicui animæ è purgatorio liberandæ, vel ad conversionem alicujus Ethnici vel hæretici, vel ad satisfactionem propriorum peccatorum etsi de determinata illius applicatione illis non constet; sicque faciliùs in humilitate permanebunt, ignorantes, an suæ orationes, aut merita ad aliquid prosint, nec nè.

Quocircà discant, sensu dato, esse sine intentione & voluntate in omnibus suis operibus; ità nimirùm, ut intentio & voluntas Dei sit intentio & voluntas earum; nec existiment sese, alio modo, posse esse expertes intentionis, aut voluntatis; ne alioqui falso & pernicioso otio indulgeant.

CAPUT XL.

Quomodò & quandò anima contemplativa debeat virtutes exercere, contritionem elicere, &c.

In intimâ recollectione intermittenda exercitia virtutum.

QUantùm ad exercitia virtutum, v. g. humilitatis, benevolentiæ, fidei, spei, resignationis, &c. nemo cogitet, animam devotam ab illis posse vacare sub prætextu majoris intimitatis, intimioris recollectionis, aut simplicioris introversionis; nam licet in intimâ animæ ad Deum conversione aut introtractione omnem propriam seu naturalem activitatem vitare oporteat; alio tamen tempore illi locum dare necesse est, juxtà quod cujusque status exigere, vel unctio Spiritûs docere videtur: Et verò, qui tollunt opera virtuosa, spoliant quasi animam pretiosissimis margaritis, quibus vestis nuptialis divinæ charitatis texi & ornari debet.

Aliàs cordi habenda.

Juxtà exigentiam status, aut instinctum Dei.

Item tempore tentationis.

Vis scire, quomodò te in exercitio virtutum gerere debeas? præterquàm quòd hìc cum proportione loquendum sit, sicut anteà de operationibus potentiarum sensitivarum fuimus locuti; unusquisque virtutes exercere debet, imprimis dum exigentia suæ vocationis id suadet, aut specialis Spiritus sancti inspiratio ad hoc urget; Deindè quandò insurgit gravis aliqua contrà illas tentatio; quocircà in tentatione contrà fidem, te exerceas in fide; in tentatione desperationis, exerceas fiduciam in Deum; tunc enim ad id teneris; nisi fortè in diuturna & molesta aliqua tentatione consultiùs

videatur

videatur, non ità positivè illi resistere, sed potiùs passivè & negativè, negando tuum in illam consensum.

Contritionem de peccatis elicere oportet actualiter ac formaliter, dum desideras frequentare Sacramentum Pœnitentiæ, dolor enim actualis & formalis est pars ejusdem essentialis; ac proindè tunc non sufficit elicere actum amoris Dei super omnia; etsi enim hic actus amoris fortè sit perfectior, & convenientior dispositio animæ ad statum gratiæ, quàm actus contritionis, attamen esse nequit pars essentialis Sacramenti, utpotè à Christo ad hoc non determinatus; ideoque hic non est sufficiens: quapropter unusquisque diligenter caveat, nè, antè Confessionem Sacramentalem, omittat actum veræ contritionis, aut negligat firmum propositum non peccandi de cætero; verumtamen quisque satagat hìc procedere ex motivo purissimi amoris Dei, sine reflexione ad proprium interesse, nec attendendo ad infernum, purgatorium, vel cælum, sed unicè ad infinitam Dei bonitatem, quam se novit offendisse, sic enim meliùs sese poterit conservare in vera cordis simplicitate, ac Deo in simplicitate spiritûs adhærere.

Contritio formalis necessaria est antè confessionem.

Non sufficit actus amoris.

CAPUT XLI.

Status annihilationis non excludit opera pœnitentiæ, & quid ille tantummodò postulat?

ALiqui dicunt corporalia opera pœnitentiæ aut mortificationis non desiderari, sed esse superflua in animâ assuetâ sese in Deo annihilare; alioqui enim (inquiunt) delinqueret contrà cognitionem sui nihili, volendo aliquid operari, cùm nihilum nihil possit operari; putando per pœnitentialia opera divinæ Justitiæ se posse satisfacere, cum nihilum nihil possit satisfacere, nec habere cogitationes de satisfactione facienda; aliàs enim foret aliquid: Verùm hoc tam crudè non licet intelligere, quasi anima in statu annihilationis degens illa opera totaliter deberet abdicare: nam sicuti non obstante statu annihilationis sui coram Deo, alia equidem tum externa, tum interna exercitia sibi attrahere potest, & debet, ità etiam illa opera pœnitentialia, tempore & loco, cum discretione potest sustinere, non præcisè ut divinæ Justitiæ faciat satis, sed ut præcepto divino morem gerat, *convertimini & agite pœnitentiam*, cui conformiter Præcursor Domini exhortans, *facite* inquit, *fructus dignos pœnitentiæ*; neque verò status annihilationis excludit, operari, prout nec excludit vivere; sed exigit solummodò, ut anima ex intimo cordis sese agnoscat insufficientem,

Error aliquorum vetantium opera pœnitentiæ.

Prætextu status annihilationis.

Refutatur.

Ezech. 18. & Matt. 3. 6.

Quid status annihilationis exigat.

tem, quæ de se habeat vel unicam cogitationem bonam, tamquàm de se; probè sciens, quod omnis sua sufficientia ex Deo sit, & quod Deus omnia in se, & secum operari debeat, ipsa se gerente ut instrumentum; seu ut organum, quod nullum de se sonum edit sine insufflatione Spiritus sancti, ac directione ejusdem; posito ergò, quod Deus ab illa exigat opera pœnitentiæ, debet permittere, ut Deus ea in se, per se, & secum operetur, nullatenùs interim existimando, quod ex parte sua sine ipso quidpiam possit, etiam vel minimum; multò minùs quàm infans scribere queat nisi Magistro manum ducente; *Deus enim est, qui operatur omnia in omnibus:* Porrò anima verè est coram Deo annihilata, non quæ absolutè nihil est, aut nihil agit; sed quæ suam in esse & operari à Deo essentialem dependentiam cordialiter cognoscens & penetrans, nihil est nisi quòd Deus vult illam esse, nihil operatur, nisi quod Deus vult illam, mediante suæ gratiæ directione & cooperatione, operari, dùm enim ipsa sic est constituta, natura in ipsa mortua est, & annihilata, vivit verò & est aliquid in Deo, vel potiùs unicè in illâ est, & vivit Deus, qui status proindè non absolutè excludit esse & operari, sed esse aliquid & operari extrà Deum, vel difformiter ejus beneplacito, sine cooperatione & directione divini spiritus, ex viribus & propria activitate solius naturæ, undè isti statui annihilationis tantùm contrariantur actiones malæ, otiosæ aut indifferentes, factæ contrà Deum, vel sine Deo ut supernaturaliter influente, seu esse, & operari ex pura natura.

Omnis sufficientia ex Deo.

Quæ anima verè coram Deo annihilata.

Quæ in nullo à naturâ, sed in omnibus à Deo agitur.

CAPUT XLII.

Anima contemplativa non debet omittere orationes vocales, sed eas facere in spiritu; non tamen pro se vel aliјs multa petere, nisi Spiritus sanctus in ea oret, vel non nisi ut Christus vel Beati;

PRædictum modum anima devota servare debet quoad orationes vocales, quas nonnulli minùs considerati absolutè volunt exulare ab animâ contemplativâ, at sine ratione; nam licet Salvator noster nos moneat, dicens, *orantes autem nolite multum loqui, sicut Ethnici faciunt, putant enim quod in multiloquio suo exaudiantur*; hortetur verò, *ut adoremus Patrem in spiritu:* attamen verbis & exemplis nos etiam docuit vocaliter orare, ut notorium est ex Sacris Evangelijs; nonnè ipse sic nos docuit orare, *Pater noster, qui es in cælis,* &c. Nonnè ipse tùm alibi sæpiùs, tùm in horto oravit dicens, *Pater si possibile est, transeat à me calix iste, &c.* de intemeratâ Virgine & Matre amabili

Oratio vocalis etiam in mysticis admittenda.

Matt. 6. b.

Ioan. 4. d.

Matt. 6. b.

Christus vocaliter oravit.

bili legitur, quod non obstante excellentissima sua Sanctitate suprà omnes puras creaturas, indies solita fuerit recitare aliquas preces vocales; simile refertur de plerisque alijs Sanctis, v. g. de sancto *Angelo*, qui præter pensum Horarum canonicarum, quotidiè genuflexus solebat legere totum Psalterium Davidis; de sancta *Magdalena de Pazzi*, etiam in suis raptibus, & extasibus frequenter longas fundebat preces pro conversione Ethnicorum, hæreticorum & aliorum peccatorum, aut pro solatio animarum in Purgatorio, &c. pro illis omnibus cum summo zelo & fervore æterno Patri offerendo passionem & pretiosum Sanguinem Christi; similia de multis alijs legimus, qui tamen in vita mystica magnam erant perfectionem assecuti; ac proindè nobis adeò mirùm videri non debet, quod etiam perfectis aliquandò incumbat orare vocaliter; imò his specialiter competit pro alijs apud Deum intercedere, hi quippè sunt, quos Spiritus sanctus sæpè facit orare gemitibus inenarrabilibus.

Etiam D. V. *S. Angelus.* *S. M. de Pazzi.* *Deus perfectos facit orare.*

Solummodò ad hoc ipsis attendendum, ut etiam orationes vocales assuescant facere in Spiritu; nam si Spiritu vivant, etiam in Spiritu debent orare; quòd ut præstent, caveant in suis precibus se ipsos quærere, aut importunè aliquid pro se ipsis petere; siquidem in voluntate Dei debent esse totaliter resignati, cum plena fiducia in paternâ Dei providentiâ, solicitudine & benevolentiâ. Bonus aliquis filius, qui indies experitur supermagnam sollicitudinem, quâ Pater & Mater ipsi ab incunabulis providerunt, non solùm de rebus necessarijs, sed etiam de copiosis raritatibus, & rebus pretiosis ad solam oblectationem servientibus, non molestabit eos omni hora, dicendo, date mihi victum & amictum, providete mihi in meis infirmitatibus, date mihi hæc & illa; neque etiam sollicitat amicos, quorum intercessione instituatur hæres parentum suorum; alioqui enim videretur diffidere suis parentibus; qui proindè id mali consulerent, cùm ad hoc nullam ei ansam præbuissent: Eodem modo anima amorosa, in quam *misit Pater Spiritum filij sui clamantem*, *Abba*, *Pater*; ità ut jam multifariam, multisque modis sit experta testimonium conscientiæ suæ, quod sit filia Dei, & quod Deus paterna ac materna eam sollicitudine foveat, providendo de omnibus ad salutem necessarijs & conducentibus, non debet uti multis verbis, ut aliquid à Deo obtineat, aut de hæreditate in cælo adeunda assecuretur; nam *desiderium* talium *exaudit Dominus*; *præparationem cordis eorum, audit auris ejus*; undè cum nimia anxietate quidquam à Deo postulare, est signum exiguæ ergà eum fiduciæ, & excessivi amoris sui-ipsius.

Oratio vocalis facienda in spiritu. *Anima amorosa pro se nil petit, sicut nec bonis.* *Filius à parentibus.* *Applicatio similitudinis.* *Gal. 4.* *Psalm. 9. 4.*

Præterea pauperculus aliquis reputaretur inhumanus, qui indies à quodam divite liberaliter recipiens sua necessaria, eundem nihilominùs molestaret multis clamoribus & pulsationibus ad plus habendum ab eo, qui eum sine ullâ prorsus obligatione tam benignè foveret & pasceret: simili

Humilitas docet nos contentare beneficijs Dei.

modo anima pauper spiritu, & humilis corde, jure meritò æstimaretur ingrata, indiscreta & importuna, quæ sciens, quantis à Deo indies gratijs & beneficijs præveniatur, gratis & sine ulla obligatione, adhuc auderet conqueri, & importunis clamoribus precum vocalium instaret, ut pro suo nutu & voto, amplioribus à Deo favoribus cumularetur; ubi deberet ultrò fateri sese indignam esse millesima parte divinorum, quæ jugiter à Deo recipit, beneficiorum, ac proindè contenta manere ijs, quibus eam Deus clementer indies dignatur.

Quandonam anima annihilata possit vocaliter orare.

Propter has rationes includunt aliqui, quod anima annihilata, & verè humilis nihil prorsus à Deo debeat postulare; & quamvis id in quibusdam occasionibus verum sit, hoc tamen accipiendum est cum grano salis; itaque illi licet orare, ac Deum pro aliquâ re deprecari cum plena & humili sui in voluntate Dei resignatione, præcipuè dum à Spiritu sancto ad hoc suaviter videtur inspirari & agi; partim quia notoria est voluntas Dei, ut omnes eum aliquando orent, ac deprecentur, nec nisi mediantibus orationibus videtur decrevisse sua dona hominibus elargiri; undè ait Salvator, *petite & accipietis*, & ad suos Discipulos, *usque modo non petistis quidquam*; ubi eos quasi arguit de neglectu orationis; partim, ut per suam supplicationem confiteatur, sese vivere de benignitate & clementia Dei, utpotè quæ indigeat jugi divini auxilij influxu, quo in suo esse, & id ejus amore conservetur, & foveatur.

Joan. 16. c.

Verumtamen, sciendum est, Deum à diversis diversimodè posse orari, aliter nempè à peccatoribus, aliter à suis singularibus amicis, aliter ab animabus, quas sibi specialiter adoptat in sponsas; ut autem perfectiori modo Deum oremus, imitari nos decet Beatos in cœlo; hi non orant, nisi dum cognoscunt Deum velle, ut orent; tuncque in tantum, & non ampliùs orant, quantum vident Deo placere, ut orent; nam sic etiam anima amorosa debet rogare Deum, dum per interiorem instinctum cognoscit Deo sic placere, tuncque oret, seu potiùs Deum in se, & per se orare sinat gemitibus inenarrabilibus quamdiu, quoties, & in quantum à Spiritu Dei ad hoc agi videtur: cæterùm in recitatione Horarum nihil aliud debet intendere, quàm glorificare & laudare Deum, eo modo, quo id faciunt Angeli in cœlo, qui incessanter cantant, *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, &c. Item tali intentione, quali Salvator post ultimam Cœnam cum Discipulis hymnum cecinit.

Orandum vocaliter more Beatorum.

Iuxtà directionem & beneplacitum Dei.

CA-

CAPUT XLIII.

Anima perfecta debet etiam venerari & invocare sanctos, sine adhæsione in eorum imaginibus; sicut eos Deus veneratur, aut in quantum Deus in illis est, & operatus est.

ALiqui dicere non verentur, quod anima contemplativa non possit invocare Sanctos, aut aliquid particulare ad eorum venerationem facere, eò quòd, ut aiunt, per hoc impediretur ab immediatâ cum Deo unione, cui solummodò in Spiritu debet adhærere, cætera omnia, nullâ re exceptâ, pro viribus inadvertenter, & sine reflexione dimittendo, & consequenter nullam in se de illis memoriam scienter & volenter fovendo, sed soli, & simplicissimo Deo, unicâ mentis attentione & intentione vacando, eum solum venerando, & invocando: verùm quamvis id locum habere possit tempore actualis cum Deo unionis, & intimæ animæ in ipsum introversionis, liquefactionis, &c. ut alibi tactum est in simili de operationibus sensuum, quos tùm etiam suspendere oportet; tamen extra illud tempus, licet Sanctos venerari, & invocare sine impedimento, aut præjudicio vitæ mysticæ; imò ad id subindè urget obligatio, saltem fidelitatis, dum anima ad id à Deo agitur; neque quis existimet, quod oporteat omni tempore mentem nostram evacuare & denudare ab omnibus imaginibus, seu repræsentationibus Sanctorum, sic ut nullam voluntariam de illis liceat fovere reminiscentiam; hoc quippè dumtaxat verum est in intima oratione; verumtamen, quò, illâ durante facilius nos possimus expedire ab omnibus speciebus, seu præsentationibus imaginarijs; semper cautè advigilandum est, ne illas nimis vivaciter menti imprimamus, illis cum nimiâ complacentiâ adhærendo; sic enim in nostra nos ad Deum conversione notabiliter impedirent.

Error vetantium cultum Sanctorum prætextu unionis cum Deo.

Intermittenda invocatio Sanctorum in intima oratione.

Non tamen, dum quis ad hoc inspiratur.

Cavenda adhæsio ad imagines.

Vultis scire perfectum modum colendi & invocandi Sanctos? imprimis honorandi sunt, in quantùm eos Deus honorat: de hoc honore loquitur Mater Ecclesia ad Dominum, *gloria & honore coronasti eum*; id quod Dominus Deus olim promittens ait, *quicumque honorificaverit me, glorificabo eum*; & Christus in Evangelio, *si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus*; quem honorem in spiritu contemplatus Regius Propheta, *nimis*, inquit, *honorati sunt amici tui Deus; nimis confortatus est principatus eorum*; quocircà, si Deus Sanctos suos adeò honorat, proculdubiò, ejus voluntas est, ut & nos eos honoremus, sicut ipse eos honorat: at quo modo? Sancti honore afficiendi sunt, non in quantum sunt creaturæ, sed secundum esse suum increa-

Sancti honorandi, in quantum eos Deus honorat.

1. Reg. 2. 30.

Ioan. 12. 26.

Psalm. 138.

Quia Deus suis gratijs illos extollit.

creatum, quod Deus est; & consequenter, in quantum Deus in illis, est, operatur aut aliquandò operatus est per communicationem suarum gratiarum, seu divinorum charismatum. Si infirmæ conditionis homo à Rege elevetur ad sublimem aliquem statum; ità ut tamquàm legatus Regis pro negocijs regni hinc indè mittatur, sine ulla tergiversatione ab omnibus passim honoratur; imò regia magnificentia excipitur, non jam attendendo ad nativam ejus conditionem, quæ vilis est, sed quia jam à Rege nobilitatus, ejusque personam repræsentans, magno honore dignus censetur: ità ut quisquis hunc nobilem laudat, & honorat, non tam illum laudare & honorare putetur, quàm ipsum Regem, nobilitatis & excellentiæ illius auctorem: Eodem modo, dum quivis homo, ex natura fragilis, abjectus, & in omne malum proclivis à Deo sublimatur ad insignem sanctitatem; ita ut in Ecclesia Dei mereatur poni *super candelabrum, ut omnes, qui ingrediuntur, lumen* illius *videant*, & cognoscant, quod sit singularis amicus Dei, omnis generis virtutibus excellenter ornatus, potens opere & sermone apud Deum & homines, ac in suis orationibus efficax, tum cultu duliæ eum venerari oportet, non habito respectu ad naturam illius (de se enim nihil est, & nihil potest) sed in quantum Deus in illo est, non solum per essentiam, potentiam & præsentiam, prout est in omnibus creaturis, & ut sic in illis etiam honorari & adorari potest; sed etiam alio speciali modo per gratiam, seu per supernaturales operationes divinæ charitatis in illo.

In Legato Regis, honoratur Rex.

In Sanctis honoratur Deus, utpotè specialimodo in illis præsens & operans.

CAPUT XLIV.

Deus est magis honorandus in Sanctis, quàm in alijs creaturis; ac magis in majoribus Sanctis; & quarè hoc?

MOdo prædicto considerando Sanctos, dum eos colimus & invocamus, non tam ipsos Sanctos colimus, quàm Deum ipsum, qui *est gloriosus in Sanctis suis*; nam *mirabilis Deus in Sanctis suis*; atque illa consideratione, Deum majori honore prosequi oportet in Sanctis, quàm in alijs creaturis; plus illi laudis, gloriæ & honoris debetur in insignioribus Sanctis; quàm in minoribus, & consequenter plus in Deiparâ Virgine, quàm in omnibus Sanctis simul; eò quod Deus in illâ sit admirabilior, sanctior, & gloriosior, quàm in omnibus Sanctis simul; quorum omnium ratio est, quia Deus tantò amplius in aliquibus locis vel creaturis debet & cupit honorari, quantò singulariori modo in illis præsens est, aut se notabiliùs manifestat.

Deus magis colendus in Sanctis.

Plus in D. V. quàm in omnibus Sanctis simul.

Dùm

Dùm olim Deus apparebat Patriarchæ Jacob, ostendens ei *scalam*, *cujus summitas cælos tangebat, & in ea Angelos ascendentes & descendentes*, promptè clamabat, *terribilis est locus iste*, *non est hic aliud*, *nisi domus Dei & porta cæli*; *verè etenim Dominus est in loco isto*, *& ego nesciebam*; nec mora, ut Deum ibi sese specialiter manifestantem specialiter honoraret, *erexit ibi altare Domino*. Insuper, dum *apparuit* Deus Moysi *in flamma ignis de medio rubi*, vetabatur Moyses appropinquare, & jubebatur solvere calceamenta de pedibus suis, in signum singularis reverentiæ, quam illi loco debebat, cujus illi dabatur ratio; *locus enim in quo stas*, *terra sancta est*; quarè sanctior, quàm alia loca, quibus etiam Deus est præsens? quia Deus in illo, extraordinario modo, suam præsentiam manifestare dignabatur: Simili etiam modo Sanctis majorem venerationem debemus, quàm alijs creaturis, ac tanto majorem, quantò Sancti sunt excellentiores; eò quòd Deus in illis & per illos mirabiliùs operetur, ac per communicationem suarum gratiarum, suam munificentiam, magnificentiam & gloriam copiosiùs manifestet, ea intentione, ut in illis magis honoretur, & glorificetur; nam Deus est, *qui glorificetur in consilio Sanctorum*.

Deus locum scalæ à Iacob volebat specialiter coli. *Gen. 28. 16.* *Exod. 3. 4.*

Rubus Moysi commendatur specialiter colenda.

Ob quam causam.

Cur Sancti colendi.

Psalm. 88.

Propter similem rationem summa exhibenda est reverentia Augustissimo Eucharistiæ Sacramento; quia increatum Verbum æterni Patris, & consequenter ipsa Divina natura ibidem sub speciebus Sacramentalibus hypostaticè unita est humanitati.

Cur Deo major reverentia habenda in V. Sacramento.

Ex quibus clarè colligere licet turpem errorem aliquorum mysticorum, qui nolunt admittere differentiam in cultu Sanctorum, aut in adoratione, seu veneratione Dei, uno potius loco, quàm alio; imò eo temeritatis deveniunt, ut dicant Deum æquè honorandum & adorandum in aliquo lapide, & arbore, quàm in templo coram venerabili Sacramento, cùm, ut aiunt, Deus sit ubique præsentissimus, tam benè, ac in templo; quorum error vel ex indè convincitur, quod, licet Deus sit ubique, tamen singulari modo est in aliquibus locis, vel alijs creaturis, in quibus proindè specialius vult coli, & adorari; atque ideò est sacrilegium, violare loca sacra, in illis aliqua crimina patrare, Sacramentis abuti; vel Sanctorum imagines inhonorare: id quod non esset, si non foret obligatio Deum colendi in illis magis, quàm in alijs: itaque *laudate Dominum in Sanctis ejus*, tanquàm in sacrarijs, ac templis ejus spiritualibus, & veneramini Sanctos tamquàm templa Dei.

Error aliquorum volentium Deum non magis colendum in templo, quàm in arbore &c. convincitur.

CA-

CAPUT XLV.

Quomodò Sancti colendi, ut vasa gratiarum, ut amici Dei; sicut eos Deus honorat, exemplo Sanctorum.

Sacræ Imagines non colendæ cultu latriæ, etsi Deum in Sanctis colamus plusquam ipsos.

FOrtè dicet aliquis, si in Sanctis oporteat principaliter honorare Deum quarè illorum imaginibus non exhibemus cultum latriæ? respondeo rationem esse, nè quis existimet nos colendo sacras Imagines idololatriam committere; Deindè veneramur in Sanctis dona, & participatas perfectiones Dei; ac colimus Sanctos tamquàm vasa, in quibus gratiæ Dei sunt absconditæ: ac proindè, cum ut sic, respiciamus Sanctos tamquàm creaturas, minorem quàm Deo, illis cultum debemus: Deindè dum colimus & invocamus Sanctos, eos colimus & invocamus ut amicos Dei, & consequenter ut aliquid à Deo distinctum; nec dudium, quin Deus sibi complaceat in honore à nobis, ipsis ut ejus amicis exhibito: Principi alicui gratum est, dum omnibus ejus domesticis habetur respectus, specialiter autem delectatur, dum intimis ejus amicis, prolibus, vel uxori singularis honor defertur, quin-imò id reputat tamquàm sibi personaliter factum, ægrè caperet si in occasionibus illis honor non haberetur: Eodem modo, Deus Pater omnipotens & *Rex magnus super omnes Deos* gratum habet, quod omnes sui fideles honore invicem præveniant, vel ut cives Sanctorum & domestici Dei, atque ad imaginem & similitudinem Dei creati, præcipuè autem commendatum desiderat cultum Sanctorum; ad quem attendens regius Propheta admirabundus clamabat, *nimis honorati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum.*

Sancti colendi ut amici Dei.

Deo gratus est cultus Sanctorum.

Psalm. 138.

Cultus Sanctorum à Deo provenit, & ex ejus inspiratione.

A quibus illis tantus honor? ab ipsomet Deo, & ab hominibus à Deo ad hoc inspiratis; nam qui à majoribus coluntur, possunt etiam à minoribus honorari, sic de multis Sanctis legere est, qui ergà alios Sanctos insigni ardebant devotione; omnibus notoria est tenerrima S. Theresiæ ergà S. Josephum devotio; quem in omnibus suis fundationibus patronum statuebat, & in omnibus suis necessitatibus fiducialiter invocabat: Sancta nostra Soror *Magdalena de Pazzi*, excellenter erat devota Sanctis Angelo, Augustino, & alijs, præsertim autem Virgini Matri; quapropter exemplo illarum Sanctarum, quæ ità immediato, & exstatico amore in Deum ferebantur tamquam in Sponsum suum longè amabilissimum, atque in vitâ mysticâ adeò excellebant, ut veluti ejusdem magistræ & doctrices in Ecclesiâ Dei habeantur, etiam nobis sine præjudicio sincerissimæ Deiformitatis, licet colere, venerari & implorare Sanctos, modò nos ab omni, in eo, proprio inter-

Sancti maximè mystici coluerunt Sanctos.

In cultu Sanctorum vitandum proprium interesse.

intereſſe expediamus, nec quidquam aliud intendamus, quàm voluntatem ſeu beneplacitum Dei, ità ut ſemper meminerimus Deum omnis ſanctitatis fontem magis honorare, quàm torrentes, & rivulos? quamquàm interim certum ſit, nos, dum rivulos colimus, etiam fontem venerari in rivulis.

CAPUT XLVI.

Invocatio Sanctorum, & cultus ſacrarum imaginum poſſunt & debent etiam fieri à perfectis, ſine præjudicio puri amoris Dei.

VAldè temerariè, & non ſinè periculo blaſphemiæ dicunt aliqui Sanctos, dum adhuc in mortali corpore degentes colebant alios Sanctos, & ex vehementi impetu & fervore ſpiritûs multas indies fundebant preces vocales, deviâſſe à verâ perfectione, & eatenus valdè imperfectè ſeſe geſſiſſe; quid-ni enim preces illæ & veneratio Sanctorum in ipſis conſiſtere potuiſſent cum perfecto amore Dei? quid-ni ſacras imagines venerari, & ad eas opem Sanctorum implorare liceret, imò & ſæpè oporteret? alioqui ſanè ſacræ imagines tollendæ; id quod Chriſtianæ & Catholicæ doctrinæ adverſatur. Malè aliqui dicunt Sanctos vocaliter orantes, in eo minus fuiſſe perfectos &c.

Dices fortaſſis, non vitupero quidem devotionem ergà Sanctos, at ſoli incipientes & imperfecti defectu melioris occupationis in Deo, ſe in illâ debent exercere; perfecti verò tranſcendere debent ſuper omnes imagines & rerum, etiam ſacrarum, ſimilitudines, ſuſpenſi & ſpiritu in Deo elevati abſque voluntariâ reflexione ad aliquid aliud; verùm, peto à te; quid ſi major pars fidelium ſublimi illo ſpiritu ageretur, vel ſi in aliqua ſimilium ſpirituum congregatione degeres? annè ſacras Imagines tollendas putares? videtur, quod ſic; verùm hoc malè ſonat; id enim favere videtur hæreticis iconoclaſtis, qui eâ ratione ſacras Imagines abolere, & Sanctorum invocationem abrogare nituntur, quod ad Deum immediatè refugiendum ſit, & fruſtrà, imò malè, Sancti invocentur, ubi ſolus Deus pluſquam ſufficit, & unicum ac præſentiſſimum omnium hominum debet eſſe refugium: at hæc doctrina eſt de malè ſonantibus, cum conſtet conformiter ſenſui Sanctæ Matris Eccleſiæ, & quotidianæ experientiæ, Deum ſibi complacere in cultu Sanctorum, ac ſacrarum Imaginum, atque ab æterno decreviſſe, mediantibus Sanctorum meritis & interceſſionibus, plurimas hominibus gratias & beneficia impertiri; quocircà nos diſcere oportet, qualiter Sanctos in ſuis Imaginibus, & Deum in Sanctis ſuo tempore per- Replica eorum. Error hæreticorum vetantium cultum Sanctorum & Sacrarum Imaginum. Confutatur.

fectè colere liceat, nimirùm attendendo solùm ad id, quod in Sanctis divinum est, illudque in illis venerando; sic enim Imagines Sanctorum nos à Deo non mediarent, prout alibi ostendimus; Deindè animæ ad perfectionem proximè aspirantes, utpotè, ex hypotesi, in omnibus, Spiritu Dei acti & directi, in cultu sacrarum Imaginum & invocatione Sanctorum sese gerere debent, secundùm directionem, & ex instinctu divini Spiritûs, sicuti in cæteris omnibus.

Modus perfectè colendi Sanctos.

Perfecti colunt & invocant Sanctos ex instinctu Dei.

Taliter indubiè, ac divino Spiritu actu Sancti sæpè venerantur Imagines aliorum Sanctorum, eorumque opem implorant, & non raro preces vocales multiplicant; in quibus, quis sine temeritate eos minoris perfectionis arguat, cum in illis, ut in alijs agendis, tanquàm filij Dei, Spiritu Dei agantur, & quis quærat, cur Deus ità velit? legitur, quod Sanctus Evangelista Lucas plures pinxerit Imagines Salvatoris, ac Virginis Matris; imò quod semper hujus Sacratissimæ Virginis iconem, devotionis ergò, secum deferre consueverit: Seraphica Mater *Theresia* speciali ergà Imagines passionis Dominicæ devotione æstuabat; similia de plurimis alijs Sanctis referuntur; imò Beatissima Virgo Deipara, post Filij resurrectionem, illius Imaginem penes se habuisse, & singulari devotione coluisse traditur; cujus exemplo, jam indè ab initio, semper in Ecclesia viguit usus sacrarum Imaginum; quocircà non est dubium, quin invocatio Sanctorum & cultus sacrarum Imaginum peroptimè fieri possit sine detrimento perfectionis aut impedimento divini amoris; alioqui enim Mater amabilis, Apostoli, alijque Sancti, qui in amore Dei tantoperè excelluerunt, & in omni perfectione consummati fuerunt, suo nos exemplo non docuissent. Nemo etiam dicat Sanctum *Angelum*, v. g. minus perfectum fuisse, dum indies præter pensum divini officij, integrum Psalterium flexis genibus recitabat; & sic de alijs; præsumendum quippè est, Sanctos in similibus à divino Spiritu actos & directos fuisse, sicut in suis raptibus, mentis excessibus & alijs mirabilibus fuerunt ab eodem acti & directi; Deus enim operabatur in illis pro suo beneplacito, cui ipsi perfectissimè se conformabant.

Sancti sic coluerunt alios Sanctos.

S. Lucas pinxit Imagines Salvatoris & D. V.

D. V. colebat imaginem Filij.

Indè cultus Sacrarum Imaginum in Ecclesiâ.

S. Angelus ex instinctu Dei recitabat indies Psalterium.

CAPUT XLVII.

Qui Deum intimè diligit, & ab eo regitur, quævis exercitia facit sine impedimento perfectionis, indifferenter sine adhæsione.

S. August.

Vis uno verbo scire, quomodò hæc & similia activa exercitia fieri debeant? *ama, & fac quod vis*, nimirùm, in Charitate, per Charitatem;

tem, & cum Charitate; nam *qui manet in Charitate, in Deo manet, & Deus in eo*; Et verò si Deus in animâ manens; ibidem thronum suum possit stabilire, & dominari omnibus animæ potentijs; sic, ut ipsi dicere liceat, *Dominus regit me*, ad quodcumque porrexerit manum suam, totum perfectissimè operabitur; quippè non est jam ipsa, quæ operatur, orat, aut loquitur, sed Spiritus Dei operatur, orat & loquitur in illâ, pro suâ bonâ voluntate; atqueità non tam ipsa honorat Sanctos, & colit Imagines, quàm benè Deus per illam, non tamen sine illâ, Deus enim operatur omnia in illâ per illam, & cum illâ: & ideò *nihil ei deerit* in ullâ perfectione, nihil illam impediet in amorosâ suâ ad Deum conversione; erit ipsi indifferens, sive vocaliter oret, sive meditetur, sive contempletur, sive veneretur Sanctos in suis Imaginibus, sive non; siquidem in omnibus agendis vel omittendis acquiret perfectam indifferentiam; ità ut in omnibus indifferenter, sine adhæsione ad aliquid, sese exercere poterit: id quod benè notandum est; quippè dum anima nulli rei adhæsivè afficitur, innititur, aut naturali requie insistit, nullæ illi Imagines, nulla objecta aut exercitia nocere possunt; at dum in aliquo vanè & adhæsivè quiescit, aut innititur, tum ei quævis Imagines etiam nobilissimæ, quævis res etiam divinissimæ, quævis exercitia etiam perfectissima afferunt impedimentum, & inter animam & Deum ponunt medium.

1. Ioan. 2.

Perfecti in Charitate sciunt sine impedimento honorare & invocare Sanctos.

Deus enim operatur omnia in ipsis.

Perfecti sunt indifferentes ad orandum vocaliter vel mentaliter.

Sola adhæsio ad creaturas quascumque impedit animam.

CAPUT XLVIII.

Quandonam Imagines etiam Passionis Dominicæ sint nocivæ animabus contemplativis, quandò non.

NOnnulli hìc faciunt differentiam inter Imagines, dicentes animam contemplativam sese debere evacuare ab omnibus imaginibus, seu repræsentationibus imaginarijs, aut etiam intellectualibus quarumcumque rerum etiam spiritualium & divinarum, imò etiam Sanctissimæ Trinitatis, ac Divinitatis, exceptâ, ut aiunt, imagine Passionis Dominicæ, seu Christi patientis; verùm in quo consistat hæc differentia, non video; nam vel anima præbebit in se locum Imagini Passionis Christi, cum affectu adhæsivo & naturali ac propriâ industriâ, vel non? si cum affectu adhæsivo, &c. etiam Imagines Passionis Christi illi erunt impedimento; non minùs, quàm imaginationes aliarum rerum, etiam Sanctissimæ Trinitatis ac Divinitatis, si illis anima afficiatur cum adhæsione; siquidem illa adhæsio & naturalis sagacitas faciunt, ut imagines, seu repræsentationes imaginariæ causent medium seu impedimentum inter Deum & animam, & consequenter omne nostrum impedimentum à nobis ipsis provenit potiùs, quàm ab imaginibus.

Imagines Passionis Christi æquè impediunt unionem mysticam, ac aliæ, si anima illis adhæsivè afficiatur.

Contrà aliquos.

Omne impedimentum unionis mysticæ à nobis,

 Quod

non ab imaginibus.

Quod si anima Imaginem Passionis Christi, seu Christi patientis in se habeat sinè adhæsione, sinè nimis naturali attractione aut reflexione, Imago illa nequaquam eam impediet; non magis, quàm si non esset; posito etiam, quod Imago Divinitatis, aut Sanctissimæ Trinitatis tali modo in animâ inveniretur, per eam nullatenùs ab immediata Dei adhæsione præpediretur, non magis, quàm si talis Imago non esset; nam anima per nihil aliud potest impediri, aut à Deo mediari, nisi per id, cui adhæsivâ reflexione afficitur, aut naturali & propriâ inclinatione innititur, aut in quo extrà Deum nimio affectu quiescit, qualecumque illud esse posset; verùm de his alibi plura dixisse memini; quarè hìc supersedeo.

Vbi non est adhæsio, nulla creatura impedit animam.

CAPUT XLIX.

Semper debemus esse solliciti, nè decipiamur, maximè à diabolo.

Nemo, etiam perfectus liber à tentatione.

PRofectò ex omnibus hactenùs dictis clarè patet, quod tentatio sit vita hominis super terram, & quod nemo quantumcumque perfectus diu liber maneat à tentationibus, sed unusquisque sollicitè debeat advigilare, nè circumveniatur, præsertim subtilibus tricis, & adinventionibus proprij amoris, qui ubique se ingerit, & instar olei penetrat, conando habere partem in omnibus; maximè autem omnibus cavendum est ab insidijs diaboli sese non rarò *transfigurantis in Angelum lucis*; plurimæ quippè animæ ab eo sub specie boni indies decipiuntur, quas in aperta mala pertrahere non potest: Apostolus nos ad sollicitas contrà insidias diaboli excubias agendas monitos volens ait, *non est nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem, sed adversus principes tenebrarum*; non quod nullas à carne tentationes patiamur (contrarium enim experimur) sed quia lucta cum carne & sanguine non est præcipua, comparatione factâ cum insidijs, tentationibus, & insultationibus diaboli; cujus ratio esse potest, quia insidiæ & impugnationes diaboli sunt magis fraudulentæ, ignotæ & occultæ, quàm tentationes carnis; contrà quas, utpotè valdè sensibiles, nos meliùs præmunire, & arma spiritualia faciliùs capessere possumus; at tegnæ, astutiæ & insidiæ diaboli, utpotè à spiritu adinventæ, non ità cadunt in sensum, ac proindè sunt magis metuendæ, nè fortè, dùm minùs cogitamus, circumveniamur, & ex improviso opprimamur, defectu vigilantiæ aut armaturæ spiritualis. Ut in lucta adversus Principem tenebrarum non decipiamur, Princeps Apostolici Agminis nos monet de instanti periculo; audi, quibus verbis, *adversarius*, inquit, *vester diabolus tamquam leo rugiens circuit, quærens, quem devoret*; Ecce Princeps Apostolorum

Proprij amoris insidiæ. 2. Cor. 11. c.

Eph. 6.

Lucta cum satanâ sub specie boni metuenda magis, quàm cum carne.

Quare?

1. Pet. 5. 8.

lorum nobis detegit periculum, in quo omnes milites Christi continuo versantur, nè fortè ejus ignari, incauti pereamus in illo, *diabolus* inquit, *circuit*, quo modo? *tamquam Leo rugiens*, *quærens*, utique alicubi ovem innocentem, quam devoret, animam devotam, quam unguibus subjiciat, subjectam mactet & vitâ gratiæ privet.

CAPUT L.

Princeps Apostolorum nos commonefacit, quod civitas animæ nostræ sit obsessa à diabolo; quæ providetur de armis spiritualibus.

ADversarius, inquit Princeps Apostolorum, *vester diabolus tamquàm leo rugiens circuit*: his verbis videtur nos certiores facere de obsidione animæ nostræ, in quo videtur exercere officium vigilis; sicuti enim fidelis agens excubias ad mœnia civitatis, dum manè diluculo cernit civitatem ab exercitu inimicorum cinctam, ità ut incipiant appropinquare, & fossas mœniorum explorare, ut à parte minus profundâ, & magis infirmâ aggrediantur, invadant & spolient, illicò dat signum indicans obsidionem inchoatam, quatenùs pulsetur ad arma, & omnes cives per ordines disponantur, sese contrà instans periculum armaturi, & civitatem ab hostibus defensuri: Ità etiam Princeps Apostolorum probè sciens vitam hominis esse militiam super terram, ac diabolum specialiùs insidiari pijs animabus, ut exploret, quânam ex parte sint infirmiores, quatenùs eas indè aggrediatur, invadat, & thesauris gratiarum spoliet, videtur nos provocare ad arma, & obsidionem à diabolo formatam innuere, eâ intentione, ut nos ad sacras vigilias exstimulet, & animet ad resistendum, undè ait, *fratres sobrij estote & vigilate, quia adversarius vester diabolus tamquàm leo rugiens, &c. cui resistite fortes in fide.*

Anima piorum est velut civitas obsessa à diabolo.

S. Apost. Petrus monet vigilandum & ad resistendum diabolo.

Giëzi sancti Prophetæ Elisæi discipulus olim *consurgens diluculò egressus est, viditque exercitum in circuitu Civitatis, & equos & currus*; quid indè? *nuntiavit Elisæo dicens, heu, heu Domine mi, quid faciemus*? significans civitatem esse obsessam; eodem modo sanctus Petrus illuminatis oculis reflectens ad pericula animarum propter obsidionem à diabolo factam, eam nobis annunciat; quidem plures à Deo tacti, cum Elisæo fugiunt in medium Samariæ, id est, juxtà etymologiam nominis, custodiæ, veniunt, inquam, ad Religionem, quæ etsi instar fortissimæ Civitatis triplicibus mœnibus trium votorum, & optimarum observantiarum antemurali, ac solidarum virtutum propugnaculis religiosos muniat; ipsi tamen necdum sunt ex omni parte securi,

Giëzi nunciat urbem obsessam.

S. Apost. Petrus sic nunciat animam à dæmone obsessam.

Religio civitas munita.

Sed à diabolo obsessa.

securi, sed tum maximè *adversarius eorum diabolus tamquàm Leo rugiens circuit*, adducens secum plures alios malignos spiritus, ut illis insidientur, & aliquem ad eos intrandi aditum invenire queant.

Monasterium visum plenum & cinctum dæmonibus.

Quidam ex antiquis deserti Patribus aliquandò prætergrediens, quoddam monasterium, videbat millenos dæmones in muris, in tectis, intus & foris vagari, & discursire, ut Monachos ibi habitantes tentarent, varijsque modis in malum pertrahere, & à multis bonis impedire studerent, & de facto hæc unica eorum erat occupatio, hoc unicum studium; ut vel indè intelligamus, quam meritò nobis annuncietur, adversarium nostrum diabolum obsidere animas nostras etiamsi aliqui in medio Samariæ, in fortalitio Religionis sat benè custoditas; an ideò dejiciendus animus? an ideò cum Giëzi pavesçendum & exclamandum, *Heu! heu! quid faciemus?* nequaquam, nisi fortè, ut ad arma spiritualia capessenda consilium ineamus, & ponentes *adjutorium nostrum in nomine Domini*, contrà inimicos nostros generosi descendamus in prælium, cum plenâ spe obtinendæ victoriæ; quippè, ut omnem metum pellamus, ex parte Dei nobis intimari videtur id quod Elisæus olim formidoloso suo inculcabat Discipulo, dicens *noli timere, plures enim nobiscum sunt, quàm cum illis*, utique plures Angeli boni à Deo nobis in adjutorium missi; nec verò desunt nobis arma in quibus cum Dei auxilio confidamus; ità ut quilibet nostrum meritò ac fiducialiter clamare possit ad Dominum, *si consistant adversum me castra, non timebit cor meum; si exurgat adversum me prælium, in hoc ego sperabo* obtinere victoriam.

Religio est spiritualis Samaria.

Non timendum ob luctam cum dæmonibus.

Ibidem.

Psalm. 26.

S. Theresiæ fortitudo & audacia contrà dæmones.

S. Antonius docet, quid diabolus timeat.

Iacob. 4.

Diabolus instar mulieris iratæ fugit, dum illi resistitur.

Armis spiritualibus confisa heroïca Virgo Theresia irridebat dæmones velut muscis infirmiores, & aquâ benedictâ, ac signo Crucis abigebat, non magis eos formidans, quàm muscas: de his armis dicebat S. Antonius, *credite mihi fratres, pertimescit satanas piorum vigilias, orationes, jejunia, fidem, obedientiam, maximè autem ferventem in Deum Charitatem*: itaque, non est, quod metuamus, solummodò nobis practicandum est consilium Beatissimi Jacobi Apostoli, *resistite diabolo*, nec dubitetis, quin, *& fugiet à vobis*; equidem ex sententiâ Sancti Patris Ignatij, diabolus est similis mulieri præ irâ excandescentis, quæ si videat sibi à nemine resisti, despumat iracundiam suam, furit & debacchatur; at si ei fiat resistentia, faciliùs cadit animo, & abscurrit.

CAPUT LI.

Regula monastica est velut collum corporis Religionis & turris munitissima de omnis generis armis optimè provisa; quibus Sancti fœliciter usi sunt.

VIs scire, quibus armis sit utendum & ubinam ea invenies? Regula monastica, illa suppeditat abundè, & in quâvis benè regulatâ Religione optimus eorum viget usus. Verè Matri Religioni dicere licet, id quod Sponsus in Canticis ait ad Sponsam, *collum tuum sicut turris David, quæ ædificata est cum propugnaculis, mille clypei pendent ex eâ, omnis armatura fortium*; equidem quid aliud est collum hujus Matris, quàm Regula, per cujus observantiam veluti per collum ex capite mystico, Christo, copiosæ gratiarum influentiæ in bonos Religiosos velut in membra optimè disposita derivantur? Igitur Regula, est turris David, ex qua pendent mille clypei, & omnis armatura fortium: at qui sunt isti clypei? quæ armatura? qui fortes eis usi sunt? illi clypei sunt actus regulares, illi clypei sunt spiritualia exercitia, orationes &c.

Collum Religionis est Regula.

Cant. 4. 3.

Turris David cum propugnaculis.

Per observantiam Regulæ derivantur gratiæ in Religiosos.

Armatura, est cingulum Castitatis, scutum fidei, pectorale sanctarum cogitationum, lorica justitiæ, galea salutis, gladius Spiritus, hæc sunt, arma spiritualia, quibus fœliciter usi sunt quotquot fuerunt de numero eorum, de quibus Salvator ait, *regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*; tales Viri fortes fuerunt Sanctissimi Patres Elias & Elisæus, alijque quamplurimi, qui in solitudinibus morabantur, in speluncis & in cavernis terræ, pellibus vestiti, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus; hi primi fuerunt Religiosorum qui carnem suam crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs: Isti & omnes alij Sancti nihil charius habuerunt, quàm prædictis armis carnem domare, mundum superare, & de diabolo victoriam reportare, pro ut plus quàm notorium est ex modo illorum vivendi, quem nobis imitandum reliquerunt.

Matt. 11.

Sancti illâ usi fuerunt.

Petes fortè, quid, quæso, sincerus servus Dei cum his armis efficiet? ad quod servire potest pro responso illud Salvatoris, *dum fortis armatus custodit atrium suum: in pace sunt omnia, quæ possidet*, quocircà si fidelis Dei famulus, indutus armaturâ Dei, vigilanter possideat atrium animæ suæ omnesque ejus portas & fenestras; omnes inquam, animæ vires & sensus prudenter custodiat, magnâ fruetur internâ requie, *sedebit in pulchritudine pacis*; *in pace* & tranquillitate *erunt omnia, quæ possidet*; eò quòd gaudeat testimonio bonæ conscientiæ, & omnes malæ inclinationes, prava desideria, & passiones

Luc. 11.

Animæ de spiritualibus armis provisæ gaudent pace interna.

imperio

modo anima pauper spiritu, & humilis corde, jure meritò æstimaretur ingrata, indiscreta & importuna, quæ sciens, quantis à Deo indies gratijs & beneficijs præveniatur, gratis & sine ulla obligatione, adhuc auderet conqueri, & importunis clamoribus precum vocalium instaret, ut pro suo nutu & voto, amplioribus à Deo favoribus cumularetur; ubi deberet ultrò fateri sese indignam esse millesima parte divinorum, quæ jugiter à Deo recipit, beneficiorum, ac proindè contenta manere ijs, quibus eam Deus clementer indies dignatur.

Quandonam anima annihilata possit vocaliter orare.

Propter has rationes includunt aliqui, quod anima annihilata, & verè humilis nihil prorsus à Deo debeat postulare; & quamvis id in quibusdam occasionibus verum sit, hoc tamen accipiendum est cum grano salis; itaque illi licet orare, ac Deum pro aliquâ re deprecari cum plena & humili sui in voluntate Dei resignatione, præcipuè dum à Spiritu sancto ad hoc suaviter videtur inspirari & agi; partim quia notoria est voluntas Dei, ut omnes eum aliquando orent, ac deprecentur, nec nisi mediantibus orationibus videtur decrevisse sua dona hominibus elargiri; undè ait Salvator, *petite & accipietis*, & ad suos Discipulos, *usque modo non petistis quidquam*; ubi eos quasi arguit de neglectu orationis; partim, ut per suam supplicationem confiteatur, sese vivere de benignitate & clementia Dei, utpotè quæ indigeat jugi divini auxilij influxu, quo in suo esse, & id ejus amore conservetur, & foveatur.

Ioan. 16. c.

Orandum vocaliter more Beatorum.

Iuxtà directionem & beneplacitum Dei.

Verumtamen, sciendum est, Deum à diversis diversimodè posse orari, aliter nempè à peccatoribus, aliter à suis singularibus amicis, aliter ab animabus, quas sibi specialiter adoptat in sponsas; ut autem perfectiori modo Deum oremus, imitari nos decet Beatos in cœlo; hi non orant, nisi dum cognoscunt Deum velle, ut orent; tuncque in tantum, & non ampliùs orant, quantum vident Deo placere, ut orent; nam sic etiam anima amorosa debet rogare Deum, dum per interiorem instinctum cognoscit Deo sic placere, tuncque oret, seu potiùs Deum in se, & per se orare sinat gemitibus inenarrabilibus quamdiu, quoties, & in quantum à Spiritu Dei ad hoc agi videtur: cæterùm in recitatione Horarum nihil aliud debet intendere, quàm glorificare & laudare Deum, eo modo, quo id faciunt Angeli in cœlo, qui incessanter cantant, *Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus*, &c. Item tali intentione, quali Salvator post ultimam Cœnam cum Discipulis hymnum cecinit.

CA-

CAPUT XLIII.

Anima perfecta debet etiam venerari & invocare sanctos, sine adhæsione in eorum imaginibus; sicut eos Deus veneratur, aut in quantùm Deus in illis est, & operatus est.

ALiqui dicere non verentur, quod anima contemplativa non possit invocare Sanctos, aut aliquid particulare ad eorum venerationem facere, eò quòd, ut aiunt, per hoc impediretur ab immediatâ cum Deo unione, cui solummodò in Spiritu debet adhærere, cætera omnia, nullâ re exceptâ, pro viribus inadvertenter, & sine reflexione dimittendo, & consequenter nullam in se de illis memoriam scienter & volenter fovendo, sed soli, & simplicissimo Deo, unicâ mentis attentione & intentione vacando, eum solum venerando, & invocando: verùm quamvis id locum habere possit tempore actualis cum Deo unionis, & intimæ animæ in ipsum introversionis, liquefactionis, &c. ut alibi tactum est in simili de operationibus sensuum, quos tùm etiam suspendere oportet; tamen extra illud tempus, licet Sanctos venerari, & invocare sine impedimento, aut præjudicio vitæ mysticæ; imò ad id subindè urget obligatio, saltem fidelitatis, dum anima ad id à Deo agitur; neque quis existimet, quod oporteat omni tempore mentem nostram evacuare & denudare ab omnibus imaginibus, seu repræsentationibus Sanctorum, sic ut nullam voluntariam de illis liceat fovere reminiscentiam; hoc quippè dumtaxat verum est in intima oratione; verumtamen, quò, illâ durante facilius nos possimus expedire ab omnibus speciebus, seu præsentationibus imaginarijs; semper cautè advigilandum est, ne illas nimis vivaciter menti imprimamus, illis cum nimiâ complacentiâ adhærendo; sic enim in nostra nos ad Deum conversione notabiliter impedirent.

Error vetantium cultum Sanctorum prætextu unionis cum Deo.

Intermittenda invocatio Sanctorum in intima oratione.

Non tamen, dum quis ad hoc inspiratur.

Cavenda adhæsio ad imagines.

Vultis scire perfectum modum colendi & invocandi Sanctos? imprimis honorandi sunt, in quantùm eos Deus honorat: de hoc honore loquitur Mater Ecclesia ad Dominum, *gloria & honore coronasti eum*; id quod Dominus Deus olim promittens ait, *quicumque honorificaverit me, glorificabo eum*; & Christus in Evangelio, *si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus*; quem honorem in spiritu contemplatus Regius Propheta, *nimis*, inquit, *honorati sunt amici tui Deus; nimis confortatus est principatus eorum*; quocircà, si Deus Sanctos suos adeò honorat, proculdubiò, ejus voluntas est, ut & nos eos honoremus, sicut ipse eos honorat: at quo modo? Sancti honore afficiendi sunt, non in quantum sunt creaturæ, sed secundum esse suum in-

Sancti honorandi, in quantum eos Deus honorat.

1. Reg. 2. 30.

Ioan. 12. 26.

Psalm. 138.

Quia Deus suis gratijs illos extollit.

creatum, quod Deus est; & consequenter, in quantum Deus in illis, est, operatur aut aliquandò operatus est per communicationem suarum gratiarum, seu divinorum charismatum. Si infirmæ conditionis homo à Rege elevetur ad sublimem aliquem statum; ità ut tamquàm legatus Regis pro negocijs regni hinc indè mittatur, sine ulla tergiversatione ab omnibus passim honoratur; imò regia magnificentia excipitur, non jam attendendo ad nativam ejus conditionem, quæ vilis est, sed quia jam à Rege nobilitatus, ejusque personam repræsentans, magno honore dignus censetur: ità ut quisquis hunc nobilem laudat, & honorat, non tam illum laudare & honorare putetur, quàm ipsum Regem, nobilitatis & excellentiæ illius auctorem: Eodem modo, dum quivis homo, ex natura fragilis, abjectus, & in omne malum proclivis à Deo sublimatur ad insignem sanctitatem; ita ut in Ecclesia Dei mereatur poni *super candelabrum, ut omnes, qui ingrediuntur, lumen* illius *videant*, & cognoscant, quod sit singularis amicus Dei, omnis generis virtutibus excellenter ornatus, potens opere & sermone apud Deum & homines, ac in suis orationibus efficax, tum cultu duliæ eum venerari oportet, non habito respectu ad naturam illius (de se enim nihil est, & nihil potest) sed in quantum Deus in illo est, non solum per essentiam, potentiam & præsentiam, prout est in omnibus creaturis, & ut sic in illis etiam honorari & adorari potest; sed etiam alio speciali modo per gratiam, seu per supernaturales operationes divinæ charitatis in illo.

In Legato Regis, honoratur Rex.

In Sanctis honoratur Deus, utpotè specialimodo in illis præsens & operans.

CAPUT XLIV.

Deus est magis honorandus in Sanctis, quàm in alijs creaturis; ac magis in majoribus Sanctis; & quarè hoc?

Modo prædicto considerando Sanctos, dum eos colimus & invocamus, non tam ipsos Sanctos colimus, quàm Deum ipsum, qui *est gloriosus in Sanctis suis*; nam *mirabilis Deus in Sanctis suis*; atque illa consideratione, Deum majori honore prosequi oportet in Sanctis, quàm in alijs creaturis; plus illi laudis, gloriæ & honoris debetur in insignioribus Sanctis; quàm in minoribus, & consequenter plus in Deiparâ Virgine, quàm in omnibus Sanctis simul; eò quod Deus in illâ sit admirabilior, sanctior, & gloriosior, quàm in omnibus Sanctis simul; quorum omnium ratio est, quia Deus tantò amplius in aliquibus locis vel creaturis debet & cupit honorari, quantò singulariori modo in illis præsens est, aut se notabiliùs manifestat.

Deus magis colendus in Sanctis.

Plus in D. V. quàm in omnibus Sanctis simul.

Dùm

Dùm olim Deus apparebat Patriarchæ Jacob, ostendens ei *scalam*, *cujus summitas cælos tangebat, & in eâ Angelos ascendentes & descendentes*, promptè clamabat, *terribilis est locus iste, non est hic aliud, nisi domus Dei & porta cæli; verè etenim Dominus est in loco isto, & ego nesciebam*; nec mora, ut Deum ibi sese specialiter manifestantem specialiter honoraret, *erexit ibi altare Domino*. Insuper, dum *apparuit* Deus Moysi *in flamma ignis de medio rubi*, vetabatur Moyses appropinquare, & jubebatur solvere calceamenta de pedibus suis, in signum singularis reverentiæ, quam illi loco debebat, cujus illi dabatur ratio; *locus enim in quo stas, terra sancta est*; quarè sanctior, quàm alia loca, quibus etiam Deus est præsens? quia Deus in illo, extraordinario modo, suam præsentiam manifestare dignabatur: Simili etiam modo Sanctis majorem venerationem debemus, quàm alijs creaturis, ac tanto majorem, quantò Sancti sunt excellentiores; eò quòd Deus in illis & per illos mirabiliùs operetur, ac per communicationem suarum gratiarum, suam munificentiam, magnificentiam & gloriam copiosiùs manifestet, ea intentione, ut in illis magis honoretur, & glorificetur; nam Deus est, *qui glorificetur in consilio Sanctorum*.

Deus locum scalæ à Jacob volebat specialiter coli. *Gen. 28. 16. Exod. 3. 4.*

Rubus Moysi commendatur specialiter colenda.

Ob quam causam.

Cur Sancti colendi.

Psalm. 88.

Propter similem rationem summa exhibenda est reverentia Augustissimo Eucharistiæ Sacramento; quia increatum Verbum æterni Patris, & consequenter ipsa Divina natura ibidem sub speciebus Sacramentalibus hypostaticè unita est humanitati.

Cur Deo major reverentia habenda in V. Sacramento.

Ex quibus clarè colligere licet turpem errorem aliquorum mysticorum, qui nolunt admittere differentiam in cultu Sanctorum, aut in adoratione, seu veneratione Dei, uno potius loco, quàm alio; imò eo temeritatis deveniunt, ut dicant Deum æquè honorandum & adorandum in aliquo lapide, & arbore, quàm in templo coram venerabili Sacramento, cùm, ut aiunt, Deus sit ubique præsentissimus, tam benè, ac in templo; quorum error vel ex indè convincitur, quod, licet Deus sit ubique, tamen singulari modo est in aliquibus locis, vel alijs creaturis, in quibus proindè specialius vult coli, & adorari; atque ideò est sacrilegium, violare loca sacra, in illis aliqua crimina patrare, Sacramentis abuti; vel Sanctorum imagines inhonorare: id quod non esset, si non foret obligatio Deum colendi in illis magis, quàm in alijs: itaque *laudate Dominum in Sanctis ejus*, tanquàm in sacrarijs, ac templis ejus spiritualibus, & veneramini Sanctos tamquàm templa Dei.

Error aliquorum volentium Deum non magis colendum in templo, quàm in arbore &c. convincitur.

CA-

CAPUT XLV.

Quomodò Sancti colendi, ut vasa gratiarum, ut amici Dei; sicut eos Deus honorat, exemplo Sanctorum.

Sacræ Imagines non colendæ cultu latriæ, etsi Deum in Sanctis colamus plusquam ipsos.

Sancti colendi ut amici Dei.

Deo gratus est cultus Sanctorum.

FOrtè dicet aliquis, si in Sanctis oporteat principaliter honorare Deum, quarè illorum imaginibus non exhibemus cultum latriæ? respondeo rationem esse, nè quis existimet nos colendo sacras Imagines idololatriam committere; Deindè veneramur in Sanctis dona, & participatas perfectiones Dei; ac colimus Sanctos tamquàm vasa, in quibus gratiæ Dei sunt absconditæ: ac proindè, cum ut sic, respiciamus Sanctos tamquàm creaturas, minorem quàm Deo, illis cultum debemus: Deindè dum colimus & invocamus Sanctos, eos colimus & invocamus ut amicos Dei, & consequenter ut aliquid à Deo distinctum; nec dudium, quin Deus sibi complaceat in honore à nobis, ipsis ut ejus amicis exhibito: Principi alicui gratum est, dum omnibus ejus domesticis habetur respectus, specialiter autem delectatur, dum intimis ejus amicis, prolibus, vel uxori singularis honor defertur, quin-imò id reputat tamquàm sibi personaliter factum, ægrè caperet si in occasionibus illis honor non haberetur: Eodem modo, Deus Pater omnipotens & *Rex magnus super omnes Deos* gratum habet, quod omnes sui fideles honore invicem præveniant, vel ut cives Sanctorum & domestici Dei, atque ad imaginem & similitudinem Dei creati, præcipuè autem commendatum desiderat cultum Sanctorum; ad quem attendens regius Propheta admirabundus clamabat, *nimis honorati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum.*

Psalm. 138.

Cultus Sanctorum à Deo provenit, & ex ejus inspiratione.

Sancti maximè mystici coluerunt Sanctos.

In cultu Sanctorum vitandum proprium interesse.

A quibus illis tantus honor? ab ipsomet Deo, & ab hominibus à Deo ad hoc inspiratis; nam qui à majoribus coluntur, possunt etiam à minoribus honorari, sic de multis Sanctis legere est, qui ergà alios Sanctos insigni ardebant devotione; omnibus notoria est tenerrima S. Theresiæ ergà S. Josephum devotio; quem in omnibus suis fundationibus patronum statuebat, & in omnibus suis necessitatibus fiducialiter invocabat: Sancta nostra Soror *Magdalena de Pazzi*, excellenter erat devota Sanctis Angelo, Augustino, & alijs, præsertim autem Virgini Matri; quapropter exemplo illarum Sanctarum, quæ ità immediato, & exstatico amore in Deum ferebantur tamquam in Sponsum suum longè amabilissimum, atque in vitâ mysticâ adeò excellebant, ut veluti ejusdem magistræ & doctrices in Ecclesiâ Dei habeantur, etiam nobis sine præjudicio sincerissimæ Deiformitatis, licet colere, venerari & implorare Sanctos, modò nos ab omni, in eo, proprio inter-

interesse expediamus, nec quidquam aliud intendamus, quàm voluntatem seu beneplacitum Dei, ità ut semper meminerimus Deum omnis sanctitatis fontem magis honorare, quàm torrentes, & rivulos? quamquàm interim certum sit, nos, dum rivulos colimus, etiam fontem venerari in rivulis.

CAPUT XLVI.

Invocatio Sanctorum, & cultus sacrarum imaginum possunt & debent etiam fieri à perfectis, sine præjudicio puri amoris Dei.

VAldè temerariè, & non sinè periculo blasphemiæ dicunt aliqui Sanctos, dum adhuc in mortali corpore degentes colebant alios Sanctos, & ex vehementi impetu & fervore spiritûs multas indies fundebant preces vocales, deviâsse à verâ perfectione, & eatenus valdè imperfectè sese gessisse; quid-ni enim preces illæ & veneratio Sanctorum in ipsis consistere potuissent cum perfecto amore Dei? quid-ni sacras imagines venerari, & ad eas opem Sanctorum implorare liceret, imò & sæpè oporteret? alioqui sanè sacræ imagines tollendæ; id quod Christianæ & Catholicæ doctrinæ adversatur.

Malè aliqui dicunt Sanctos vocaliter orantes, in eo minus fuisse perfectos &c.

Dices fortassis, non vitupero quidem devotionem ergà Sanctos, at soli incipientes & imperfecti defectu melioris occupationis in Deo, se in illâ debent exercere; perfecti verò transcendere debent super omnes imagines & rerum, etiam sacrarum, similitudines, suspensi & spiritu in Deo elevati absque voluntariâ reflexione ad aliquid aliud; verùm, peto à te; quid si major pars fidelium sublimi illo spiritu ageretur, vel si in aliqua similium spirituum congregatione degeres? annè sacras Imagines tollendas putares? videtur, quod sic; verùm hoc malè sonat; id enim favere videtur hæreticis iconoclastis, qui eâ ratione sacras Imagines abolere, & Sanctorum invocationem abrogare nituntur, quod ad Deum immediatè refugiendum sit, & frustrà, imò malè, Sancti invocentur, ubi solus Deus plusquam sufficit, & unicum ac præsentissimum omnium hominum debet esse refugium: at hæc doctrina est de malè sonantibus, cum constet conformiter sensui Sanctæ Matris Ecclesiæ, & quotidianæ experientiæ, Deum sibi complacere in cultu Sanctorum, ac sacrarum Imaginum, atque ab æterno decrevisse, mediantibus Sanctorum meritis & intercessionibus, plurimas hominibus gratias & beneficia impertiri; quocircà nos discere oportet, qualiter Sanctos in suis Imaginibus, & Deum in Sanctis suo tempore perfectè

Replica eorum.

Error hæreticorum vetantium cultum Sanctorum & Sacrarum Imaginum.

Confutatur.

fectè colere liceat, nimirùm attendendo solùm ad id, quod in Sanctis divinum est, illudque in illis venerando; sic enim Imagines Sanctorum nos à Deo non mediarent, prout alibi ostendimus; Deindè animæ ad perfectionem proximè aspirantes, utpotè, ex hypotesi, in omnibus, Spiritu Dei acti & directi, in cultu sacrarum Imaginum & invocatione Sanctorum sese gerere debent, secundùm directionem, & ex instinctu divini Spiritûs, sicuti in cæteris omnibus.

Modus perfectè colendi Sanctos.

Perfecti colunt & invocant Sanctos ex instinctu Dei.

Taliter indubiè, ac divino Spiritu actu Sancti sæpè venerantur Imagines aliorum Sanctorum, eorumque opem implorant, & non raró preces vocales multiplicant; in quibus, quis sine temeritate eos minoris perfectionis arguat, cum in illis, ut in alijs agendis, tanquàm filij Dei, Spiritu Dei agantur, & quis quærat, cur Deus ità velit? legitur, quod Sanctus Evangelista Lucas plures pinxerit Imagines Salvatoris, ac Virginis Matris; imò quod semper hujus Sacratissimæ Virginis iconem, devotionis ergò, secum deferre consueverit: Seraphica Mater *Theresia* speciali ergà Imagines passionis Dominicæ devotione æstuabat; similia de plurimis alijs Sanctis referuntur; imò Beatissima Virgo Deipara, post Filij resurrectionem, illius Imaginem penes se habuisse, & singulari devotione coluisse traditur; cujus exemplo, jam indè ab initio, semper in Ecclesia viguit usus sacrarum Imaginum; quocircà non est dubium, quin invocatio Sanctorum & cultus sacrarum Imaginum peroptimè fieri possit sine detrimento perfectionis aut impedimento divini amoris; alioqui enim Mater amabilis, Apostoli, alijque Sancti, qui in amore Dei tantoperè excelluerunt, & in omni perfectione consummati fuerunt, suo nos exemplo non docuissent. Nemo etiam dicat Sanctum *Angelum*, v. g. minus perfectum fuisse, dum indies præter pensum divini officij, integrum Psalterium flexis genibus recitabat; & sic de alijs; præsumendum quippè est, Sanctos in similibus à divino Spiritu actos & directos fuisse, sicut in suis raptibus, mentis excessibus & alijs mirabilibus fuerunt ab eodem acti & directi; Deus enim operabatur in illis pro suo beneplacito, cui ipsi perfectissimè se conformabant.

Sancti sic coluerunt alios Sanctos.

S. Lucas pinxit imagines Salvatoris & D. V.

D. V. colebat imaginem Filij.

Indè cultus Sacrarum Imaginum in Ecclesiâ.

S. Angelus ex instinctu Dei recitabat indies Psalterium.

CAPUT XLVII.

Qui Deum intimè diligit, & ab eo regitur, quævis exercitia facit sine impedimento perfectionis, indifferenter sine adhæsione.

VIs uno verbo scire, quomodò hæc & similia activa exercitia fieri debeant? *ama, & fac quod vis*, nimirùm, in Charitate, per Charitatem;

S. August.

tem, & cum Charitate; nam *qui manet in Charitate, in Deo manet, & Deus in eo*; 1. Joan. 2.
Et verò si Deus in animâ manens; ibidem thronum suum possit stabilire, & dominari omnibus animæ potentijs; sic, ut ipsi dicere liceat, *Dominus regit me*, ad quodcumque porrexerit manum suam, totum perfectissimè operabitur; quippè non est jam ipsa, quæ operatur, orat, aut loquitur, sed Spiritus Dei operatur, orat & loquitur in illâ, pro suâ bonâ voluntate; atque ità non tam ipsa honorat Sanctos, & colit Imagines, quàm benè Deus per illam, non tamen sine illâ, Deus enim operatur omnia in illâ per illam, & cum illâ: & ideò *nihil ei deerit* in ullâ perfectione, nihil illam impediet in amorosâ suâ ad Deum conversione; erit ipsi indifferens, sive vocaliter oret, sive meditetur, sive contempletur, sive veneretur Sanctos in suis Imaginibus, sive non; siquidem in omnibus agendis vel omittendis acquiret perfectam indifferentiam; ità ut in omnibus indifferenter, sine adhæsione ad aliquid, sese exercere poterit: id quod benè notandum est; quippè dum anima nulli rei adhæsivè afficitur, innititur, aut naturali requie insistit, nullæ illi Imagines, nulla objecta aut exercitia nocere possunt; at dum in aliquo vanè & adhæsivè quiescit, aut innititur, tum ei quævis Imagines etiam nobilissimæ, quævis res etiam divinissimæ, quævis exercitia etiam perfectissima afferunt impedimentum, & inter animam & Deum ponunt medium.

Perfecti in Charitate sciunt sine impedimento honorare & invocare Sanctos.

Deus enim operatur omnia in ipsis.

Perfecti sunt indifferentes ad orandum vocaliter vel mentaliter.

Sola adhæsio ad creaturas quascumque impedit animam.

CAPUT XLVIII.

Quandonam Imagines etiam Passionis Dominicæ sint nocivæ animabus contemplativis, quandò non.

NOnnulli hìc faciunt differentiam inter Imagines, dicentes animam contemplativam sese debere evacuare ab omnibus imaginibus, seu repræsentationibus imaginarijs, aut etiam intellectualibus quarumcumque rerum etiam spiritualium & divinarum, imò etiam Sanctissimæ Trinitatis, ac Divinitatis, exceptâ, ut aiunt, imagine Passionis Dominicæ, seu Christi patientis; verùm in quo consistat hæc differentia, non video; nam vel anima præbebit in se locum Imagini Passionis Christi, cum affectu adhæsivo & naturali ac propriâ industriâ, vel non? si cum affectu adhæsivo, &c. etiam Imagines Passionis Christi illi erunt impedimento; non minùs, quàm imaginationes aliarum rerum, etiam Sanctissimæ Trinitatis ac Divinitatis, si illis anima afficiatur cum adhæsione; siquidem illa adhæsio & naturalis sagacitas faciunt, ut imagines, seu repræsentationes imaginariæ causent medium seu impedimentum inter Deum & animam, & consequenter omne nostrum impedimentum à nobis ipsis provenit potiùs, quàm ab imaginibus.

Imagines Passionis Christi æquè impediunt unionem mysticam, ac aliæ, si anima illis adhæsivè afficiatur.

Contrà aliquos.

Omne impedimentum unionis mysticæ à nobis,

non ab imaginibus.

Quod si anima Imaginem Passionis Christi, seu Christi patientis in se habeat sinè adhæsione, sinè nimis naturali attractione aut reflexione, Imago illa nequaquam eam impediet; non magis, quàm si non esset; posito etiam, quod Imago Divinitatis, aut Sanctissimæ Trinitatis tali modo in animâ inveniretur, per eam nullatenùs ab immediata Dei adhæsione præpediretur, non magis, quàm si talis Imago non esset; nam anima per nihil aliud potest impediri, aut à Deo mediari, nisi per id, cui adhæsivâ reflexione afficitur, aut naturali & propriâ inclinatione innititur, aut in quo extrà Deum nimio affectu quiescit, qualecumque illud esse posset; verùm de his alibi plura dixisse memini; quarè hìc supersedeo.

Vbi non est adhæsio, nulla creatura impedit animam.

CAPUT XLIX.

Semper debemus esse solliciti, nè decipiamur, maximè à diabolo.

Nemo, etiam perfectus liber à tentatione.

PRofectò ex omnibus hactenùs dictis clarè patet, quod tentatio sit vita hominis super terram, & quod nemo quantumcumque perfectus diu liber maneat à tentationibus, sed unusquisque sollicitè debeat advigilare, nè circumveniatur, præsertim subtilibus tricis, & adinventionibus proprij amoris, qui ubique se ingerit, & instar olei penetrat, conando habere partem in omnibus; maximè autem omnibus cavendum est ab insidijs diaboli sese non rarò *transfigurantis in Angelum lucis*; plurimæ quippè animæ ab eo sub specie boni indies decipiuntur, quas in aperta mala pertrahere non potest: Apostolus nos ad sollicitas contrà insidias diaboli excubias agendas monitos volens ait, *non est nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem, sed adversus principes tenebrarum*; non quod nullas à carne tentationes patiamur (contrarium enim experimur) sed quia lucta cum carne & sanguine non est præcipua, comparatione factâ cum insidijs, tentationibus, & insultationibus diaboli; cujus ratio esse potest, quia insidiæ & impugnationes diaboli sunt magis fraudulentæ, ignotæ & occultæ, quàm tentationes carnis; contrà quas, utpotè valdè sensibiles, nos meliùs præmunire, & arma spiritualia faciliùs capessere possumus; at tegnæ, astutiæ & insidiæ diaboli, utpotè à spiritu adinventæ, non ità cadunt in sensum, ac proindè sunt magis metuendæ, nè fortè, dùm minùs cogitamus, circumveniamur, & ex improvisò opprimamur, defectu vigilantiæ aut armaturæ spiritualis. Ut in lucta adversus Principem tenebrarum non decipiamur, Princeps Apostolici Agminis nos monet de instanti periculo; audi, quibus verbis, *adversarius*, inquit, *vester diabolus tamquam leo rugiens circuit, quærens, quem devoret*; Ecce Princeps Apostolorum

Proprij amoris insidiæ. 2. Cor. 11. c.

Eph. 6.

Lucta cum satanâ sub specie boni metuenda magis, quàm cum carne.

Quare?

1. Pet. 5. 8.

lorum nobis detegit periculum, in quo omnes milites Christi continuo versantur, nè fortè ejus ignari, incauti pereamus in illo, *diabolus* inquit, *circuit*, quo modo? *tamquam Leo rugiens*, *quærens*, utique alicubi ovem innocentem, quam devoret, animam devotam, quam unguibus subjiciat, subjectam mactet & vitâ gratiæ privet.

CAPUT L.

Princeps Apostolorum nos commonefacit, quod civitas animæ nostræ sit obsessa à diabolo; quæ providetur de armis spiritualibus.

ADversarius, inquit Princeps Apostolorum, *vester diabolus tamquàm leo rugiens circuit:* his verbis videtur nos certiores facere de obsidione animæ nostræ, in quo videtur exercere officium vigilis; sicuti enim fidelis agens excubias ad mœnia civitatis, dum manè diluculo cernit civitatem ab exercitu inimicorum cinctam, ità ut incipiant appropinquare, & fossas mœniorum explorare, ut à parte minus profundâ, & magis infirmâ aggrediantur, invadant & spolient, illicò dat signum indicans obsidionem inchoatam, quatenùs pulsetur ad arma, & omnes cives per ordines disponantur, sese contrà instans periculum armaturi, & civitatem ab hostibus defensuri: Ità etiam Princeps Apostolorum probè sciens vitam hominis esse militiam super terram, ac diabolum specialiùs insidiari pijs animabus, ut exploret, quânam ex parte sint infirmiores, quatenùs eas indè aggrediatur, invadat, & thesauris gratiarum spoliet, videtur nos provocare ad arma, & obsidionem à diabolo formatam innuere, eâ intentione, ut nos ad sacras vigilias exstimulet, & animet ad resistendum, undè ait, *fratres sobrij estote & vigilate*, *quia adversarius vester diabolus tamquàm leo rugiens*, *&c. cui resistite fortes in fide.*

Anima piorum est velut civitas obsessa à diabolo.

S. Apost. Petrus monet vigilandum & ad resistendum diabolo.

Giëzi sancti Prophetæ Elisæi discipulus olim *consurgens diluculò egressus est*, *viditque exercitum in circuitu Civitatis*, *& equos & currus*; quid indè? *nunciavit Elisæo dicens*, *heu*, *heu Domine mi*, *quid faciemus*? significans civitatem esse obsessam; eodem modo sanctus Petrus illuminatis oculis reflectens ad pericula animarum propter obsidionem à diabolo factam, eam nobis annunciat; quidem plures à Deo tacti, cum Elisæo fugiunt in medium Samariæ, id est, juxtà etymologiam nominis, custodiæ, veniunt, inquam, ad Religionem, quæ etsi instar fortissimæ Civitatis triplicibus mœnibus trium votorum, & optimarum observantiarum antemurali, ac solidarum virtutum propugnaculis religiosos muniat; ipsi tamen necdum sunt ex omni parte securi,

Giëzi nunciat urbem obsessam.

S. Apost. Petrus sic nunciat animam à dæmone obsessam.

Religio civitas munita.

Sed à diabolo obsessa.

securi, sed tum maximè *adversarius eorum diabolus tamquàm Leo rugiens circuit*, adducens secum plures alios malignos spiritus, ut illis insidientur, & aliquem ad eos intrandi aditum invenire queant.

Monasterium visum plenum & cinctum dæmonibus.

Quidam ex antiquis deserti Patribus aliquandò prætergrediens, quoddam monasterium, videbat millenos dæmones in muris, in tectis, intus & foris vagari, & discursare, ut Monachos ibi habitantes tentarent, varijsque modis in malum pertrahere, & à multis bonis impedire studerent, & de facto hæc unica eorum erat occupatio, hoc unicum studium; ut vel indè intelligamus, quam meritò nobis annuncietur, adversarium nostrum diabolum obsidere animas nostras etiamsi aliqui in medio Samariæ, in fortalitio Religionis sat benè custoditas; an ideò dejiciendus animus? an ideò cum Giëzi pavescendum & exclamandum, *Heu! heu! quid faciemus?* nequaquam, nisi fortè, ut ad arma spiritualia capessenda consilium ineamus, & ponentes *adjutorium nostrum in nomine Domini*, contrà inimicos nostros generosi descendamus in prælium, cum plenâ spe obtinendæ victoriæ; quippè, ut omnem metum pellamus, ex parte Dei nobis intimari videtur id quod Elisæus olim formidoloso suo inculcabat Discipulo, dicens *noli timere, plures enim nobiscum sunt, quàm cum illis*, utique plures Angeli boni à Deo nobis in adjutorium missi; nec verò desunt nobis arma in quibus cum Dei auxilio confidamus; ità ut quilibet nostrum meritò ac fiducialiter clamare possit ad Dominum, *si consistant adversum me castra, non timebit cor meum; si exurgat adversum me prælium, in hoc ego sperabo* obtinere victoriam.

Religio est spiritualis Samaria.

Non timendum ob luctam cum dæmonibus.

Ibidem.

Psalm. 26.

S. Theresiæ fortitudo & audacia contrà dęmones.

S. Antonius docet, quid diabolus timeat.

Iacob. 4.

Diabolus instar mulieris iratæ fugit, dum illi resistitur.

Armis spiritualibus confisa heroïca Virgo Theresia irridebat dæmones velut muscis infirmiores, & aquâ benedictâ, ac signo Crucis abigebat, non magis eos formidans, quàm muscas: de his armis dicebat S. Antonius, *credite mihi fratres, pertimescit satanas piorum vigilias, orationes, jejunia, fidem, obedientiam, maximè autem ferventem in Deum Charitatem*: itaque, non est, quod metuamus, solummodò nobis practicandum est consilium Beatissimi Jacobi Apostoli, *resistite diabolo*, nec dubitetis, quin, *& fugiet à vobis*; equidem ex sententiâ Sancti Patris Ignatij, diabolus est similis mulieri præ irâ excandescentis, quæ si videat sibi à nemine resisti, despumat iracundiam suam, furit & debacchatur; at si ei fiat resistentia, faciliùs cadit animo, & abscurrit.

CA-

CAPUT LI.

Regula monastica est velut collum corporis Religionis & turris munitissima de omnis generis armis optimè provisa; quibus Sancti fœliciter usi sunt.

VIs scire, quibus armis sit utendum & ubinam ea invenies? Regula monastica, illa suppeditat abundè, & in quâvis benè regulatâ Religione optimus eorum viget usus. Verè Matri Religioni dicere licet, id quod Sponsus in Canticis ait ad Sponsam, *collum tuum sicut turris David, quæ ædificata est cum propugnaculis, mille clypei pendent ex eâ, omnis armatura fortium*; equidem quid aliud est collum hujus Matris, quàm Regula, per cujus observantiam veluti per collum ex capite mystico, Christo, copiosæ gratiarum influentiæ in bonos Religiosos velut in membra optimè disposita derivantur? Igitur Regula, est turris David, ex qua pendent mille clypei, & omnis armatura fortium: at qui sunt isti clypei? quæ armatura? qui fortes eis usi sunt? illi clypei sunt actus regulares, illi clypei sunt spiritualia exercitia, orationes &c.

Collum Religionis est Regula.

Cant. 4. 3.

Turris David cum propugnaculis.

Per observantiam Regulæ derivantur gratiæ in Religiosos.

Armatura, est cingulum Castitatis, scutum fidei, pectorale sanctarum cogitationum, lorica justitiæ, galea salutis, gladius Spiritus, hæc sunt, arma spiritualia, quibus fœliciter usi sunt quotquot fuerunt de numero eorum, de quibus Salvator ait, *regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*; tales Viri fortes fuerunt Sanctissimi Patres Elias & Elisæus, alijque quamplurimi, qui in solitudinibus morabantur, in speluncis & in cavernis terræ, pellibus vestiti, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus; hi primi fuerunt Religiosorum qui carnem suam crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs: Isti & omnes alij Sancti nihil charius habuerunt, quàm prædictis armis carnem domare, mundum superare, & de diabolo victoriam reportare, pro ut plus quàm notorium est ex modo illorum vivendi, quem nobis imitandum reliquerunt.

Matt. 11.

Sancti illâ usi fuerunt.

Petes fortè, quid, quæso, sincerus servus Dei cum his armis efficiet? ad quod servire potest pro responso illud Salvatoris, *dum fortis armatus custodit atrium suum: in pace sunt omnia, quæ possidet*, quocircà si fidelis Dei famulus, indutus armaturâ Dei, vigilanter possideat atrium animæ suæ omnesque ejus portas & fenestras; omnes inquam, animæ vires & sensus prudenter custodiat, magnâ fruetur internâ requie, *sedebit in pulchritudine pacis*; *in pace* & tranquillitate *erunt omnia, quæ possidet*; eò quòd gaudeat testimonio bonæ conscientiæ, & omnes malæ inclinationes, prava desideria, & passiones imperio

Luc. 11.

Animæ de spiritualibus armis provisæ gaudent pace internâ.

imperio rectæ rationis subjugatæ internam quietem turbare, ac animæ pacem frangere nequeant; solummodò superest, ut scientes nos cinctos & quasi obsessos à leone infernali rugiente attendamus, an sufficienter simus armati, & an ad turrim nostram spiritualem soleamus confugere, ibidem apprehensuri scutum fidei, vel alia arma spiritualia; quod si necdum simus benè armati, nobis providere oportet; vita quippè nostra est hora inimicorum nostrorum, & potestas tenebrarum, non ut totaliter nos opprimant & dejiciant, sed ut continuum nobis bellum intentent. Deo sic providente & permittente, ut, mediante gratiâ ipsius, legitimè certantes tandem coronari mereamur.

CAPUT LII.

Qualiter nos contrà inimicos nostros armare oporteat, nè in servitutem redigamur.

Ecce Pluto infernalis venit ad animam devotam cum viginti millibus, id est, multiplici dolo, astutiâ, tentatione, intus & foris, manus auxiliatrices ferentibus pravis animæ concupiscentijs, quæ velut hostes domestici castrum animæ non rarò produnt; quocircà attendamus, an cum decem millibus, id est animo infirmo & voluntate in bono parum firmatâ occurrere & competentem resistentiam facere possimus: sanè timendum est, nè defectu armorum spiritualium, aut usûs eorumdem, obligemur fugam capere, & iniquam pacem inire: quam pacem? pacem, de qua libro primo egimus, quam nonnulli cum diabolo ineunt per consensum in peccatum, per condescendentiam in aliquas conditiones, vi quarum ab illo captivi detinentur, facti mancipia ad ejus voluntatem: porrò nè pacem tam iniquam inire cogamur cum diabolo, malis ejus suggestionibus consentiendo, vel cum mundo, fraudulentas ejus voluptates sequendo, vel cum nostrâ naturâ corruptâ, prava ejus desideria sectando, induere oportet arma lucis.

Malæ concupiscentiæ & passiones sunt hostes domestici.

Pax iniqua cum diabolo, mundo & carne.

Vitanda per usum armorum spiritualium.

At quo modo? modum nos docet Regula Carmelitarum, dum ait, *omni sollicitudine studeatis indui armaturâ Dei*; non dicit magnâ, sed *omni sollicitudine*; nec mirùm, res enim summi momenti est, à qua æterna animæ salus dependet; nè igitur dividamus sollicitudinem nostram ergà res multas; omni enim sollicitudine opus est in studio induendi armaturam Dei; in quem finem? *ut possimus stare adversus insidias inimici*: perpende quantâ alacritate, diligentiâ & solertiâ arriperet arma strenuus aliquis miles, si eum ex improviso, & inermem hostis tentaret invadere, vel in duellum vocare; recogita, quantâ sollici-

Cap. 14.

Quali sollicitudine arma spiritûs capessenda.

Eph. 6. 11.

ſollicitudine mercatores ſua exerceant commercia, quantâ ſedulitate nautæ navim regant contrà obortas tempeſtates; ut vel indè colligas non minori te ſollicitudine, diligentiâ debere induere armaturam Dei, utique *cingulum Caſtitatis*, pectorale ſanctarum cogitationum, *loricam juſtitiæ*, ſeu dilectionem Dei & proximi, ſimiliter *ſcutum fidei*, Deum ubique per fidem habendo præſentem; Item *Galeam ſalutis*, de ſolo Salvatore ſperando ſalutem, omnem fiduciam in ſolo Deo habendo, ac de fragilitate planè diffidendo; nec uſpiam deſit *gladius Spiritus, quod eſt Verbum Dei*; ſed illud *abundanter habitet in ore & in corde tuo* quin etiam, *quæcumque tibi agenda ſunt in Verbo Domini fiant*; equidem hæc eſt armatura Dei, hæc ſunt arma ſpiritualia, quibus munitus verus & fidelis Chriſti Miles, invictus *ſtare poterit adverſus inſidias inimici*, contrà aſtutias diaboli, contrà fallacias mundi, contrà illecebras carnis, ut tandem, vitæ præſentis fœliciter conſummato certamine, conſequatur coronam gloriæ. Qualiter utendum ſpiritualibus armis.

CAPUT LIII.

Concluſio hujus Tractatus & Libri ſecundi.

NEmo militans Deo, & piè in Chriſto vivere deſiderans prædicta arma ſpiritualia abjicere poteſt: nam teſte Apoſtolo, *omnes* (nemine excepto) *qui piè volunt vivere in Chriſto, perſecutionem patientur*; & ſine illis & ſimilibus armis non poſſunt aciem ſuſtinere contrà inſidias, & impugnationes perſequentium; nec verò dubites, quo meliori modo illis uti liceat & conveniat; quippè toto hujus ſecundi libri contextu opportuni docentur modi, & inſidiæ ac aſſultus inimicorum partim deteguntur, partim ad vivum exprimuntur: etenim ſi in militia Chriſtiana adhuc ſis tyro, & piè in Chriſto vivere incipias, in primo & ſecundo hujus libri Tractatu invenies perſecutiones, ſeu tentationes incipientium, & unà diſcere licet, qualiter eas fœliciter poſſis perfringere; Si in piâ vitâ in Chriſto aliquantulum profeceris; ecce, in tertio Tractatu in lucem prodeunt tentationes proficientium, nec non præſcribuntur remedia, quibus eas ſtrenuè ſuperes; Quod ſi pia vita in Chriſto te ad aliquam perfectionem evexerit; ne te ideò ab omnibus inſidijs, aſtutijs, perſecutionibus ſeu impugnationibus inimicorum, & tentationibus liberum & immunem exiſtimes, ecce, hæ aliquo uſque in hoc quarto Tractatu depinguntur; ut ſcias, quia nullus, quantumcumque perfectus, ſtatus animæ, ab infeſtationibus ſatanæ eſt exemptus, cum Spiritus ſanctus in ſacro Textu ſine ulla exceptione dicat, *tentatio eſt vita hominis ſuper terram*; nec minus ad propoſitum inſinuat Apoſtolus, quod

Arma ſpiritualia omnibus neceſſaria.

In hoc libro docetur modus ijs benè utendi.

Pro incipientibus.

Pro proficientibus.

Pro perfectis.

Angelus satanæ non raró *se transfiguret in Angelum lucis*; quoties nimirùm, sub pretextu & specie boni, conatur animam alioqui illuminatam & ad perfectionem divini amoris properantem seducere, & quasi sensim sine sensu ad malum pertrahere; porrò ejus astutiæ; & occultæ insidiæ hîc deteguntur, Prov. 1. 6. & unà præscribitur, qualiter eas securè possis evadere; ut vel sic verificetur, quòd *frustrà jaciatur rete antè oculos pennatorum*.

Solummodò superest, ut omnibus piè in Christo vivere volentibus exhortando dicam, & cum Apostolo concludam, *induite armaturam Dei* (unusquisque prout novit sibi esse necessarium, vel magis conveniens) *ut possitis invicti stare*, & vos tueri, *adversus insidias inimici*; semper memores, quia *omnes, qui piè volunt vivere in Christo, persecutionem patientur*; ità tamen, ut nihil sit timendum; nam omnes, qui piè vivunt in Christo, modis in primo libro allatis, in Christo, id est, per ejus gratiam, optimè foventur, reficiuntur, spiritu roborantur, animantur, armantur, ut in omnibus queant evadere victoriosi; adeò ut legitimè certantes, & quidquid ad vitam spiritualem, perfectam, imò divinam necessarium est, in Christo abundè invenientes, facilè consequi possint coronam vitæ æternæ, quam nobis largiri dignetur Pater æternus per merita unigeniti Filij Jesu Christi; & per intercessionem Matris amabilis. Amen.

Hortatio ad arma spiritualia capessenda.

FINIS.



INDEX

INDEX CAPITVM
LIBRI PRIMI
PIÆ VITÆ IN CHRISTO.

TRACTATVS I.
De Pietate in communi.

TRACTATUS II.

De piâ vitâ in Christo pro Incipientibus.

TRACTATUS III.

De piâ vitâ in Christo pro Proficientibus.

TRACTATUS IV.

De piâ vitâ in Christo pro Perfectis.

Modus perfectè colendi Sanctos.

Perfecti colunt & invocant Sanctos ex instinctu Dei.

fectè colere liceat, nimirùm attendendo solùm ad id, quod in Sanctis divinum est, illudque in illis venerando; sic enim Imagines Sanctorum nos à Deo non mediarent, prout alibi ostendimus; Deindè animæ ad perfectionem proximè aspirantes, utpotè, ex hypotesi, in omnibus, Spiritu Dei acti & directi, in cultu sacrarum Imaginum & invocatione Sanctorum sese gerere debent, secundùm directionem, & ex instinctu divini Spiritûs, sicuti in cæteris omnibus.

Sancti sic coluerunt alios Sanctos.

S. Lucas pinxit imagines Salvatoris & D. V.

D. V. colebat imaginem Filij.

Indè cultus Sacrarum Imaginum in Ecclesiâ.

S. Angelus ex instinctu Dei recitabat indies Psalterium.

Taliter indubiè, ac divino Spiritu actu Sancti sæpè venerantur Imagines aliorum Sanctorum, eorumque opem implorant, & non rarò preces vocales multiplicant; in quibus, quis sine temeritate eos minoris perfectionis arguat, cum in illis, ut in alijs agendis, tanquàm filij Dei, Spiritu Dei agantur, & quis quærat, cur Deus ità velit? legitur, quod Sanctus Evangelista Lucas plures pinxerit Imagines Salvatoris, ac Virginis Matris; imò quod semper hujus Sacratissimæ Virginis iconem, devotionis ergò, secum deferre consueverit: Seraphica Mater *Theresia* speciali ergà Imagines passionis Dominicæ devotione æstuabat; similia de plurimis alijs Sanctis referuntur; imò Beatissima Virgo Deipara, post Filij resurrectionem, illius Imaginem penes se habuisse, & singulari devotione coluisse traditur; cujus exemplo, jam indè ab initio, semper in Ecclesia viguit usus sacrarum Imaginum; quocircà non est dubium, quin invocatio Sanctorum & cultus sacrarum Imaginum peroptimè fieri possit sine detrimento perfectionis aut impedimento divini amoris; alioqui enim Mater amabilis, Apostoli, alijque Sancti, qui in amore Dei tantoperè excelluerunt, & in omni perfectione consummati fuerunt, suo nos exemplo non docuissent. Nemo etiam dicat Sanctum *Angelum*, v. g. minus perfectum fuisse, dum indies præter pensum divini officij, integrum Psalterium flexis genibus recitabat; & sic de alijs; præsumendum quippè est, Sanctos in similibus à divino Spiritu actos & directos fuisse, sicut in suis raptibus, mentis excessibus & alijs mirabilibus fuerunt ab eodem acti & directi; Deus enim operabatur in illis pro suo beneplacito, cui ipsi perfectissimè se conformabant.

CAPUT XLVII.

Qui Deum intimè diligit, & ab eo regitur, quævis exercitia facit sine impedimento perfectionis, indifferenter sine adhæsione.

S. *August.*

VIs uno verbo scire, quomodò hæc & similia activa exercitia fieri debeant? *ama, & fac quod vis*, nimirùm, in Charitate, per Charitatem;

tem, & cum Charitate; nam *qui manet in Charitate, in Deo manet, & Deus in eo*; Et verò si Deus in animâ manens; ibidem thronum suum possit stabilire, & dominari omnibus animæ potentijs; sic, ut ipsi dicere liceat, *Dominus regit me*, ad quodcumque porrexerit manum suam, totum perfectissimè operabitur; quippè non est jam ipsa, quæ operatur, orat, aut loquitur, sed Spiritus Dei operatur, orat & loquitur in illâ, pro suâ bonâ voluntate; atque ità non tam ipsa honorat Sanctos, & colit Imagines, quàm benè Deus per illam, non tamen sine illâ, Deus enim operatur omnia in illâ per illam, & cum illâ: & ideò *nihil ei deerit* in ullâ perfectione, nihil illam impediet in amorosâ suâ ad Deum conversione; erit ipsi indifferens, sive vocaliter oret, sive meditetur, sive contempletur, sive veneretur Sanctos in suis Imaginibus, sive non; siquidem in omnibus agendis vel omittendis acquiret perfectam indifferentiam; ità ut in omnibus indifferenter, sine adhæsione ad aliquid, sese exercere poterit: id quod benè notandum est; quippè dum anima nulli rei adhæsivè afficitur, innititur, aut naturali requie insistit, nullæ illi Imagines, nulla objecta aut exercitia nocere possunt; at dum in aliquo vanè & adhæsivè quiescit, aut innititur, tum ei quævis Imagines etiam nobilissimæ, quævis res etiam divinissimæ, quævis exercitia etiam perfectissima afferunt impedimentum, & inter animam & Deum ponunt medium.

1. Joan. 2.

Perfecti in Charitate sciunt sine impedimento honorare & invocare Sanctos.

Deus enim operatur omnia in ipsis.

Perfecti sunt indifferentes ad orandum vocaliter vel mentaliter.

Sola adhæsio ad creaturas quascumque impedit animam.

CAPUT XLVIII.

Quandonam Imagines etiam Passionis Dominicæ sint nocivæ animabus contemplativis, quandò non.

NOnnulli hìc faciunt differentiam inter Imagines, dicentes animam contemplativam sese debere evacuare ab omnibus imaginibus, seu repræsentationibus imaginarijs, aut etiam intellectualibus quarumcumque rerum etiam spiritualium & divinarum, imò etiam Sanctissimæ Trinitatis, ac Divinitatis, exceptâ, ut aiunt, imagine Passionis Dominicæ, seu Christi patientis; verùm in quo consistat hæc differentia, non video; nam vel anima præbebit in se locum Imagini Passionis Christi, cum affectu adhæsivo & naturali ac propriâ industriâ, vel non? si cum affectu adhæsivo, &c. etiam Imagines Passionis Christi illi erunt impedimento; non minùs, quàm imaginationes aliarum rerum, etiam Sanctissimæ Trinitatis ac Divinitatis, si illis anima afficiatur cum adhæsione; siquidem illa adhæsio & naturalis sagacitas faciunt, ut imagines, seu repræsentationes imaginariæ causent medium seu impedimentum inter Deum & animam, & consequenter omne nostrum impedimentum à nobis ipsis provenit potiùs, quàm ab imaginibus.

Imagines Passionis Christi æquè impediunt unionem mysticam, ac aliæ, si anima illis adhæsivè afficiatur.

Contrà aliquos.

Omne impedimentum unionis mysticæ à nobis,

non ab imaginibus.

Quod si anima Imaginem Passionis Christi, seu Christi patientis in se habeat sinè adhæsione, sinè nimis naturali attractione aut reflexione, Imago illa nequaquam eam impediet; non magis, quàm si non esset; posito etiam, quod Imago Divinitatis, aut Sanctissimæ Trinitatis tali modo in animâ inveniretur, per eam nullatenùs ab immediata Dei adhæsione præpediretur, non magis, quàm si talis Imago non esset; nam anima per nihil aliud potest impediri, aut à Deo mediari, nisi per id, cui adhæsivâ reflexione afficitur, aut naturali & propriâ inclinatione innititur, aut in quo extrà Deum nimio affectu quiescit, qualecumque illud esse posset; verùm de his alibi plura dixisse memini; quarè hìc supersedeo.

Vbi non est adhæsio, nulla creatura impedit animam.

CAPUT XLIX.

Semper debemus esse solliciti, nè decipiamur, maximè à diabolo.

Nemo, etiam perfectus liber à tentatione.

PRofectò ex omnibus hactenùs dictis clarè patet, quod tentatio sit vita hominis super terram, & quod nemo quantumcumque perfectus diu liber maneat à tentationibus, sed unusquisque sollicitè debeat advigilare, nè circumveniatur, præsertim subtilibus tricis, & adinventionibus proprij amoris, qui ubique se ingerit, & instar olei penetrat, conando habere partem in omnibus; maximè autem omnibus cavendum est ab insidijs diaboli sese non rarò *transfigurantis in Angelum lucis*; plurimæ quippè animæ ab eo sub specie boni indies decipiuntur, quas in aperta mala pertrahere non potest: Apostolus nos ad sollicitas contrà insidias diaboli excubias agendas monitos volens ait, *non est nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem, sed adversus principes tenebrarum*; non quod nullas à carne tentationes patiamur (contrarium enim experimur) sed quia lucta cum carne & sanguine non est præcipua, comparatione factâ cum insidijs, tentationibus, & insultationibus diaboli; cujus ratio esse potest, quia insidiæ & impugnationes diaboli sunt magis fraudulentæ, ignotæ & occultæ, quàm tentationes carnis; contrà quas, utpotè valdè sensibiles, nos meliùs præmunire, & arma spiritualia faciliùs capessere possumus; at tegnæ, astutiæ & insidiæ diaboli, utpotè à spiritu adinventæ, non ità cadunt in sensum, ac proindè sunt magis metuendæ, nè fortè, dùm minùs cogitamus, circumveniamur, & ex improviso opprimamur, defectu vigilantiæ aut armaturæ spiritualis. Ut in lucta adversus Principem tenebrarum non decipiamur, Princeps Apostolici Agminis nos monet de instanti periculo; audi, quibus verbis, *adversarius*, inquit, *vester diabolus tamquam leo rugiens circuit, quærens, quem devoret*; Ecce Princeps Apostolorum

Proprij amoris insidiæ. 1. Cor. 11. c.

Eph. 6.

Lucta cum satanâ sub specie boni metuenda magis, quàm cum carne.

Quare?

1. Pet. 5. 8.

lorum nobis detegit periculum, in quo omnes milites Christi continuo versantur, nè fortè ejus ignari, incauti pereamus in illo, *diabolus* inquit, *circuit*, quo modo? *tamquam Leo rugiens*, *quærens*, utique alicubi ovem innocentem, quam devoret, animam devotam, quam unguibus subjiciat, subjectam mactet & vitâ gratiæ privet.

CAPUT L.

Princeps Apostolorum nos commonefacit, quod civitas animæ nostræ sit obsessa à diabolo; quæ providetur de armis spiritualibus.

ADversarius, inquit Princeps Apostolorum, *vester diabolus tamquàm leo rugiens circuit*: his verbis videtur nos certiores facere de obsidione animæ nostræ, in quo videtur exercere officium vigilis; sicuti enim fidelis agens excubias ad mœnia civitatis, dum manè diluculo cernit civitatem ab exercitu inimicorum cinctam, ità ut incipiant appropinquare, & fossas mœniorum explorare, ut à parte minus profundâ, & magis infirmâ aggrediantur, invadant & spolient, illicò dat signum indicans obsidionem inchoatam, quatenùs pulsetur ad arma, & omnes cives per ordines disponantur, sese contrà instans periculum armaturi, & civitatem ab hostibus defensuri: Ità etiam Princeps Apostolorum probè sciens vitam hominis esse militiam super terram, ac diabolum specialiùs insidiari pijs animabus, ut exploret, quânam ex parte sint infirmiores, quatenùs eas indè aggrediatur, invadat, & thesauris gratiarum spoliet, videtur nos provocare ad arma, & obsidionem à diabolo formatam innuere, eâ intentione, ut nos ad sacras vigilias exstimulet, & animet ad resistendum, undè ait, *fratres sobrij estote & vigilate, quia adversarius vester diabolus tamquàm leo rugiens, &c. cui resistite fortes in fide.*

Anima piorum est velut civitas obsessa à diabolo.

S. Apost. Petrus monet vigilandum & ad resistendum diabolo.

Giëzi sancti Prophetæ Elisæi discipulus olim *consurgens diluculò egressus est, viditque exercitum in circuitu Civitatis, & equos & currus*; quid indè? *nunciavit Elisæo dicens, heu, heu Domine mi, quid faciemus?* significans civitatem esse obsessam; eodem modo sanctus Petrus illuminatis oculis reflectens ad pericula animarum propter obsidionem à diabolo factam, eam nobis annunciat; quidem plures à Deo tacti, cum Elisæo fugiunt in medium Samariæ, id est, juxtà etymologiam nominis, custodiæ, veniunt, inquam, ad Religionem, quæ etsi instar fortissimæ Civitatis triplicibus mœnibus trium votorum, & optimarum observantiarum antemurali, ac solidarum virtutum propugnaculis religiosos muniat; ipsi tamen necdum sunt ex omni parte

Giëzi nunciat urbem obsessam.

S. Apost. Petrus sic nunciat animam à dæmone obsessam.

Religio civitas munita.

CAPUT LI.

Regula monastica est velut collum corporis Religionis & turris munitissima de omnis generis armis optimè provisa; quibus Sancti fœliciter usi sunt.

VIs scire, quibus armis sit utendum & ubinam ea invenies? Regula monastica, illa suppeditat abundè, & in quâvis benè regulatâ Religione optimus eorum viget usus. Verè Matri Religioni dicere licet, id quod Sponsus in Canticis ait ad Sponsam, *collum tuum sicut turris David, quæ ædificata est cum propugnaculis, mille clypei pendent ex eâ, omnis armatura fortium*; equidem quid aliud est collum hujus Matris, quàm Regula, per cujus observantiam veluti per collum ex capite mystico, Christo, copiosæ gratiarum influentiæ in bonos Religiosos velut in membra optimè disposita derivantur? Igitur Regula, est turris David, ex qua pendent mille clypei, & omnis armatura fortium: at qui sunt isti clypei? quæ armatura? qui fortes eis usi sunt? illi clypei sunt actus regulares, illi clypei sunt spiritualia exercitia, orationes &c.

Collum Religionis est Regula.

Cant. 4. 3.

Turris David cum propugnaculis.

Per observantiam Regulæ derivantur gratiæ in Religiosos.

Armatura, est cingulum Castitatis, scutum fidei, pectorale sanctarum cogitationum, lorica justitiæ, galea salutis, gladius Spiritus, hæc sunt, arma spiritualia, quibus fœliciter usi sunt quotquot fuerunt de numero eorum, de quibus Salvator ait, *regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*; tales Viri fortes fuerunt Sanctissimi Patres Elias & Elisæus, alijque quamplurimi, qui in solitudinibus morabantur, in speluncis & in cavernis terræ, pellibus vestiti, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus; hi primi fuerunt Religiosorum qui carnem suam crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs: Isti & omnes alij Sancti nihil charius habuerunt, quàm prædictis armis carnem domare, mundum superare, & de diabolo victoriam reportare, pro ut plus quàm notorium est ex modo illorum vivendi, quem nobis imitandum reliquerunt.

Matt. 11.

Sancti illâ usi fuerunt.

Petes fortè, quid, quæso, sincerus servus Dei cum his armis efficiet? ad quod servire potest pro responso illud Salvatoris, *dum fortis armatus custodit atrium suum: in pace sunt omnia, quæ possidet*, quocircà si fidelis Dei famulus, indutus armaturâ Dei, vigilanter possideat atrium animæ suæ omnesque ejus portas & fenestras; omnes inquam, animæ vires & sensus prudenter custodiat, magnâ fruetur internâ requie, *sedebit in pulchritudine pacis*; *in pace* & tranquillitate *erunt omnia, quæ possidet*; eò quòd gaudeat testimonio bonæ conscientiæ, & omnes malæ inclinationes, prava desideria, & passiones

Luc. 11.

Animæ de spiritualibus armis provisæ gaudent pace internâ.

imperio

imperio rectæ rationis subjugatæ internam quietem turbare, ac animæ pacem frangere nequeant; solummodò superest, ut scientes nos cinctos & quasi obsessos à leone infernali rugiente attendamus, an sufficienter simus armati, & an ad turrim nostram spiritualem soleamus confugere, ibidem apprehensuri scutum fidei, vel alia arma spiritualia; quod si necdum simus benè armati, nobis providere oportet; vita quippè nostra est hora inimicorum nostrorum, & potestas tenebrarum, non ut totaliter nos opprimant & dejiciant, sed ut continuum nobis bellum intentent. Deo sic providente & permittente, ut, mediante gratiâ ipsius, legitimè certantes tandem coronari mereamur.

CAPUT LII.

Qualiter nos contrà inimicos nostros armare oporteat, nè in servitutem redigamur.

ECce Pluto infernalis venit ad animam devotam cum viginti millibus, id est, multiplici dolo, astutiâ, tentatione, intus & foris, manus auxiliatrices ferentibus pravis animæ concupiscentijs, quæ velut hostes domestici castrum animæ non rarò produnt; quocircà attendamus, an cum decem millibus, id est animo infirmo & voluntate in bono parum firmatâ occurrere & competentem resistentiam facere possimus: sanè timendum est, nè defectu armorum spiritualium, aut usûs eorumdem, obligemur fugam capere, & iniquam pacem inire: quam pacem? pacem, de qua libro primo egimus, quam nonnulli cum diabolo ineunt per consensum in peccatum, per condescendentiam in aliquas conditiones, vi quarum ab illo captivi detinentur, facti mancipia ad ejus voluntatem: porrò nè pacem tam iniquam inire cogamur cum diabolo, malis ejus suggestionibus consentiendo, vel cum mundo, fraudulentas ejus voluptates sequendo, vel cum nostrâ naturâ corruptâ, prava ejus desideria sectando, induere oportet arma lucis.

Malæ concupiscentiæ & passiones sunt hostes domestici.

Pax iniqua cum diabolo, mundo & carne.

Vitanda per usum armorum spiritualium.

At quo modo? modum nos docet Regula Carmelitarum, dum ait, *omni sollicitudine studeatis indui armaturâ Dei*; non dicit magnâ, sed *omni sollicitudine*; nec mirùm, res enim summi momenti est, à qua æterna animæ salus dependet; nè igitur dividamus sollicitudinem nostram ergà res multas; omni enim sollicitudine opus est in studio induendi armaturam Dei; in quem finem? *ut possimus stare adversus insidias inimici*: perpende quantâ alacritate, diligentiâ & solertiâ arriperet arma strenuus aliquis miles, si eum ex improviso, & inermem hostis tentaret invadere, vel in duellum vocare; recogita, quantâ sollici-

Cap. 14.

Quali sollicitudine arma spiritûs capessenda.

Eph. 6. 11.

sollicitudine mercatores sua exerceant commercia, quantâ sedulitate nautæ navim regant contrà obortas tempestates; ut vel indè colligas non minori te sollicitudine, diligentiâ debere induere armaturam Dei, utique *cingulum Castitatis*, pectorale sanctarum cogitationum, *loricam justitiæ*, seu dilectionem Dei & proximi, similiter *scutum fidei*, Deum ubique per fidem habendo præsentem; Item *Galeam salutis*, de solo Salvatore sperando salutem, omnem fiduciam in solo Deo habendo, ac de fragilitate planè diffidendo; nec uspiam desit *gladius Spiritus, quod est Verbum Dei*; sed illud *abundanter habitet in ore & in corde tuo* quin etiam, *quæcumque tibi agenda sunt in Verbo Domini fiant*; equidem hæc est armatura Dei, hæc sunt arma spiritualia, quibus munitus verus & fidelis Christi Miles, invictus *stare poterit adversus insidias inimici*, contrà astutias diaboli, contrà fallacias mundi, contrà illecebras carnis, ut tandem, vitæ præsentis fœliciter consummato certamine, consequatur coronam gloriæ.

Qualiter utendum spiritualibus armis.

CAPUT LIII.

Conclusio hujus Tractatus & Libri secundi.

NEmo militans Deo, & piè in Christo vivere desiderans prædicta arma spiritualia abjicere potest: nam teste Apostolo, *omnes* (nemine excepto) *qui piè volunt vivere in Christo, persecutionem patientur*; & sine illis & similibus armis non possunt aciem sustinere contrà insidias, & impugnationes persequentium; nec verò dubites, quo meliori modo illis uti liceat & conveniat; quippè toto hujus secundi libri contextu opportuni docentur modi, & insidiæ ac assultus inimicorum partim deteguntur, partim ad vivum exprimuntur: etenim si in militia Christiana adhuc sis tyro, & piè in Christo vivere incipias, in primo & secundo hujus libri Tractatu invenies persecptiones, seu tentationes incipientium, & unà discere licet, qualiter eas fœliciter possis perfringere; Si in piâ vitâ in Christo aliquantulum profeceris; ecce, in tertio Tractatu in lucem prodeunt tentationes proficientium, nec non præscribuntur remedia, quibus eas strenuè superes; Quod si pia vita in Christo te ad aliquam perfectionem evexerit; ne te ideò ab omnibus insidijs, astutijs, persecutionibus seu impugnationibus inimicorum, & tentationibus liberum & immunem existimes, ecce, hæ aliquo usque in hoc quarto Tractatu depinguntur; ut scias, quia nullus, quantumcumque perfectus, status animæ, ab infestationibus satanæ est exemptus, cum Spiritus sanctus in sacro Textu sine ulla exceptione dicat, *tentatio est vita hominis super terram*; nec minus ad propositum insinuat Apostolus, quod

Arma spiritualia omnibus necessaria.

In hoc libro docetur modus ijs benè utendi.

Pro incipientibus.

Pro proficientibus.

Pro perfectis.

Angelus satanæ non rarò *se transfiguret in Angelum lucis*; quoties nimirùm, sub pretextu & specie boni, conatur animam alioqui illuminatam & ad perfectionem divini amoris properantem seducere, & quasi sensim sine sensu ad malum pertrahere; porrò ejus astutiæ; & occultæ insidiæ hîc deteguntur, & unà præscribitur, qualiter eas securè possis evadere; ut vel sic verificetur, (*Prov. 1. 6.*) quòd *frustrà jaciatur rete antè oculos pennatorum.*

Solummodò superest, ut omnibus piè in Christo vivere volentibus exhortando dicam, & cum Apostolo concludam, *induite armaturam Dei* (unusquisque prout novit sibi esse necessarium, vel magis conveniens) *ut possitis* invicti *stare*, & vos tueri, *adversus insidias inimici*; semper memores, quia *omnes, qui piè volunt vivere in Christo, persecutionem patientur*; ità tamen, ut nihil sit timendum; nam omnes, qui piè vivunt in Christo, modis in primo libro allatis, in Christo, id est, per ejus gratiam, optimè foventur, reficiuntur, spiritu roborantur, animantur, armantur, ut in omnibus queant evadere victoriosi; adeò ut legitimè certantes, & quidquid ad vitam spiritualem, perfectam, imò divinam necessarium est, in Christo abundè invenientes, facilè consequi possint coronam vitæ æternæ, quam nobis largiri dignetur Pater æternus per merita unigeniti Filij JESU Christi; & per intercessionem Matris amabilis. Amen.

Hortatio ad arma spiritualia capessenda.

FINIS.



INDEX

INDEX CAPITUM
LIBRI PRIMI
PIÆ VITÆ IN CHRISTO.

TRACTATUS I.
De Pietate in communi.

TRACTATUS II.

De piâ vitâ in Christo pro Incipientibus.

TRACTATUS III.

De piâ vitâ in Christo pro Proficientibus.

TRACTATUS IV.

De piâ vitâ in Christo pro Perfectis.

INDEX CAPITVM LIBRI SECVNDI

De Tentationibus piè in Christo vivere volentium.

TRACTATVS I.

De Tentationibus in communi.

Cap.

TRACTATVS II.

De Tentationibus eorum, qui piè in Christo vivere incipiunt.

Cap.

TRACTATUS III.

De Tentationibus eorum qui in piâ in Christo vitâ proficiunt.

TRAC-

3

TRACTATUS IV.

De Tentationibus eorum, qui in piâ vitâ in Christo, perfecti nominantur.

qui

bolo;

Finis Indicis Piæ Vitæ in Christo.



INDEX LOCORVM
SACRÆ SCRIPTVRÆ
IN DVOBVS LIBRIS
PIÆ VITÆ IN CHRISTO
Citatorum & explicatorum.

EX VETERI TESTAMENTO.

Ex Libro Genesis.

Ex Libro Exodi.

Ex Libro Numerorum.

Ex Libro Judicum.

Ex Libris Regum.

Ex Libro Tobiæ.

Ex Libro Job.

Ex Libro Psalmorum.

120. I

Ex Libro Proverbiorum.

Ex Libro Ecclesiastes.

Ex Canticis Canticorum.

5. Qu

Ex Libro Sapientiæ.

Ex Libro Ecclesiastici.

34. Qui

Ex Prophetiâ Isaiæ.

Ex Prophetiâ Jeremiæ.

Ex Trenis.

Ex Prophetiâ Ezechielis.

18. Con-

Ex Prophetiâ Oseæ.

Ex Prophetiâ Aggæi.

Ex Prophetiâ Zachariæ.

Ex Libris Machabæorum.

EX LIBRIS NOVI TESTAMENTI.

Ex Evangelio Sancti Matthæi.

6. Oran-

Ex Evangelio Sancti Marci.

Ex

INDEX LOCORUM.

Ex Evangelio Sancti Lucæ.

Ex Evangelio Sancti Joannis.

E

Ex Actis Apostolorum.

Ex Epistolâ ad Romanos.

Ex Epistolis ad Corinthios.

Ex Epistolâ ad Galatas.

Ex Epistolâ ad Ephesios.

6. Omn

Ex Epistolâ ad Philippen.

Ex Epistolâ ad Tessalon.

Ex Epistolâ ad Timotheum.

Ex Epistolâ ad Hebræos.

Ex Epistolâ Sancti Jocobi Apostoli.

Ex Epistolâ Sancti Petri Apostoli.

Ex Epistolâ Sancti Joannis Apostoli.

Ex Libro Apocalypsis.

FINIS.

INDEX

INDEX RERVM IN DVOBVS LIBRIS PIÆ VITÆ IN CHRISTO CONTENTARUM.

Numerus folium denotat.

Tt *Aman-*

C *Cameleon.*

C

For-

Invo-

P

Pater spiritualis.

Patientia.

Pax.

Peccatum.

Pænitentiæ Sacramentum.

Pænitentia virtus.

Perfectio.

Perfecti.

S. Petrus Thomas.

Phantasia.

Pietas.

Qua-

Somno-

T

Vnctio